SCHOLÆ CANONICÆ

SEU

UNIVERSI JURIS CANONICI

TOMUS II.

Continens

Librum Tertium Decretalium.
Librum Quartum Decretalium.
Librum Quintum Decretalium.

AUTHORE

F. BERNARDO SANNIG,
ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI
Reform. SS. Theologiæ Lectore Jubilato, & olim SS. Canonum Professore in Conventu S. MARIÆ ad Nives; Scriptore Religionis, totius Ordinis Patre, Ex-Commissario Generali Cismontano, & iteratò Ministro Provinciali Provinciæ Bohemiæ.

NEO-PRAGÆ,
Typis JOANNIS NICOLAI HAMPELII, 1687.

FACULTAS
REVERENDISSIMI PATRIS
MINISTRI GENERALIS.

Frater PETRUS MARINUS *Sormanus à Mediolano Lector Jubilatus, Ex-Guardianus Jerosolymitanus, Sanctissimæ Inquisitionis Consultor, ac totius Ordinis Minorum* S. P. N. FRANCISCI *Minister* Generalis, & *Servus. Dilecto Nobis plurimùm in Christo Patri Bernardo Sannig, Lectori Jubilato, Ordinis Patri, & Ministro Provinciali nostræ Reformatæ Provinciæ Bohemiæ Salutem.*

Cùm juxta Apostolicas, nostrique Ordinis Constitutiones revisum, & approbatum fuerit quoddam Opus à Te collectum, cujus titulus est Schola Canonica, *seu* Universum Jus Canonicum, *methodo scholastica digestum;* Tomus II. complectens tertium, quartum, & quintum Decretalium : *Tenore præsentium ad salutaris Obedientiæ meritum facultatem Tibi impertimur, quatenus servatis servandis illud Typis mandare possis, & valeas. Dat. Romæ 19. Octobris. Anno 1686.*

Fr. PETRUS MARINUS
Minister Generalis.

Reg. tit. Provinciæ.



De Mandato Suæ Reverendissimæ Paternitatis

Fr. FRANCISCUS à BASSANO
Secretarius Generalis.

CEN-

CENSURA
Assessoris Consistorii Archi-Episcopalis Pragensis.

POstquam annò elapsò A. R. P. F. BERNARDUS SANNIG, Ord. Min. S. FRANCISCI Reform. Lector Jubilatus, totius Ordinis Pater, Ex-Commissarius Cismontanus Generalis, & iteratò Provinciæ Bohemiæ Minister Provincialis industriosè Tomum primum Scholæ Canonicæ conscripsisset; nunc ut Author sit integri & perfecti Operis, Tomum secundum continentem Librum tertium, quartum, & quintum Decretalium pari claritate & industria, methodò Scholastica & stylo facili ita digessit, ut cunctas resolutiones vel fundaverit in expressis textibus, vel solidâ Doctorum roboraverit authoritate: ita etiam attemperavit, ut nihil necessarium præterierit, nec superfluum immiscuerit. Tomum ergo hunc ex commissione Perillustris, Reverendissimi, & Eximii Domini Wenceslai Bilek à Bilenberg Metropolitanæ Ecclesiæ ad S. Vitum, & Regiæ Capellæ ad omnes Sanctos Decani: Celsissimi Principis Archi-Episcopi Pragensis Joannis Friderici è Comitibus de Waldstein (tit.) in Spiritualibus Vicarii Generalis à me perlectum accuratè, bonis moribus vel Orthodoxæ Fidei contrarium continentem nihil, luce publicâ dignissimum censeo. Dabam Pragæ 13. Januarii. Anno 1687.

Joannes Christophorus Schambogen,
J. U. Doctor, SS. Canonum Professor, S. C. M. Consiliarius, Facult. Jurid. Senior, & p. t. Decanus, Archi-Episc. Consistorii Assessor.



CENSURA
Theologorum Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Reform.

POst feliciter evulgatum ab A. R. P. BERNARDO SANNIG, iteratò Almæ nostræ Provinciæ Bohemiæ dignissimo Ministro Provinciali, Superiore nostro observandissimo, Tomum I. Scholæ Canonicæ, nè quid ad Universalem Doctrinæ Canonicæ perfectionem desideretur, ad publicam lucem properat Ejusdem authoris Tomus II. continens Tertium, Quartum, & Quintum Decretalium, simili novâ methodò Scholastica,

ſticâ, pari claritate, & ſolida eruditione, Juriúmque Regularium, præſertim Minorum, pro materiæ convenientia, fundata enucleatione, quâ Tomus I. elucubratus, & digeſtus ita, ut nihil ſuperflui admiſſum, nihil neceſſarii in eo ſit omiſſum. *Finis*, inquit Philoſophus, *rationem optimi habet*, quod veriſſimum eſſe comperimus, dum prævia accuratâ perlectione finalem hunc Scholæ Canonicæ Tomum Orthodoxæ Fidei, Sacris Canonibus, ac bonis moribus optima ratione conformem deprehendimus, ac proinde ut *finis coronet opus* hoc Scholæ Canonicæ, illud ſicut Theologis, Canoniſtis, & Regularibus, ſingulariter Minoritici Inſtituti, utiliſſimum cenſemus, ita digniſſimum judicamus, ut per Typographicam editionem, quam merito ſuo ſibi vendicat, æternitati commendetur. Datum Pragæ in Conventu S. MARIÆ ad Nives Anno 1686. die 21. Septembris.

Fr. Bernardinus Ungar, SS. Theologiæ Lector Jubilatus, & in Generali Studio Pragenſi ad Nives Sacrorum Canonum Profeſſor actualis, ac Provinciæ Bohemiæ Diffinitor.

Fr. Sebaſtianus Schambogen, SS. Theologiæ Lector Generalis, Ejuſdemque Facultatis in Studio Generali Pragenſi ad Nives Profeſſor, & actualis Provinciæ Diffinitor.

Fr. Antonius Harttmann, SS. Theologiæ Lector Jubilatus, & Ejuſdem Facultatis in Studio Generali Pragenſi ad Nives Profeſſor.

APPROBATIO ORDINARII.

TOmum ſecundum Scholæ Canonicæ, absque omni nævo morali, uti ex legitimis Cenſuris mihi exhibitis conſtat elaboratum, & compoſitum ab Adm. Rev. Patre BERNARDO SANNIG, Ordinis S. FRANCISCI Reform. Provinciæ Bohemiæ iteratò Provinciali approbo, & juxta Concilii Tridentini Canones facultatem impertior, ut

Pragæ die 13. Januarii. Anno 1687.

Imprimatur

WENCESLAUS BILEK
à Bilenberg, Officialis.

PRIVILEGIUM CÆSAREUM

Super Impreſſione Librorum Auctorum Ord. S. Franciſci Regularis, & Strictioris Obſervantiæ.

PRivilegiò Cæſareæ Majeſtatis cautum eſt; nè quis per univerſum Imperium Libros à Patribus Ordinis S. FRANCISCI Regularis, & Strictioris Obſervantiæ editos, aut edendos imprimat, recudat, aut alibi recuſos, intra Sacri Imperii, Regnorúmque, ac Dominiorum hæreditariorum Domûs Auſtriacæ fines adducat, vendat, diſtrahat, absque conſenſu, & facultate eorundem Patrum ſub pœna confiſcationis Librorum, & mulcta viginti marcarum auri puri. Ita Sancitum & decretum eſt in Civitate Ratisbonenſi, pridie nonas Decembris. Anno 1636. Signatum

FERDINANDUS

Infrà
Ad Mandatum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium.

JOANNES WALDERODE.

à latere P. H. A. Stralendorff.

INhærendo Decreto Cæſareo Ferdinai III. Auguſti edito ſuper Impreſſione Librorum, ab Authoribus Regularis & Strictioris Obſervantiæ edendorum, conſenſum, & facultatem do Domino Joanni Nicolao Hampelio, Civi, & Typographo Neo-Pragenſi, faciendi primam editionem Tomi mei Secundi Scholæ Canonicæ. Datum Pragæ in Conventu S. MARIÆ ad Nives, die 14. Januarii. Anno 1687.

Fr. BERNARDUS SANNIG.

INDEX



INDEX TITULORUM HUJUS TOMI II.

LIBER TERTIUS

Decretalium D. Gregorii Papæ IX.

LIBER QUARTUS


Decretalium D. Gregorii Papæ IX.

Tit.

LIBER QUINTUS
Decretalium D. Gregorii Papæ IX.

Tit.


MR



LIBER III. DECRETALIUM D. GREGORII PAPÆ IX.

PRÆFATIO.

TErminato in *priori lib.* Tractatu de toto ordine judiciario seu processu Judiciali; proponitur in Corpore Juris à Sum. Pontif. Gregor. IX. *Liber hic tertius*, tractans de materia, seu causis, substratis præfato Processui Judiciali Ecclesiastico; sunt autem Causæ hujusmodi in duplici differentia; aliæ enim sunt civiles; & aliæ criminales: & ex civilibus quædam sunt quæ sunt propriæ Clericorum, v. g. causæ beneficiales: quædam verò sunt communes Clericis & Laicis, v.g. contractuum, vel testamentorum Jura, cum Sacrorum, & Sacramentorum usu; & quædam tandem sunt, quæ Laicos solos respiciunt, v. g. causæ matrimoniales: de causis primi, & secundi generis procedit *hic Tertius Liber Decret.* de causis verò civilibus tertij generis extat *Liber quartus*, & de criminalibus *quintus* constitutus est.

TITULUS I.
DE VITA, ET HONESTATE CLERICORUM.

CAP. I.
Quid sit Clericus; & quæ obligatio honestatis ejus.

1. NOta primò: Duplicia possunt in Clericis considerari bona; intrinseca, videlicet, & extrinseca. *Intrinseca* hìc dici possunt animi, ac corporis bona; cujusmodi sunt actiones, variæ virtutes, mores: verba, vita proba, & honestas morum. *Extrinseca* dici possunt Clericorum præbendæ, beneficia, dignitates &c. Exorditur autem *hic liber* meritò à personis Clericorum quoad eorundem bona intrinseca, tractans de eorum moribus, ac honestate vitæ; cùm juxta Tridentinum *Sess: 22. de Reform: cap: 1. nihil sit, quod alios magis ad pietatem, & DEI cultum assiduè instruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt; cùm enim à rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisq; sumunt, quod imitentur.*

2. Nota secundò: Gratianus *dist: 21.* ex Isidoro *lib: 7. etymol: cap: 12.* dicit, *Clericos* sic appellatos à Græco vocabulo *Kliros*, quod idem est ac *sors*, vel *hæreditas, can: 1. dist: 21.* eò quòd Clerici vocentur in sortem Domini; vel quia sunt de sorte Domini, vel quia Domini partem seu hæreditatem habent, *cit: dist:* Unde S. Matthias sorte electus est ad Clericatum, & Apostolatum; primusq; Apostolus in Clericum ordinatus *cit: dist:*

3. Dico primò: rectè describitur generaliter Clericus, quòd *sit persona idonea, debitè deputata ad servitium DEI, in Ecclesia Christi.* Ita constat ex *dist. 21. can. 1.* Ly *persona* est genus: reliqua subeunt rationem differentiæ. Per ly *idonea* significatur, non quemlibet hominem posse fieri Clericum; sed certas duntaxat personas: unde à Clericatu suscipiendo repelluntur fœminæ; hermaphroditi, nisi prævaleat multùm sexus virilis; illegitimi, minores septenniô; nondum fidei rudimenta edocti, servi, infames, criminosi, bigami, & plures alij, canonicis impedimentis irretiti: de quibus consule *tom: 1. lib: 1. Decret: tit: 12.* & subsequentes plures alios titulos ejusdem libri. Ly *debitè deputata* petit, ut Clericatus conferatur à debito Ministro. Reliqua significant finem Clericatûs

4. Nota tertiò: in materia favorabili *Clericorum* appellatione comprehenduntur omnes omnino Ecclesiastici; id est tam Episcopi, & alij Prælati; quàm Religiosi, & Canonici, ac quicunque in quacunque dignitate Ecclesiastica constituti; uti tenent Strein: Abbas, Engel, Panorm: v.g. in exemptione à vectigalibus, aut alijs tributis & oneribus, quæ Clericis conceduntur. At in materia odiosa nomine *Clericorum* veniunt tantùm Clerici inferiores sæculares; juxta vulgatam regulam Juris in *6. Odia sunt restringenda*: unde *cap: quia periculosum; de sent: excomm: in 6.* dicitur quòd nulla censura, etiam contra Ecclesiasticos lata, liget Episcopos; nisi specialis eorum fiat mentio. Et Interdictum latum contra Clerum, non ligat Religiosos; nisi aut verba, aut causa Interdicti aliud innueret; uti observat rectè Sylvest: Armill: & Engel.

5. Nota quartò: honestas, quam Sacri Canones postulant à Clericis, est duplex; alia dici potest interior; alia exterior. *Interior* consistit in animi puritate ac sinceritate; atq; in desiderio vivendi secundùm ordinationes Canonum, & præscripta virtutum. *Exterior* consistit in factis ipsis, & actionibus externis vitæ, secundùm præscripta virtutum, & legum Christianarum, ac Canonicarum elicitis; quæ actiones variæ sunt; uti patebit ex infra proponendis Capitulis *2. 3. & 4.*

6. Dico secundò: universi Clerici, tam majores, quàm minores obligantur ad colendam vitæ probitatem, & honestatem morum, per actiones laudabiles, à legibus Christianis, & sacris Canonibus ordinatas. Ita communis DD. Et constat ex Concil: Tridentin: generatim sic loquente de omnibus Clericis, *Sess: 22. de Reform: cap: 1. quapropter sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisq; omnibus rebus nihil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præseferant; ut eorum actiones cunctis adferant venerationem.* Quare & ipsi eminentiores Clerici, Prælati scilicet, & præsertim Episcopi ad præfatam vitæ probitatem, atque honestatem morum obligantur, monente Apostolo ad Titum

2. cap:

2. *cap.* ut hi *irreprehensibiles sint, & in omnibus seipsos præbeant exemplum bonorum operum*; ne (uti loquitur Tridentinum) *Sess.* 24. *de Reform: cap:* 1. (*totius familiæ Domini status, & ordo mutari incipiat, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite.* Unde non ad propria commoda, nec ad divitias, & luxum; sed ad labores, ac sollicitudines pro DEI gloria sese vocatos esse meminerint: *Nec enim dubitandum est* (ait idem Concilium *Sess:* 25. *de Reform: cap:* 1.) *reliquos fideles ad religionem, innocentiamq; facilius inflammandos, si Præpositos suos viderint non ea, quæ mundi sunt; sed quæ sunt DEI, animarum salutem, ac cœlestem patriam cogitantes.* Sed ut ea omnia innotescant, quæ in specie ad vitæ probitatem, & honestatem Clericorum desiderantur à Sacris Canonibus, *hoc, & aliis titulis*; subjungo sequentia capitula.

CAP. II.

Quænam in specie exposcat honestas Clericorum.

1. Dico primò: Clerici, præsertim in sacris constituti, conformiter ad honestatem Clericalem obligantur ad continentiam, & castam vitam. Ita Glossa & communis DD. Et habetur *cap: ut Clericorum* 13. *hoc tit.* Ratio etiam est; quia decet Clericos tanquam Ministros in conspectu DEI purissimi puro corde, ac mundo corpore ministrare. Unde Clerici in incontinentia deprehensi jubentur *cit: cap: Secundùm delicti gravitatem puniri; ne facilitas veniæ incentivum tribuat delinquenti.*

2. Dico secundò: ijsdem Clericis ex motivo honestatis, imò & Laicis, interdicitur familiarior accessus absque rationabili causa ad Monasteria Monialium. Ita communis DD. Et habetur *cap: monasteria* 8. *hoc tit.* Ratio etiam primi est; quia Clericos, præsertim in sacris constitutos, non tantùm ab omni incontinentia; verùm etiam ab omni incontinentiæ, & venereæ libidinis suspicione (quæ ex familiariori accessu ad Monialium Monasteria suboriri posset) decet esse immunes, *cap: ut Clericorum* 13. *hoc tit.* Et Clericus familiariùs ad dicta monasteria absque manifesta, & rationabili causa accedere præsumens, debet ab Episcopo arceri; & si non destiterit, ab Officio Ecclesiastico deponi. Si verò Laicus sit, debet excommunicari *cap: cit: Monasteria.* Extant etiam complures aliæ constitutiones, & ordinationes Apostolicæ graviter vetantes accessum ad claustra Monialium; signanter Bonifaciana *cap.* 1. *de stat. Reg. in* 6. Et Trident: *Sess:* 24. *cap:* 5. *de Regular.* Et aliæ recentiorum Pontificum.

3. Dico tertiò: jubentur similiter ijdem Clerici sectari honestatem in sobrietate; unde ab omni crapula, & ebrietate abstinere debent. Ita Abbas, Vallens: Zoës: &c. Et habetur expressè in *cap: à crapula* 14. *hoc tit.* Estque Ratio; quia ebrietas est omnium vitiorum fomes, & nutrix *can: fin: dist:* 35. eadem inducit mentis exilium, ac obscuritatem, estq; libidinis incentivum; ut dicitur *cit: cap: à crapula.* Ubi etiam Clerici potatores ad fœcundiores calices exhauriendos, & ad æquales sese provocantes potus, ut hac occasione alter alterum inebriet, jubentur ab officio, & beneficio suspendi, si moniti à suo superiore non se emendaverint. Similiter ad declinandas sociales ingurgitationes prohibentur Clerici frequentare tabernas publicas; eò tamen divertere possunt hospitij causâ in itinere constituti, *can: nemo oportet.* Et *can: nulli Clerico.* Et *can: Clerico dist:* 44. Et *cap: pen: hoc tit.*

4. Dico quartò: Oportet quoque Clericos esse alienos à vitio avaritiæ, quod plurimùm adversatur honestati, & probitati vitæ eorum. Ita communis DD. Et ita constat ex *cap. cùm ab omni* 10. *hoc tit.* Estque ratio; quia ut rectè observat Zoësius, hujusmodi vitium avaritiæ Clericalem dignitatem, & authoritatem plurimùm infamat, ac deprimit; quando Clericus vel pro se, vel pro suis hæredibus (qui plerumque aut ingrati sunt cuculi, aut prodigaliter absorbent relicta Clericorum peculia) vel etiam Ecclesiæ, cum nimia sollicitudine, exiguâ verò in DEUM confidentiâ plurima extorquet, & corradit ex beneficio Ecclesiastico, & aliunde, putans se per hoc facere DEO sacrificium; qui tamen *odio habet rapinam in holocausto.* Qua de re vide ampliùs gravissima dicta in *can: quod autem caus:* 23. *q.* 7. Et *can. res Ecclesiæ*; cum duobus seq: *caus.* 12. *q.* 1. Et præ reliquis illustria monita S. Ambrosij, & S. Hieronymi in *can. aurum* 70. Et *can. gloria* 71. *caus.* 12. *q.* 2.

5. Nota primò: Et nè Clerici litigantes occasionem arripiant pecunias corradendi; aut Judices ipsi in avaritiæ vitium labantur; ordinatur *cap. cùm omni* 10. *hoc tit.* quòd Judices à Papa delegati debeant judicare gratis, & præter expensas victualium, nullas alias acceptare sportulas, sive sub prætextu decimæ, vel alterius partis litis; sive sub prætextu solarij, aut mercedis. Et idem dicendum est de Judicibus Ecclesiasticis ordinarijs, utpote qui beneficiô Ecclesiasticô, aut stipendiô suffici-

enti provisi sunt, ratione cujus obligantur judiciarias lites per se, vel alios terminare.

6. Dico quintò: honestas quoque Clericalis exposcit, ut Clerici abstineant ab alearum, & taxillorum lusu pro lucro, & similium, quæ in varietate fortunæ consistunt; & nec quidem hujusmodi lusibus intersint. Ita Sylvest: Panorm: Engel, Vallens: Less: &c. Et constituitur *cap: pen: hoc tit.* Et *can: 1. dist. 35.* Estque ratio; quia hujusmodi lusus provocant ad plura peccata, quorum sedecim recenset Hostiens. Generant quoque plerumque scandalum, amissionem temporis, utiliùs in studia vel pietatem, vel Divinum Officium impendendi. Demum communiter lusorem deducit ad egestatem, & alia incommoda; unde rectè Horatius *lib: 1. epist: 18.*

Quem damnosa Venus; quem præceps Alea nudat.

Non videtur tamen secundùm Panorm: & Engel prohibitus Clericis lusus taxillorum, & alearum præcisè recreationis causâ; uti nec ludus conorum, latrunculorum, seu schachorum, & similium; ob eundem finem exercitus.

7. Dico sextò: eadem honestas Clericalis postulat, ut Clerici non agant mimos, histriones, ioculatores; néve intersint choræis, comedijs obscenis; nec struant ludos theatrales in Ecclesijs; nec exhibeant ibidem inhonesta spectacula, aut musicas lascivas in divinis Officijs. Ita communis Canonist. De primo, & secundo ita statuitur *cap. pen. hoc tit.* Et *can. Presbyteri dist. 19.* Et *can. 2. dist. 35.* De tertio, & quarto ita habetur *cap. cùm decorem 12. hoc tit.* De quinto ita constat ex *Extravag: docta; unica inter communes hoc tit.* Ratio etiam est; quia omnes præfatæ actiones aut præjudicant dignitati Ordinis Clericalis; aut sanctitati Ecclesiæ. Clerici agentes histriones per annum continuum, vel etiam breviori tempore, quando ter ab Episcopo moniti non desistunt, ipso Jure omni Clericali privilegio privantur, *cap. Clerici, unic. hoc tit. in 6.*

8. Dico septimò: similiter Clericalis honestas cohibet Clericos à clamorosa venatione cum canibus, & furiosis equitationibus; item interdicit armorum gestationem; percussionem, rixam, & duellum. Ita communis DD. Et de venatione constat ex *cap. 1. & 2. de Clerico venatore.* De armorum gestatione ex *cap. 2. hoc tit.* Et Clerici sæculares portantes arma offensiva sunt excommunicandi *cit. cap. 2.* Religiosi verò tenentes arma intra septa monasterij absque licentia superioris, sunt ipso facto excommunicati; *Clement. ne in agro; de statu Regular.* De percussione, & rixa patet ex *cap. 1. de Clerico percussore.* De duello ex *tit. 14. lib. 5. Decret. de Clericis pugnantibus in duello.*

9. Nota tamen secundò circa armorum gestationem: Clericos itinerantes per loca periculosa ad terrorem vel hostium, vel latronum posse gestare arma ad defensionem sui corporis; uti patet ex *cap. dilecto, de sent. excomm. in 6.* Et habet Glossa, ac alij Interpretes. Quamvis laudabilius foret in DEO confidere; & observare illud S. Ambrosij relatum in *can. 3. caus. 23. q. 8. dolor, fletus, orationes lacrymæ fuerunt mihi arma adversus milites; talia enim munimenta sunt Sacerdotis, servum Christi non custodia corporalis; sed Domini providentia sepire consuevit.*

10. Dico octavò: vetat pariter Clericalis honestas Clericis exercitia commerciorum sæcularium, & negotiationem mercantilium, seu mercaturarum; ac quæcunque alia negotia sæcularia, non decentia statum Clericalem. Ita Engel, Pirh. Vallens. &c. Et constat ex *can. Clerici.* Et *can. canonum.* Et *can. quoniam, caus. 14. q. 4.* Et propterea dicit Apostolus 2. *ad Timoth. 2. nemo militans DEO implicat se negotiis sæcularibus.* Et Clericus negotiator seu sæcularibus negotijs implicatus post tertiam admonitionem perdit privilegium Clericale quoad bona sua, *cap. fin. hoc tit.*

11. Dico nonò: ob eandem honestatem Clericalem nequeunt Clerici exercere publi- officium macellariorum, id est lanionum; nec tabernariorum; & si ter admoniti non cessaverint ab ejusmodi opere, amittunt privilegium Clericale. Ita Glossa, & communis DD. Et habetur in Clement. *diœcesanis, 1. hoc tit.*

12. Dico decimò: sed nec admittit honestas statûs Clericalis, ut Clerici artem chyrurgiæ, & adustionem, vel incisionem practicent; aut dictent vel proferant sententiam sanguinis; vel vindictam sanguinis exerceant; vel ubi exercetur, adsint; aut quovis modo concurrant ad sanguinis humani effusionem. Ita Engel, Sanch. &c. Et constat ex varijs capitibus, *tit. 50. ne Clerici vel Monachi; hoc lib.*

13. Dico undecimò: prohibetur quoque Clericis, & Religiosis in publicis Universitatibus audire Leges Civiles, & Medicinam; uti & operam dare arti Chymicæ in ordine ad conficiendum aurum. Ita Engel, Vallens. Pirh. Et de primo constat ex *cap. non magnopere 3. ne Clerici, vel Monachi.* De secundo extat Extravagans, *spondent; de crimine falsi, inter comm.* Ratio etiam est; quia ejusmodi studia avocant à contemplatione, & spiritualis vitæ instituto, cui Clerici & Religiosi sunt man-

mancipati, *can. duo sunt caus. 12. q. 1.* studium etiam artis chymicæ in ordine ad aurum conficiendum aut continet plerumque fraudem, dum profert falsam substantiam auri; aut facit jacturam temporis, & pecuniarum, ac opum, in fumum abeuntium cum præjudicio gravi Reipublicæ, piarum causarum, & pauperum; uti advertit Engel.

14. Dico duodecimò: non cohæret pariter cum honestate Clericali, agere Procuratores, Tabelliones, & Notarios; nec repræsentare ministros, Vicecomites, Præpositos, seu Locumtenentes sæcularium. Ita communis DD. Et habetur *cap. 2. & 5. ne Clerici, vel Monachi.* Et *can. fin. dist. 86.* Estque Ratio; quia omnia præfata officia avocant ab instituto spiritualis vitæ, cui mancipati sunt Clerici, & Religiosi, *can. duo sunt caus. 12. q. 1.* Et quia circa hujusmodi ministeria sæcularia procedit quoque illud dictum Apostoli *2. ad Timoth. 2. nemo militans DEO, sese sæcularibus implicat negotiis.*

15. Nota tamen tertiò: Clericos posse agere Procuratores miserabilium personarum, sumendo earum tutelam, & defensionem; uti constat ex *can. fin. dist. 86.* Item possunt procurare in causis, & negotijs spiritualibus in foro Ecclesiastico; prout *tom. 1. tit. 38. cap. 3.* dictum est. Solent etiam Prælati Ecclesiastici sub Imperatore, vel alio Principe bona temporalia instar Dominorum sæcularium possidentes, interesse Comitijs, & Consilijs publicis; suscipere & exercere quædam Ministeria, ac officia sæcularia honorata Provinciæ, propter utilitatem publicam, & authoritatem statûs Ecclesiastici manutenendam, quæ à sæcularibus Dominis tam utiliter non geruntur; quod non videtur adversari *citatis sacris Canonibus*: cùm absit turpe lucrum, & separatio à divinis officijs, & alij excessus, ob quos *cit. canones* prohibent Clericis ministeria sæcularia.

CAP. III.

De tonsura habitu, & modo vivendi Clericorum.

1. Dico primò: Clerici debent gerere tonsuram, seu coronam congruentem. Ita Glossa, & communis DD. Et habetur *cap. Clerici. 15. hoc tit.* Ratio etiam est; quia per primam tonsuram, quam communiter debet facere Episcopus proprius Clerici, initiatur persona sæcularis tonsurata, & transfertur de sæculari in Ecclesiasticum statum. Fiebat olim hæc tonsura per abrasionem capillorum per totum caput, solâ coronâ in medio relictâ; uti constat ex *can. duo sunt caus. 12. q. 1.* Hodie verò usus obtinuit, ut in solo vertice radantur capilli, & efformetur parvus circulus. Hujusmodi corona circulus abrasus, seu tonsura secundùm S. Hieronymum relatum in *can. cit. duo sunt,* signat varia: *Primò* abjectionem vitiorum, separationem, & contemptum rerum temporalium. *Secundò* secundùm eundem Hieronymum *loc. cit.* significat talis corona ex institutione Ecclesiæ Romanæ regnum, quod in Christo expectamus. *Tertiò* secundùm Bedam *lib. 5. de gest. Anglor.* figurat coronam spineam Salvatoris Nostri, quam, uti & totam Passionem ejusdem Clerici sæpiùs mente debent revolvere.

2. Dico secundò: Clerici pariter debent regulariter deferre habitum Clericalem, seu vestem decentem, & statui suo convenientem. Ita communis DD. Et ordinatur in *cap. Clerici 15. hoc tit.* Et Clement. *2. hoc tit.* Et Trident. *Sess. 14. cap. 6. de Reform.* Estque Ratio, quam affert ipsum Concil. *cit. loc.* ut decens habitus extrinsecus morum honestatem intrinsecam ostendat. Et procedit hæc conclusio etiam de Clericis conjugatis, qui tonsuram deferre tenentur, *cap. Clericus 6. hoc tit.*

3. Nota autem primò: ut habitus Clericalis censeatur decens, & conveniens, debet esse moderatus in colore; ut videlicet non sit virgatus, vel partitus (id est non habens diversos colores viridem, & rubrum intextos; vel artificiosè ipsi panno superinductos) ut dicitur in *Clement. quoniam 2. hoc tit.* Et Clerici beneficiati utentes veste virgata, ipso Jure suspenduntur à perceptione fructuum beneficiorum: non beneficiati autem quicunque inhabiles redduntur ad obtinenda beneficia Ecclesiastica, *cit. Clement. quoniam.* Idem habitus Clericalis nō debet esse corrigijs, & fimbrijs aureis, vel argenteis ornatus; aut alijs superfluitatibus redundans; nec valde brevis; nec nimis longus, *cap. pen. hoc tit.* sed debet referre vestem talarem; id est eam, quæ ad talos protendatur, *cap. pen. dist. 23.* sed nec fibulas, nec fræna, nec sellas, nec pectoralia, aut calcaria deaurata deferre possunt Clerici. *cap. pen. cit hoc tit.* Et est Ratio; quia hæc, & similia arguunt pompam, ac fastum sæculi, qui à Clericis debet abesse; ut habet Covarr. Engel, &c.

4. Nota secundò: Cardinalibus tamen ab Innocentio IV. in Concilio Lugdunensi concessus est habitus, & galerus rubeus; & Episcopis, ac quibusdam alijs Prælatis, atque personis graduatis pavonaceus. Cæterùm color pro vestibus Clericalibus communiter est

est niger; & confectio earum seu forma sit ea, quæ juxta usum, & consuetudinem Regionis cujuscunque distinctè discriminet Clericum à Laico.

5. Nota tertiò: Clericus non beneficiatus, & in minoribus tantùm constitutus, habitum Clericalem, & tonsuram non quidem tenetur deferre; sed interea ea non deferens, excluditur à beneficio privilegij fori; uti habet Trident. *Sess. 23. de Ref. cap. 6.* imò & à beneficio canonis, secundùm Laym. Engel, & alios DD. Unde percutiens ejusmodi Clericum, non incidit in excommunicationem. Clericus verò beneficiatus, & pensionarius non deferens habitum Clericalem, & tonsuram, secundùm Trident. *Sess. 14. de Ref. cap. 6.* post ternam Episcopi monitionem suspenditur ab Ordinibus, officio, & beneficio, quòd si autem semel correctus recidivet; planè privandus est beneficiô, & officiô. Imò Sixtus V. in bulla *cum sacrosancta* vult omnem talem Clericum non deferentem vestem Clericalem, & tonsuram ipso Jure suô beneficiô privatum; utì refert Quar. quam tamen Bullam credit Garcias non esse usu receptam.

6. Nota tamen quartò: quòd præfatas pœnas taxatas contra Clericos non deferentes Clericalem habitum non incurrat ille Clericus, qui unicâ duntaxat vice habitum congruentem Clericalem non deferret; ut notat Pirh. Farinac. Piasec. &c. Nec ille, qui ratione paupertatis vestem congruentem suo Ordini deferre nequit: nec is, qui post infirmitatem tonsuram gerere haud potest, nec qui ob probabile periculum spoliationis ab hostibus Clericam ad tempus deponit: nec qui domui suæ, & occultè eam non gestat; utì notant Hugol. Pirh. Barbos. &c.

7. Dico tertiò: Clerici non debent gestare annulos; nisi sint Episcopi, vel in aliâ Ecclesiastica dignitate constituti; neque nutrire comam, vel barbam. De primo ita ordinatur in *cap. penult. hoc tit.* De secundo videlicet coma, & barba habetur *si Clericus 5. hoc tit.* Et quia à Clericis omnis superfluitas temporalis debet abesse, *cap. pen. hoc tit.* Superfluum autem censentur esse capilli, seu coma bene ordinata. In multis tamen locis consuetudine receptum est, ut Clerici barbam non radant; nec decurtent comam; utì notat Navarr. Vallens. & Barb. Cæterùm ubi adhuc viget lex canonica de radenda barba, & coma detondenda, possunt Clerici etiam inviti à suis Archidiaconis compelli ad subeundam tonsuram; utì habetur *cap. Clericus 7. hoc tit.* Circa modum vivendi Clericorum

8. Nota quintò: olim etiam Clerici sæculares vivebant in communi, & simul in Collegijs sub suis Præpositis, & Decanis; simulque in uno dormitorio dormiebant; & in uno refectorio manducabant; & omnes proventus Ecclesiæ in communi possidebant; utì constat ex *can. præter hoc 6. dist. 32.* Et *can. necessaria 3. caus. 12. q. 1.* Et quia hi certas habebant præscriptas regulas vivendi, ideo *Canonici*, id est *Regulares* vocabantur. Sed tractu temporis hic vivendi modus Clericorum tolerante Papa, utì ait Glossa in *cap. 9. hoc tit.* passim immutatus fuit, & seorsim vivere cœperunt; utì hodie videmus.

9. Dico quartò: ad modum vivendi honestum Clericorum pertinet, ut ipsi in choro à Laicis separati Divina peragant; ita ut dum sacra mysteria Missæ celebrant, cancellis à populo dividantur. Ita communis DD. Et ordinatur in *cap. ut Laici 1. hoc tit.* Et est Ratio; quia hac ratione liberius sacra officia celebrare valent, & intendere Divinis, *can. Sacerdotum 30. de Consecrat. dist. 2.*

CAP. IV.

De vita, & honestate Clericorum Minoriticorum.

1. Dico primò: FF. Minoribus incumbit specialiter colere vitam honestam, à S. Canonibus Clericis præscriptam probatosque mores, ac actiones laudabiles edere. Ita communis DD. Ordinis. Et constat ex *cap. 1.* Regulæ Franciscanæ, ubi dicitur, quòd, *vita Fratrum Minorum hæc est, scilicet Domini Nostri JESU Christi S. Evangelium observare;* S. autem Evangelium continet præscripta specialia vitæ honestæ, morumque laudabilium, & integerrimorum. Et ex *cap. 2.* ejusdem Regulæ, ubi dicit Legislator D. Franciscus; *consulo verò, moneo, & exhortor Fratres in Domino Jesu Christo, ut quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios judicent: sed sint mites, pacifici, & modesti, mansueti, & humiles, honestè loquentes omnibus, sicut decet.*

2. Dico secundò: specialiter obligantur FF. Minores honestatem vitæ exprimere in continentia, seu castitate colenda. Ita communis DD. Ordinis. Et constat; Tum ex voto solemni castitatis, quod profitentur; & vi capitis 1. Regulæ Seraphicæ observare tenentur. Tum ex *cap. 11.* ejusdem, ubi dicitur; *Præcipio firmiter Fratribus universis, nè habeant suspecta consortia, vel consilia Mulierum.* Tum ex Constitutionibus recentioribus Generalibus Ordinis *cap. 11. §. 1. n. 3.* ubi dicitur; *unde à ma-*

à mali specie cavere volentes, omnibus Fratribus à suspectis consortiis abstinere præcipimus. Ubi etiam variæ graves pœnæ imponuntur incontinentibus, & de suspecto consortio notatis.

3. Nota primò: suspecta consortia, honestatem vitæ continentis in Minorita labefactantia ex *cit. Constit. n. 1.* censentur esse illa; quando locus, tempus, gestus, & alia ejusmodi indicia suspicionem indicant; puta, si locus quæratur pro mulierum colloquio solitarius, secretus, segregatus, obscurus; si tempus nocturnum, aut aliàs importunum, vel suspectum; si gestus sit dissolutus ex nimia appropinquatione, vel faciei ad mulierem fixis oculis conversione, manibus, aut similibus indicijs. Item si instituantur solitaria colloquia exclusô aliorum auditu; nisi subsit pia causa, aut alia evidens ratio: *ibidem.* Item si cum eadem persona sæpe sæpiùs citra necessitatem, vel rationem gravem replicentur collocutiones; adjuncta ætate necdum senili, & attentâ conditione colloquentium; *ibidem.* Et statuta Reform. *cap. 11. n 1.*

4. Dico tertiò: Pertinet quoque ad honestatem vitæ, & morum Ordinis Seraphici, nè FF. Minores, mulieres in Monasteria, conventusque suos admittant. Ita communis DD. Tum ex *cit. Constit. General. n. 8.* ubi gravissimæ quoque pœnæ statuuntur contra transgressores. Tum ex Bulla Pij V. quæ incipit *Regularium personarum*, prohibente generaliter ingressum Mulierum intra Conventus Regularium. Excipiuntur tamen secundùm Sanctor. Viallob. Hier. Rodriqu. Joann. de Cruce, &c. Imperatrices, Reginæ, Archiducissæ, Magnæ Ducissæ Regiminis, ut Thusciæ, Sabaudiæ, Bavariæ, &c. & Fundatrices; uti colligitur ex Concess. Gregorij XIII. edita 8. Sept. an. 1584. pro Monialibus.

5. Dico quartò: similiter spectat ad honestatem Minoriticæ vitæ, nè Fratres ingrediantur; neque accedant Monasteria Monialium pro colloquio. Ita communis DD. Primum habetur in Regula S. Francisci *cap. 11.* illis verbis: *& nè ingrediantur monasteria Monacharum, præter illos, quibus à Sede Apostolica concessa est licentia specialis.* Secundùm statuitur in Constit. General. *cap. 11. §. 3. n. 1.* ubi dicitur; *ad Monasteria Monialium quocunque nomine appellentur, nemini Fratrum quovis prætextu accedere liceat; nisi vel impetratâ priùs facultate; vel publici muneris sibi à Superiore commissi obeundi gratiâ.* Ubi plura alia salutaria de modo alloquendi Moniales, conversandi cum ijsdem, non manducandi in ædiculis Confessariorum, statuuntur, pro conservanda honestate Vitæ Minoriticæ.

6. Nota secundò: Quæ præterea à S. Canonibus providè ordinata sunt pro Clericis sæcularibus, circa evitandam crapulam, ebrietatem, alearum, & taxillorum lusus, absentiam à choræis, ac comædijs obscenis, lusibusque alijs theatralibus, venationem, armorum gestationem, percussiones, rixas; item circa exercitia commerciorum, negotiationum, mercantilium, chyrurgiæ, adductionis vel incisionis; circa professuram publicam Legum & Medicinæ, artisque Chymicæ practicam, Tabellionatûs, & Notariatus; ea omnia pariter graviter interdicta dignoscuntur Minoribus; utpote summopere adversantia vitæ & honestati morum Ordinis Seraphici: de quibus etiam sparsim extant statuta specialia prohibitoria in Constitutionibus General. Ordinis.

TITULUS II.
DE COHABITATIONE CLERICORUM, ET MULIERUM.

CAP. I.
Cohabitatio mulierum quid sit, quibus Clericis ea concedatur, & quibus non; ac de pœnis cohabitantium.

1. NOta primò: continuat Sum: Pontifex bona intrinseca, seu mores Clericorum perscrutari; unde *præsens Titulus* est accessorius ad præcedentem; nam Clericorum honestas non modicè etiam elucet ex non cohabitatione mulierum; & consortium earum sæpiùs incontinentiæ suspicionem, & vitiosam familiaritatem ingerunt: quare de eo evitando rectè hìc agitur.

2. Dico primò: bene describitur mulierum cohabitatio, de qua hìc, quòd *sit Clerici, & mulieris in eadem domo, ac sub eodem tecto commorantium conversatio.* Ly *conversatio* est genus: reliqua ponuntur pro differentia.

3. Dico secundò: Clericis, etiam sæcularibus, prohibita est cohabitatio cum mulieribus

ribus suspectis; & hoc varijs de causis. Ita Glossa, Vallens. Zoës. Pirh. &c. Et statuitur *cap. 1.* Et alijs pluribus *hoc tit.* Et *can. interdicit 16. dist. 37.* Et *can: non oportet 32. cum seqq. dist. 81.* Causæ porrò principaliores prohibentes cohabitationem Clericorum cum mulieribus suspectis sunt sequentes. *Prima* quia ejusmodi cohabitatio, & familiaris conversatio valdè probabile periculum continet violandi castitatem, ad quam Clerici tenentur. *Secunda*; quia ex eodem consortio familiari saltem suspicio impudicitiæ nascitur apud populum. *Tertia* quia idem contubernium, & conversatio arcet Clericos à perfectione in illis requisita, *can. hospitalium 17. dist. 32. Quarta* quia excellentia ministerij Sacerdotalis summam requirit munditiem, quæ vix in cohabitatione mulierum suspectarum conservari potest.

4. Dico tertiò: conceditur tamen Clericis sæcularibus cohabitatio cum personis conjunctis in primo, & secundo gradu; cujusmodi sunt mater, avia, amita, matertera, soror, neptis, sive filia fratris & sororis. Ita Glossa, Zoës. Vallens. &c. Et constat ex *cap. à nobis 9. hoc tit.* Estque Ratio; quia in similibus personis (ut loquitur Papa Innocentius III. *cit. cap.*) naturale fœdus id est conjunctio sanguinis, nihil permittit sævi criminis suspicari: cùm ipsa natura abhorreat ab incestuosa copula, *cap. pen. de præsumpt* Quòd si tamen & tales mulieres conjunctæ de vita lubrica, & incontinentia essent suspectæ; etiam cum ipsis cohabitatio Clericis interdicta dignoscitur; uti constat ex *cap. 1. hoc tit.* Cæterùm Episcopis, & Religiosis simpliciter interdicta est cohabitatio quarumcunque mulierum, etiam conjunctarum; idque ob statum perfectiorem, *novel. 5. de Monachis cap. 3.* Et *auth. Episcopus, C. de Episcopis, & Clericis &c.*

5. Dico quartò: conceditur pariter Clericis cohabitare cum aliquibus mulieribus extraneis provectioris ætatis, aliàs honestis, & probis; uti & cum pedissequis, seu ancillis bonæ famæ; si res familiaris sinè his peragi nequeat. Ita Vallensis, Zoës. Et constat ex *can. interdixit 16. dist. 32.* Et est Ratio; quia circa hujusmodi mulieres infimæ sortis cessant causæ supra allatæ contra cohabitationem Clericorum cum mulieribus. Nec adversatur *cap. 1. hoc tit.* quod loquitur tantùm de illis pedissequis, & alijs extraneis fœminis, de quibus suspicio esse posset.

6. Dico quintò: Clericus sacris initiatus, instituens scandalosam cohabitationem, & conversationem cum muliere suspecta, si ter monitus non desistat ab ejusmodi consortio, & alloquio suspecto, excommunicandus est; fœmina verò canonicè punienda. Ita Abbas, Vallens. Zoës. &c. Et statuitur in *cap. si quisquam 2. hoc tit.* Estque Ratio; quia de hujusmodi Clerico præsumitur fornicationis crimen.

7. Dico sextò: à fortiori Clericis inhibita est cohabitatio cum fornicaria, seu concubina notoria; imò & conversatio, ac consuetudo cum eadem alibi existente. Ita communis DD. Et habetur in varijs capitulis *hujus Tit.* Et in Trident. *Sess. 25. de Reform. cap. 14.* ubi dicitur, *quàm turpe, ac Clericorum nomine, qui se divino cultui addixerunt, sit indignum impudicitiæ sordibus, immundoq; concubinatu versari, satis res ipsa communi omnium fidelium offensione, summoq; Clericalis militiæ dedecore testatur. Ut igitur ad eam, quam decet continentiam, ac vitæ integritatem Ministri Ecclesiæ revocentur, populusq; hinc eos magis discat revereri, quò vita honestiores cognoverit, prohibet S. Synodus quibuscunque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detinere, aut cum illis ullam consuetudinem habere audeant.*

8. Nota secundò: Clericus beneficiatus notoriè concubinarius ab Episcopo ter monitus, ut removeat, vel non frequentet concubinam, nec eandem recipiat; si nihilominus contempserit eam dimittere, aut abstinere ab ejus consuetudine, suspendendus est à beneficijs Ecclesiasticis, & fructibus eorum privandus, donec congruè satisfecerit: quòd si verò sic suspensus adhuc eandem retinere, aut frequentare præsumpserit, removendus est in perpetuum ab ijsdem beneficijs, & penitùs privandus; ita habetur in *cap. sicut 4. hoc tit.* Tridentinum verò *Sess. 25. cap. 14. de Reform.* post primam statim admonitionem mulctat talem concubinarium privatione tertiæ partis fructuum: post secundam privat omnibus fructibus, & pensionibus; imò & administratione, donec resipiscat: quòd si autem nihilominus eam retineat, inhabilitat ad omnia beneficia, & officia, usque dum emendetur. Sed si Clericus talis beneficiatus reassumeret concubinam dimissam, aut adjungeret sibi alias similes scandalosas fœminas, præter prædictas pœnas, etiam excommunicationis gladiô jubet plectendum. Clericus non beneficiatus concubinarius pœnâ carceris, suspensionis ab ordine, & inhabilitationis ad omnia beneficia obtinenda, alijsque modis est puniendus. Episcopus verò concubinarius monitus à Synodo provinciali, & non emendatus, ipsô factô suspenditur; & si perseveret, ad Sum. Pont. à Synodo est deferendus pro recipienda castigatione.

9. No-

9. Nota tertiò: etsi Clericus concubinarius præfatis modis possit puniri, & compelli ad dimittendam concubinam; non tamen potest adstringi ad abjurandam concubinam; ob periculum perjurij; *cap. Clericos 3. hoc tit.* Quando ejus crimen concubinatûs est ita publicum evidentiâ facti, ut meritò censeatur esse notorium; tunc ad ejus condemnationem instituendam nec testis, nec accusator, nec trina monitio necessaria sunt. Si verò sit publicum tantùm ex fama; tunc testimonia bonorum virorum, inter quos habitat Clericus talis, non sufficiunt ad ejus condemnationem; sed insuper testes jurati requiruntur; uti habetur *cap. tua nos 8. hoc tit.* Censetur autem tunc concubinatus esse ex evidentia facti notorius, si Clericus domui suæ alat filios ex concubina susceptos; & concubinam, ut uxorem tractet; simul in eodem lecto concubinæ decumbat, &c. ut notat Glossa.

10. Nota quartò: secundùm veteres Canones, scilicet *can. nullus 5.* Et *can. præter hoc 6. dist. 32.* vetitum erat audire Missam, & alia Divina Clerici concubinarij notorij; uti & Sacramenta ab eo percipere: quod statutum erat, ut cæteri à peccandi licentia retraherentur; & ij qui peccaverunt, ad pœnitentiam, ac emendationem perducerentur; uti habetur *can. ult. caus. 15. q. ult.* Verùm juxta recentiores Canonum sanctiones signanter *cap. vestra*; Et *cap. ult. hoc tit.* dicendum est, quòd cùm Clericus concubinarius notorius quoad se tantum sit suspensus, ob mortale peccatum; ita ut non percipiat fructus Divinorum mysteriorum, & Sacramentorum; non verò quoad alios; ideò in Missa, vel alijs Divinis Officijs non est vitandus, quàm diu toleratur ab Episcopo. Quod ulteriùs patet ex Extravag. *ad evitanda*, quod sustulit obligationem evitandi in Divinis censuratos, ita ut fideles hodie non teneantur evitare in Divinis alios censuratos, quàm excommunicatos nominatim, ac publicè denunciatos, & notorios percussores Clericorum; de quorum numero cùm non sit Clericus concubinarius notorius quoad se tantùm suspensus; ideò fideles ejus Divina audire possunt, quam diu toleratur.

TITULUS III.
DE CLERICIS CONJUGATIS.

CAP. I.
De Cœlibatu Clericorum Latinorum.

1. NOta primò: Pertinet quoque ad bona intrinseca, & probos mores, ac honestatem Clericorum cœlibatus; quare de eo *hic* proponitur *Titulus*. Intelligitur autem per *Clericum conjugatum* is, qui aliquando contraxit matrimonium. Et sunt Clerici conjugati in duplici differentia; quidam sunt, qui inierunt conjugium ante Ordines susceptos; quidam verò post ordines susceptos & de utrisque *hoc tit.* tractatur.

2. Dico primò: Clerici Latini regulariter debent esse cælibes: præsertim constituti in Sacris Ordinibus. Ita communis DD. Et habetur *cap. quòd à te 3. hoc tit.* Et pluribus Canonibus relatis *dist. 28.* Et *cap. meminimus 3.* & *pen.* ac *ult. qui Clerici vel foventes*; Ratio etiam est primò; quia ut dicitur *cit. cap. Clericus conjugatus simul voluptatibus, & carnalibus desideriis, ac Divinis Ecclesiasticis obsequiis vacare non valet*; nam secundùm Apostolum *1. ad Cor. 7. qui cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt Mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* Ratio est secundò; quia stante conjugio Clericorum redditus Ecclesiastici, aliàs in pios usus destinati, non essent in tuto; cùm de facili in uxores, & liberos, aliasque profanas causas possent expendi. Ratio est tertiò; quia Clericus cœlebs est in majori reverentia apud populum; magisque hospitalis erga pauperes, & peregrinos. Ratio est quartò, congruentia Sacerdotij novi Testamenti perfectioris, & mundioris; nam si Sacerdotes veteris Testamenti ministrantes Domino in sacrificijs illis imperfectis, & figurativis, ac manducantes panes duntaxat propositionis, debebant eo tempore abstinere à mulieribus; quantò magis decet Sacerdotes novi Testamenti ministrantes in sacrificio perfectissimo, cujus hostia est divina, & manducantes immaculatum Corpus Christi, esse ab omni mulierum commercio, atque usu matrimoniali alienos; & planè cælibes.

3. Dico secundò: votum continentiæ, & cælibatus Clericorum est vetustissimus, & jam à temporibus Apostolorum quoad Cleri-

cos in sacris constitutos in usu Ecclesiæ, saltèm Latinæ. Ita Vallens. Strein. Bellarm, Becan. & communis DD. Catholicorum; contra Calvinum, Melanthon, Lutherum, & alios hæreticos, falsò asserentes ante annos 400. primò introductum fuisse cælibatum. Et constat *primò* ex canone 25. Apostolico. Et ex Concil. vetusto Eliberino anno 313. celebrato. Et Concil. Cathaginensi an. 396. celebrato. Et ex Concil. Aurelianensi an. 573. celebrato; in quibus cælibatus præscribitur Clericis in Sacris Ordinibus constitutis. *Secundò*, idem constat ex pluribus authoritatibus veterum SS. PP. qui copiosè afferuntur *tota dist.* 25. & locò Canonum statuuntur. *Tertiò* eundem cœlibatum veteres leges civiles referunt; ut videre est *L. cum qui*; Et *Authent. multo magis C. de Episc. & Clericis, & similibus.*

4. Dico tertiò: Cœlibatus Clericorum in sacris constitutorum non Jure divino; sed Ecclesiastico, & à Sacris Canonibus veteribus, atque novis annexus fuit statui Clericali; præsertim Sacris Ordinibus. Ita communis DD. Et Ratio est; quia nusquam extat aliquod Jus Divinum, præscribens cœlibatum statui Clericali. Et Græcis Sacerdotibus hactenus licitus fuit usus matrimonij; uti patet ex *cap. 6. hoc tit.* quod non procederet, si cœlibatus Clericorum esset de Jure Divino. Est ergo tantùm introductus ab Ecclesia per leges Ecclesiasticas humanas, relatas pro *prioribus conclus.* & ex causis, ibidem tactis.

5. Dico quartò: ad colendum cœlibatum Sacris Ordinibus annexum tenetur etiam ordinatus cum ignorantia legis Ecclesiasticæ, votum continentiæ annectentis Ordinibus Sacris; uti & ordinatus cum intentione interna expressa non continendi. Ita Zoësius, Azorius, Sanc. Navarr. &c. Ratio primi est; quia ordinatus cum tali ignorantia videtur laborare ignorantiâ crassâ, vel affectatâ; cùm lex Ecclesiastica annectens Sacris Ordinibus votum continentiæ, seu cœlibatum, sit sufficienter promulgata, & ita obvia, ut vix invincibiliter ignorari possit: ac proinde ignorantia talis ordinati non excusat eum ab observando, & colendo cœlibatu. Ratio secundi est; quia ordinatus cum interna expressa voluntate non servandi continentiam ex instituto Ecclesiæ, censetur ordinatus juxta præsentes leges, ordinantes cœlibatum, quas nemo privatâ intentione invertere potest, *L. nemo 55. ff. de legatis.*

6. Dico quintò: ordinatus ante annos pubertatis non obligatur ad cœlibatum; uti nec ordinatus per metum injustum; similiter quando ordinatio seu collatio Ordinis fuisset irrita. Ita Zoësius, Azor. Abbas, Joan. Andr. &c. Ratio primi est: quia cœlibatus, seu votum continentiæ est res magni momenti, in qua proinde non facilè adstruenda est obligatio ante ætatem. Et quia alia vota solemnia emissa ante annum 16. ætatis non obligant; ut dicetur infra *tit. de Regularibus*: ideo idem dicendum de isto voto. Ratio secundi est; quia alia vota metu extorta irrita censentur, ob defectum libertatis requisitæ: ergo idem dicendum de voto continentiæ, & cœlibatûs. Ratio tertij est; quia non subsistente principali; nec subsistit id, quod in consequentiam venit ejus nomine, secundùm Reg. Jur. *L. nihil 129. §. ff. de Reg. Jur.* collatio autem Ordinis est principale, & cœlibatus est ejus consequens, seu id quod in consequentiam venit nomine collationis Ordinis: Ergo quando irrita est collatio Ordinis, etiam non tenet obligatio cœlibatûs.

CAP. II.

De Clericis Conjugatis, qui fuêre tales ante susceptum Clericatum.

1. Dico primò: Conjugati possunt quidem permissu uxorum admitti ad Clericatum, sacrosque Ordines suscipiendos; sed in Ecclesia Latina priùs perpetuam continentiam debent vovere; & uxorem duxisse unicam, eandemque virginem. Ita Glossa, & communis DD. Primum constat ex usu, & praxi Ecclesiæ, admittentis quandoque conjugatos probæ vitæ ad Clericatum, & Ordines Sacros. Secundum patet ex *cap. sanè 2. hoc tit.* junctâ Glossâ verb. *virginem.* Estque Ratio; quia cum Clerici obire debeant officia, & ministeria sacra, ac divina, quorum pleraque Sacros Ordines requirunt; vel saltèm propositum illos suscipiendi aliquando, quibus continentia est annexa; ideo conjugatus volens fieri Clericus, & suscipere Sacros Ordines, meritò priùs perpetuam continentiam vovere debet; quinimò & ipsa uxor mansura in sæculo votum continentiæ emittere debet, si provectioris sit ætatis, ita ut extra periculum incontinentiæ esse videatur: si verò sit juvenis, Religionem debet intrare; uti constat ex *cap. conjugatus 5. de convers. conjug.* juncta Gloss. verb. *ab uxore.* Et *can. Episcopus 6.* & ibi Glossa, *dist. 77.* Estque Ratio; ut hac viâ clericandus magìs arceatur à repetendo usu conjugij.

2. Dixi in conclusione, *in Latina Ecclesia conjugatos clericandos debere priùs perpetuam castita-*

ſtitatem vovere: quia in Eccleſia Græca conjugati tranſeuntes ad Clericatum non emittunt ſimile votum; ſed & permittitur ipſis uſus matrimonij cum uxore, ante Clericatum ducta, *can. Nicæna.* Et *can. quoniam diſt. 31.* excepto tamen illo die, quo altaris miniſterio debent deſervire; ut habetur *cit. can. quoniam.*

3. Dico ſecundò: ſimiliter ante Clericatum ſuſceptum facti conjugati poſſunt in Latina Eccleſia admitti ad beneficia Eccleſiaſtica, & adminiſtrationes eorum; ſed non priùs, quàm uxores eorum ingrediantur Religionem; aut continentiam voveant; aut aliàs non ſint ſuſpectæ de incontinentia. Ita Zoëſius, & communis DD. Et habetur in *cap. ſanè 2. hoc tit.*

4. Dico tertiò: Clerici præfato modo conjugati non ſunt admittendi ad dignitates Eccleſiaſticas Eccleſiæ Latinæ; & ſi quas jam obtinuiſſent, cogendi ſunt ut eaſdem dimittant. Ita Gloſſa, & communis DD. Et deciditur in *cap. cum decorem 8. hoc tit.* Eſtque Ratio; quia ſpeciem pravi exempli, & ſcandali præfefert in Eccleſia Latina, Clericum conjugatum obtinere dignitatem Eccleſiaſticam, *cap. cit.*

5. Dico quartò: dicti Clerici conjugati permiſſu uxoris, votum continentiæ emittentis, vel profitentis in Religione, Clericali ſtatui incorporati & alicui Eccleſiæ deſervientes, ac habitum & tonſuram deferentes, gaudent privilegijs ſtatûs Clericalis. Ita communis DD. Ratio eſt; quia ab Eccleſia cenſentur veri Clerici, & habiles ad munia Eccleſiaſtica, uti alij Clerici.

CAP. III.

De Clericis conjugium ineuntibus poſt ſuſceptum Clericatum.

1. Dico primò: Clericus minoribus Ordinibus duntaxat initiatus poteſt validè contrahere matrimonium; & ſi continere ſe nequeat, permittendus eſt nubere. Ita communis DD. Et habetur *can. ſi qui verò diſt. 32.* Eſtque Ratio; quia hujuſmodi Ordinibus non eſt annexum votum caſtitatis perpetuæ.

2. Dico ſecundò: ſtatim autem ac Clericus minoriſta fit conjugatus, amittit omnia beneficia. Ita Gloſſa, Abbas, Barboſ. &c. Et colligitur ex *cap. 1. hoc tit.* Et eſt Ratio; quia beneficium Eccleſiaſticum cenſetur cum hac tacita conditione eſſe Clerico Minoriſtæ collatum, ut non aſſumat ſtatum cum tali beneficio incompoſſibilem, cujuſmodi eſt ſtatus matrimonij ex ſenſu Eccleſiæ, per text. *cap. 3. & 5. hoc tit.* Et ſi aſſumat ſtatum talem incompoſſibilem, cenſetur tacitè renunciâſſe beneficio Eccleſiaſtico obtento, *arg. cap. ex tranſmiſſa 2. de renunc.* Et quia ſimul carnalibus deſiderijs, ac Divinis, & Eccleſiaſticis Officijs vacare non valet, atque propter immunditiam ſuam Sacramentis tractandis eſt indignus; uti loquitur *cap: quod à te 3. hoc tit.* Et quidem ipſo Jure cenſentur omnia beneficia Eccleſiaſtica talis Clerici conjugati vacare; uti habent *cit. DD.* & conſtat ex *cit. cap. 1. hoc tit.* ubi Papa mandat, ut Epiſcopus Clericos ejuſmodi conjugatos compellat ad beneficia relinquenda; & conſequenter, dum dicit *relinquenda eſſe*, ſupponit, quòd non ſit opus novâ ſententiâ privatoriâ; uti notat Gloſſa, & Engel. Ex his

3. Infertur primò: Clericum Minoriſtam nubentem ipſo Jure amittere etiam penſiones Eccleſiaſticas, titulô Clericali aliàs collatas; ut habet Sanch. Pirh. &c. quia & hic adverſatur ſtatus conjugalis. Similiter idem Clericus amittit acceſſum, regreſſum, & alia quæcunque Jura ad beneficium Eccleſiaſticum, ipſi aliàs competentia; cujuſmodi eſſet acceſſus per reſcriptum Apoſtolicum conceſſus ad proximè vacaturum beneficium; uti habet Vallenſ. Pirh. &c. Et patet ex *Clement. gratiæ; de reſcriptis.* Nec redeunt Clerico ſimilia Jura, aut recuperatio beneficiorum amiſſorum, ſi uxor ejus ante conſummationem matrimonij moreretur; vel monaſterium ingrederetur; ut habet Zoëſ. Vallenſ. & communis DD. quia quod ſemel extinctum eſt, non reviviſcit ampliùs; licèt cauſa extinguens ceſſet; uti conſtat ex *can. quàm periculoſum, cau. 7. q. 1.* Et *Clement. cit. gratiæ.*

4. Nota primò: non incurrit tamen talis Clericus conjugatus privationem beneficiorum ipſo Jure per ſola ſponſalia, de futuro contracta; uti habet Garc. Sanch. Barboſ. Engel &c. Ratio eſt; quia per ejuſmodi ſponſalia Clericus nec dum actu aſſumpſit ſtatum incompoſſibilem cum beneficio Eccleſiaſtico; ſed ipſa ſunt tantùm via ad illum ſtatum obtinendum; ut notant *cit. DD.* Similiter ſi Clericus Minoriſta beneficiatus contrahat matrimonium invalidum ob aliquod impedimentum dirimens, v. g. conſanguinitatis, cenſent plures DD. Vallenſ. Sanch. Leſſ. Pirh. Garc. contra Zoëſ. & alios, ipſo Jure non amitti beneficia Eccleſiaſtica; ſed opus eſſe ſententiâ

Judicis. Ratio est; quia non præstat impedimentum quod de Jure non sortitur effectum, inquit *Reg. Jur. 52. n. 6.* Et quod nullum est, nullum potest producere effectum, *L. si se 4. §. condemnatum ff. de re judicat.* cùm ergo tale matrimonium nullum sit, non inducit Juris effectum. Nec etiam extat ullus textus Juris decidens solam attentationem cum ipso facto irrito sufficere in hoc casu; ut rectè notat Vallens. hic. Pariter si Clericus impubes cum sponsa impubere, aut etiam pubere contrahat matrimonium, quod irritum est ob defectum ætatis; & malitia non suppleat ætatem (ejusmodi matrimonium resolvitur in sponsalia de futuro *cap. unic. de sponsat. impub. in 6.*) talis Clericus non amittit ipso Jure beneficia; ut habet Glossa, Vallens. Pirh. Sanch. & suadent rationes pro priori casu tactæ.

5. Dico tertiò: cùm Clerico Minorista transeunte ad legitimum conjugium tempore Clericatûs tametsi virginem duxerit, & Clericalem habitum, ac tonsuram deferat, certæq; Ecclesiæ deservire velit, Episcopus nequit dispensare, ut beneficium Ecclesiasticum obtineat; sed hoc solus Summus Pontifex præstare potest. Ita Glossa, Abbas, Garc. Sanch. contra Innoc. Imol. &c. Et colligitur ex *cap. diversis 5. hoc tit.* Ratio etiam est; quia Episcopus nequit dispensationem dare contra S. Canones; nisi id ei expressè concessum sit: juxta autem S. Canones talis Clericus Minorista conjugatus non est capax beneficij Ecclesiastici; sed censetur ut Laicus; *cap. Joannes 7. hoc tit.* adeoque cum illo nequit dispensari ab Episcopo, ut beneficium Ecclesiasticum obtineat.

6. Dico quartò: Clericus in minoribus constitutus contrahens matrimonium etsi desuper deferat habitum Clericalem, & tonsuram, perdit omnia privilegia Clericalia, duobus exceptis (de quibus *sequenti conclusione*) & tanquam Laicus censetur. Ita Zoës. Vallens. Sanch. Pirh. & communis. Et habetur *cap. Joannes 7. hoc tit.* Et *cap. ex parte 9. hoc tit.* unde talis non est ampliùs exemptus à solutione vectigalium, exactionum regiarum, &c.

7. Dico quintò: Clericus in minoribus constitutus, & legitimô conjugiô copulatus, si nihilominus habitum Clericalem, & tonsuram stabiliter deferat, ac alicui Ecclesiæ deserviat, & ministret, contraxeritque cum unica, eâque virgine, retinet privilegium Canonis, & Fori. Ita communis DD. Et deciditur in *cap. Clerici unic. hoc tit. in 6.* Et in Trident. *Sess. 23. cap. 6. de Reformat.* Consistit autem *privilegium Canonis* in hoc, quòd nemo violentas manus in eum possit injicere; & eas injiciens incidat in Excommunicationem latæ sententiæ. *Privilegium fori* autem in hoc, quòd ad judicium sæculare propter commissos ab eo excessus, vel delicta non possit trahi. Sed utrumque etiam perdit, si non servet conditiones in conclusione allatas: unde qui initô conjugiô abjicit habitum, & tonsuram Clericalem, & delinquit; postea verò eadem reassumit, ut declinet jurisdictionem sæcularis potestatis; non gaudet privilegiô Fori; uti habet Vall. & Pirh. & constat ex *cit. cap. un. hoc tit. in 6.*

8. Nota secundò: Clericum minoristam conjugatum gaudere quidem privilegiô Fori; sed in solis causis criminalibus; non verò in civilibus; uti cum communiori DD. tenet Zoës. Abbas, Joann. And. Vallens. Anchard. contra Engel, Farin. &c. Idque constat ex *cap. un. hoc tit. in 6.* quòd expressè loquitur de solis causis criminalibus. Et sanè congruentia major erat præfatum Clericum excipiendi à Judicio sæculari quoad causas criminales; & non quoad Civiles; quia indecentiùs est in causis criminalibus, in quibus agitur ad vindictam, Clericum subdi foro sæculari; quàm in causis civilibus, in quibus agitur de restitutione debiti; uti observat Zoës. Quare

9. Dico sextò: Clericus in Sacris Ordinibus constitutus nequit ulla ratione ducere uxorem; & si desuper ineat conjugium, erit invalidum; non manet tamen ipso Jure privatus beneficiô; sed eô privari potest in pœnam delicti. Ita Glossa, Abbas, Garc. &c. Primum, & secundum definitur in Tridentin. *Sess. 24. can. 9.* Et patet ex canonibus pro 1. *conclus. cap. 1.* allegatis. Tertium desumitur ex *cap. sanè 4. hoc tit.* ex quo constat tales Clericos tantùm esse suspendendos ab officio; & post actam pœnitentiam posse eidē restitui. Et est Ratio; quia talis Clericus non censetur assumpsisse statum incompatibilem cum beneficio Ecclesiastico; cùm matrimonium ejus sit irritum, & nullum propter impedimentum dirimens voti castitatis, quod annexum est Sacris Ordinibus.

10. Nota tertiò: pœnas Clericorum in Sacris constitutorum, & contrahentium matrimonium esse sequentes. *Primò* compelli debent ad repellendam mulierem ductam; & ad pœnitentiam agendam de commisso peccato; etiam per pœnas suspensionis, & excommunicationis; ut dicitur *cap. 1. hoc tit.* *Secundò* efficiuntur irregulares, ita ut in susceptis Ordinibus ministrare nequeant; nec suscipere alios majores Ordines; ut notat Vallens.

lens. *Tertiò* sunt excommunicati ipso Jure, *Clement. unica; de affin. & consang.* reservatâ absolutione ipsi Episcopo; ut notat Glossa. *Quartò* incurrunt pœnam stupri, si virginem sub prætextu matrimonij violaverint; utì habet Dias, & Vall.. *Quintò* inquiri potest in ipsos, tanquam de hæresi suspectos; ut habet Vall. &c. DD.

TITULUS IV.

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS IN ECCLESIA, VEL PRÆBENDA.

CAP. I.

Qui Clerici teneantur ad continuam residentiam in Ecclesia, vel Præbenda.

1. NOta primò: spectat pariter ad probos mores Clericorum residentia eorum in Beneficijs: unde de ea *hic tit.* adjungitur. Per *Clericum non residentem in Ecclesia, vel præbenda* hìc intelligitur is, qui realem suam præsentiam, & personale servitium, ac ministerium non præstat in loco, ubi Beneficium Ecclesiasticum obtinet. Et per *Residentiam personalem* intelligitur reale, & personale servitium, ministerium, seu obsequium, quod personaliter præstat Clericus beneficiatus in loco beneficij; utì constat ex Flam. Vallens. Sylv. &c.

2. Dico primò: gravissimam obligationem residendi personaliter in suis Ecclesijs habent Patriarchæ, Primates, Archi-Episcopi, & Episcopi. Ita communis DD. Et habetur in Trident. *Sess. 6. de Reform. cap. 1.* ubi S. Synodus gravissimè *monet omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesijs quibuscunque, quovis nomine, ac titulo præfectos, ac monitos esse vult, ut attendentes sibi, & universo gregi, in quo Spiritus S. posuit eos, regere Ecclesiam DEI, quam acquisivit sanguine suo, vigilent, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant: implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque animarum suarum, quarum sanguis de eorum est manibus à supremo Judice requirendus, custodiæ minimè incumbant; cùm certissimum sit, non admitti Pastoris excusationem, si lupus oves devoravit, & pastor nescit.* Et in eodem capite etiam graves statuuntur pœnæ, contra præfatos Prælatos supremos Ecclesiarum non residentes.

3. Dico secundò: similiter Abbates, Priores, Præpositi, Parochi, & universim omnes beneficia talia obtinentes, quæ curam animarum habent annexam, gravissimè obligantur ad residentiam personalem in suis beneficijs. Ita Vallens. Pirhing. Engel, & communis DD. Et constat ex *cap. quia nulli 3. hoc tit.* Et quia de his verificatur vel maximè ille Canon *cap. fin. de rescriptis in 6.* beneficium datum propter officium; id est, personale servitium, ministerium, & curam personalem animabus commissis impendendam. Et quia in his electa est personæ industria, quæ per alium non suppletur; ut notat Zoës. Et quia his Pastoribus quoque incumbit personaliter invigilare suis gregibus, nè à lupis devorentur; aliàs sanguis animarum earum requiretur de manibus talium mercenariorum absentium juxta *cit. Trident.*

4. Dico tertiò: Cardinales Patriarchæ, Primates, Archi-Episcopi, Episcopi, Abbates, Præpositi, Priores, Parochi, & quicunque alij curam animarum habentes annexam suo beneficio, obligantur ad personalem residentiam tum Jure Ecclesiastico, tum Jure Divino. Ita Fagnan. Zoës. Vall. & communis DD. Et constat ex Trident. *Sess. 23. cap. 1. de Reform.* ubi dicitur, *Præceptô Divinô mandatum esse omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, Verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplô pascere,* &c. quæ omnia, ait idem Concil. paulò infra in *eodem cap.* præstari non posse absque assistentia; ac proinde obligat omnes præfatas personas ad personalem residentiam; sicque censet eam in ipsis esse Juris Divini.

5. Dico quartò: etiam Canonici Ecclesiarum, & aliam præbendam obtinentes in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis, quamvis curam animarum non habeant; attamen ex natura sui beneficij ad residentiam personalem in loco sui Canonicatûs obligantur; sed Jure Ecclesiastico tantùm. Ita Glossa, Azor. Engel, & communis DD. Et primum habetur in *cap. cùm ad hoc 16. hoc tit.* Et in Concilio Tridentino *Sess. 24. cap. 12. de Reform*

Estque Ratio; quia Canonicatus, & Præbendæ constitutæ, sunt à fundatoribus, ut Canonici, & Præbendarij intersint divinis officijs, atque servitijs Ecclesiarum; unde de ijs quoque procedit illud *cap. fin. de rescript. in 6.* beneficium datur propter officium. Ratio secundi est; quia cùm hujusmodi beneficia non habeant annexam curam animarum, non videtur obligatio in eis residendi esse Juris Divini; sed Ecclesiastici duntaxat.

6. Dico quintò: secundùm Jus commune etiam obtinentes beneficia duntaxat simplicia tenentur ad residentiam personalem. Ita Vallens. Pirh. Engel, & communis DD. Et habetur *cap. quia 3. hoc tit.* Et colligitur etiam ex *cap. ad hæc, 13. de præb.* Et est Ratio; quia de his quoque beneficijs intelligitur illud *cap. fin. de rescript. in 6.* Beneficium datur propter officium; ut notat Pirh. Et extenditur dicta conclusio etiam ad beneficium simplex, etsi modicum & tenue sit; uti colligitur ex *cap. conquerente 6. hoc tit.*

7. Dico sextò: demùm obligantùr quoque ad residentiam personalem Commendatarij perpetui, Episcopi, Abbates, Priores, & Præpositi, qui non in titulum; sed in commendam, vel administrationem obtinent Ecclesias aliquas. Ita Azorius, Pirhing. &c. Ratio est; quia hujusmodi Commendatariorum commendæ, & administrationes, cùm perpetuæ sint, æquipollent beneficijs titularibus Episcopalibus, & alijs. Et hoc idem patet ulteriùs ex Decreto Trident. super residentia edito; & ex Constitutione Pij IV. quæ incipit: *suprema* &c.

CAP. II.

Quæ pœnæ sint statutæ contra Clericos non residentes in Ecclesia, vel Præbenda.

1. Nota primò: variæ pœnæ decretæ sunt Jure antiquo, & novo Tridentini contra Clericos non residentes in Ecclesia, vel præbenda. Et *imprimis* Jure veteri Prælatus, & Clericus beneficiatus absentans se notabiliter à beneficio residentiam postulante, si debitè revocatus intra legitimum tempus non reassumat residentiam, sed contumax persistat, talis privandus est ejusmodi beneficiô, & alius eidem præficiendus, *cap. ex parte 8. hoc tit.* Et *cap. qualiter 9. eod.* Et *cap. inter 10. eod.* Ut autem non residens censeatur debitè revocatus ad residentiam beneficij, sufficit unica revocatio realiter intimata, & quæ ad ejus notitiam realiter perveniat; nec requiritur trina. Vel si malitiosè se absentet, ita ut revocatio eidem realiter intimari, & notificari non possit; sufficit tribus edictis publicis ad valvas Ecclesiæ affixis eum citare, & revocare, etsi postea expectatis adhuc 6. mensibus non revertatur, privandus est beneficiô. *Secundò* Clerici recedentes ab Ecclesia sua, & contumaciter nolentes reverti ad residendum, excommunicandi sunt *can. si qui 23. caus. 7. q. 1.* *Tertiò* Episcopi indebitè ad aliam Ecclesiam migrantes, & ad residendam primam non reverti nolentes, utroque Episcopatu privandi sunt, *can. si quis cit. caus.* Plures aliæ pœnæ taxantur in Canonibus *cit. causa 7.* contra eosdem Clericos non residentes in suis Ecclesijs, & beneficijs, sed recedentes ad alias diœceses, vel beneficia.

2. Nota secundò: Jure verò Tridentini *primò* innovat eadem S. Synodus *Sess. 6. de Reform. cap. 1.* mox allatos, & alios quoscunque antiquos Canones, contra Pastores non residentes olim promulgatos. *Secundò* contra Patriarchas, Primates, Metropolitas, & Episcopos, qui ultra sex menses continuos absque rationabili causa absunt ab Ecclesijs commorantes extra diœcesim, statuit pœnam subtractionis quartæ partis fructuum unius anni, applicandorum fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus loci, ipso jure incurrendam. Et si rursus per alios sex menses absint, decernit ipso jure iterum aliam partem quartam fructuum sibi applicandam. Crescente autem ulteriori contumaciâ denunciandi sunt Summo Pontifici, ut is de alijs Pastoribus provideat Ecclesijs taliter destitutis residentiâ Prælatorum. *Tertiò* eadem Synodus postea *Sess. 23. cap. 1. de Reform.* decernit, ut illi, qui præsunt Cathedralibus Ecclesijs, & ultra bimestre, vel ad summum trimestre non resident, præter reatum peccati mortalis, pro ratu temporis fructus non faciant suos; nec tutâ conscientiâ, & aliâ declaratione non secutâ, illos sibi retinere possint; sed fabricæ, aut pauperibus loci applicandi sunt.

3. Nota tertiò: similiter Parochi, & alij curam animarum habentes, in Ecclesijs Cathedrali inferioribus ultra bimestre, aut trimestre à suis Ecclesiis absque rationabili causa absentes, reatum culpæ mortalis contrahunt, & fructus perceptos pro ratu temporis restituere tenentur; & si per edictum citati, contumaces fuerint, per censuras Ecclesiasticas, aliaque Juris remedia, etiam usque ad privationem, compelli possunt. Contra obtinentes autem dignitatem, vel Canonicatum, Præbendam, vel portionem in Cathedralibus, vel

vel Collegiatis Ecclesijs, & per notabile tempus non residentes absque rationabili causa, & facultate, ab eodem Concilio *Sess. 24. cap. 12. de Reform.* statutæ sunt sequentes pœnæ; ut primô annô privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos aliàs ratione etiam præbendæ & residentiæ faciunt suos. Quòd si rursus eâdem negligentiâ usi fuerint, priventur totaliter omnibus fructibus, quos tali anno essent percepturi. Crescente autem contumaciâ procedatur contra eos secundùm S. Canones, qui extant *tit. de Clericis non residentibus*; videlicet, ut si talis beneficiatus perseveraverit in absentia à suis Canonicatibus & præbendis privetur & fructibus, & ipsis beneficijs; ex declaratione Congreg. Conc. apud Joan. Gallemart.

CAP. III.

Quæ causæ excusent à continua residentia in Ecclesia, vel præbenda.

1. NOta primò: varias tamen extare causas, ob quas Clerici beneficiati excusantur à continua residentia in Ecclesia vel præbenda. Concilium Tridentinum *Sess. 25. cap. 1. de Reform.* affert quatuor, quæ sunt evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas; debita obedientia; urgens necessitas; & Christiana charitas: quas omnes sequentibus breviter perstringam. Unde

2. Nota secundò: ob primam, videlicet *evidentem Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitatem* excusantur à continua residentia Beneficiati, etiam Curati, si absint à beneficio ad prosequendam litem super Juribus sui beneficij, vel Ecclesiæ, cui est incorporatus; & ad eadem defendenda, *cap. ex parte 13. hoc tit.* Item si vocentur ad Synodum generalem, vel diœcesanam; ut notat Azor. Pirh. &c. Item si absint studiorum causâ in aliqua Universitate, petitâ tamen priùs facultate à superiore, *cap. tue fraternit. 12. hoc tit.* Et *cap. ult. de Magistris*; quod intelligendum est tam de beneficiatis studentibus; quàm de docentibus.

3. Nota tertiò: ob secundam causam, scilicet *debitam obedientiam* excusantur à residendo; *imprimis* Clerici beneficiati, mandatô Summi Pontificis avocati ad aliquod ministerium ejusdem, *cap. cùm dilectus 14. hoc tit.* *Secundò* ab Episcopo proprio in ministerium incompatibile cum residentia assumpti, *cap. de cætero 3. hoc tit.* Et *cap. ad audientiam 15. hoc tit.*

4. Nota quartò: propter tertiam causam videlicet *urgentem necessitatem* excusantur beneficiati à continuanda residentia; si v.g. ingruat bellum, & hostium incursiones, *arg. can. pastoralis 42. caus. 7. q. 1.* si incidat aëris intemperies; si contagio grassetur, aut sæva pestis; si adveniat corporis infirmitas, seu gravis morbus in loco beneficij non curabilis, *can. præsentium 3. caus. 7. q. 2.* Et *cap. ad audientiam 15. hoc tit.* Tempore tamen pestis grassantis tenetur beneficiatus Curatus alium idoneum ministrum substituere, ut notat Rebuff. Laym. Pirh. &c. Item si inimicitiæ capitales à Domino, vel Præfecto loci contra beneficiatum excitentur post beneficium jam oblatum, poterit ad tempus abesse à suo beneficio, substitutô tamen Vicariô habili; ut habet Glossa, Quarant. &c.

5. Nota quintò: propter quartam causam, nimirum *Christianam charitatem* excusantur beneficiati à continuatione residentiæ, si absint de consensu Papæ, vel Ordinarij causâ succurrendi saluti proximorum, v. g. ad componendas graves inimicitias, aut lites exortas; ut notat Barbosa, Laym. Pirh. &c.

6. Nota sextò: afferri possunt præterea & aliæ nonnullæ causæ, excusantes Clericos Beneficiatos à residentia continuanda: videlicet *primò* senium, ob quod nequeunt Divinis interesse; ut habet Vallens. & Weyms. *Secundò* dispensatio Apostolica, vigore cujus quis plura beneficia, & præbendas simul habere potest, v. g. duos Canonicatus &c. hoc enim casu censetur Papa dispensâsse super residentia alterius; cùm nemo utrinque commodè residere, id est deservire possit cultui divino, *cap. non potest 21. de præb. in 6.* *Tertiò* indulgentia Canonis, quatenus nimirum Canones connivent, ut Beneficiati ad breve tempus quovis anno abesse possint ab Ecclesia: hac ratione Episcopi sinè graviori causa, *ex æqua tamen; & sinè detrimento sui gregis, quod eorum conscientiæ relinquitur*, ut loquitur Trident. *Sess. 23. cap. 1. de Reform.* per duos, aut ad summum tres menses, nullâ petitâ licentiâ à sua diœcesi possunt abesse; quoniam ut dicit idem *Conc. cit. qui aliquantisper tantùm absunt, ex veterum Canonum sententia* (& fictione Juris) *non videntur abesse; quia statim reversuri sunt.* Dummodo hi in festis solemnibus, videlicet *Nativitatis Domini, Dominici Adventûs, Quadragesimæ, Paschatis, Pentecostes, & Corporis Christi, quibus refici, & maximè in Domino gaudere Pastoris præsentiâ oves debent, illam absentiam non instituant*, ut monet eadem S. Synodus *loc. cit.* Similiter ex eodem cap. & causa Curati quicun-

quicunque quotannis ad modicum tempus; & forsitan ad bimestre ex æqua causa, & absq; gregis dispendio, abesse possunt ut habet Pirh. Canonici ad tres menses, etiam absque Episcopi licentia; ut habet Engel, &c. DD.

7. Nota septimò: præterea *quartò* pro causa sufficienti, excusante à continuanda residentia, est legitima facultas superioris. Ex hoc capite de licentia Papæ (qui tamen justam debet habere causam eam concedendi; cùm residentia sit Juris Divini) possunt beneficiarij Curati, ut Episcopi, Parochi, & similes curam animarum habentes, etiam ad longum tempus abesse à suis Ecclesijs, & beneficijs; uti notat Pirh. Azor. &c. Similiter alij beneficiati quicunque ex eadem facultate abesse possunt; & quidem ad arbitrium Papæ, & sinè causa justa; cùm horum residentia sit tantùm Juris Ecclesiastici, quod absque causa justa is potest relaxare. Ex eodem cap. pariter excusantur ad tempus à residendo in beneficijs suis etiam curatis illi Clerici, qui ab Episcopo ex justa causa obtinent facultatem non residendi ad tempus breve, quod boni viri arbitriô est relinquendum, juxta exigentiam negotij, & necessitatem; cùm in Jure nihil sit expressum; & Layman putat hoc tempus posse esse etiam integrum annum. Possunt autem Episcopi hujusmodi concedere facultatē cum rationabili causa, ex præsumpta Papæ voluntate; ut notat Pirh. cùm ob frequentes casus occurrentes graves ad eum non possit dari recursus. Et idem dicendum de alijs Prælatis, ordinariam jurisdictionem habentibus; ut notat Abbas, Glossa, Azor. &c. Et de Capitulo Sede vacante, secundùm Azor. cùm hoc succedat Episcopo in ijs, quæ sunt jurisdictionis necessariæ. Attendere autem debent omnes præfati Superiores, concedentes facultatem non residendi beneficiatis curam animarum habentibus, ut per idoneos Vicarios generales quò ad Episcopos; & per particulares quoad Curatos minores, cura animarum debitè exerceatur, absque detrimento gregis.

8. Nota octavò: similiter *quintò* legitima, & immemorabilis consuetudo pluribus in locis permittit Clericis beneficiatis, ut abesse possint quantocunque tempore, à suis beneficijs simplicibus etiam absque facultate speciali superioris; dummodo alij Vicarij constituantur, per quos Divinum Officium persolvatur; ut habet Abbas, Azor. Rebuff. &c. Imò consuetudine immemorabili introduci potest, ut tales beneficiarij abesse possint, etiam absq; omni substitutione Vicarij, qui Divinū Officiū persolveret; dummodo adsint alij ministri sufficientes ad perficiendum Divinum Officium talis Ecclesiæ, in qua obtinent beneficia simplicia: ut habet idem Azor. & Pirh.

9. Nota nonò: tandem etiam *Sextò* statuto peculiari talis Ecclesiæ introduci potest, ut Clerici in Cathedralibus, aut alijs Ecclesijs obtinentes dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, non obligentur residere juxta præscriptum Juris communis; ut habet Garcias, Navarr. Laym. Pirh. &c. Quare in pluribus Germaniæ Cathedralibus statutò peculiari talium Cathedralium introductum est, ut alicubi tantùm mediô annô; alicubi tantùm tribus mensibus Canonici teneantur residere, ad lucrandos fructus grossos, juxta *cit. DD.* unde ibidem constitutio Tridentini Conc. ut videlicet Canonici per seipsos psallant, & Divina Officia peragant, non est sortita suum effectum; sed Divina Officia peraguntur per Vicarios; uti videtur in perpetua praxi Cathedralium earundem.

10. Nota decimò: quicunque Clerici beneficiati non residentes, seu absentes ob aliquam ex hactenus allatis causis justis, & rationalibus recipere possunt fructus grossos, annexos suo beneficio, vel Præbendæ; & pœnas Juris contra non residentes evitant: Ratio est; quia per fictionem Juris censentur præsentes. Verumtamen distributionibus quotidianis non gaudent; uti mox ostendam. Sunt autem *Distributiones* quædam portiones Ecclesiasticorum reddit.uum, quotidiè distribui solitæ illis duntaxat Clericis, qui statutis horis interveniunt ad Divina Officia; dè quibus fit mentio *cap. unic. hoc tit. in 6.* Et in *cap. licet 32. de præb.* & alibi; & à Bonifació VIII. *cap. cit. unic.* vocantur *beneficia manualia, & victualia.* Hæc dantur ideo Clericis, ut magis excitentur ad Divinum Officium recitandum; ut notat Zoëf. In illis Ecclesijs, ubi nulla sunt bona instituta pro congregandis ejusmodi Distributionibus, ordinat Tridentinum *Sess. 21. cap. 3. de Reform.* ut pars tertia fructuum, & quorumcunque proventuum, ac obventionum tam dignitatum, quàm Canonicatuum, personatuum, portionum, & Officiorum separetur, & ex ea fiant distributiones quotidianæ: quam tamen constitutionem dicit Layman non esse ubique in praxim deductam.

11. Nota undecimò: ad percipiendas Distributiones quotidianas Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum habent jus soli Canonici, & alij Clerici beneficiati earundem, qui & resident in ejusmodi Ecclesijs, & simul statutis horis intersunt Divinis Officijs; ut habe-

habetur *cap. consuetudinem unic. hoc tit. in 6.* Ex quo patet illum Canonicum, vel alium Clericum beneficiatum non habere jus ad percipiendas distributiones quotidianas, qui quidem residet in Ecclesia sua; sed statutis horis absque rationabili causa negligit accedere chorum ad Divina perficienda; ut notat Navarr. Pirh. &c.

12. Nota duodecimò: excipiuntur tamen nonnullæ causæ, ob quas si Canonici, vel alij beneficiati non accedant chorum, & statutis horis non intersint Divinis, nihilominus jus habent ad percipiendas distributiones. *Prima* est justa & rationabilis corporalis necessitas, *cap. unic. hoc tit. in 6.* si v. g. Canonicus talis Ecclesiæ sit valde senio confectus; vel medicinam sumat; vel sanitatis causâ abeat ad thermas; vel ob contagionem grassantem; vel capitalem inimicum ad tempus recedat ab Ecclesia; ut notat Azorius, Pirh. &c. vel propter aliud quodcunque grave damnum honoris, vitæ, vel fortunæ declinandum discedat; uti advertit Palao, &c. *Secunda* est infirmitas *cap. unic. cit.* in quam incidit Canonicus, vel alius beneficiatus, & impeditur propterea ab accessu ad Ecclesiã pro Divinis Officijs: etiamsi propriâ culpâ ei causam dedisset; ut notat Covarr. & Azor., quia *cap. cit.* non distinguitur de infirmitate, ex qua causa oriatur. *Tertia* est evidens Ecclesiæ propriæ utilitas, *cit. cap. unic.* v. g. si Canonicus vel alius beneficiatus Romam mittatur in negotijs suæ Ecclesiæ, ut habet Barbosa. Vel jura suæ Ecclesiæ defendat; ut tenet idem Barbos. Vel si deputetur Vicarius Capituli Sede vacante, & propterea cogatur à quotidiano Officio Divino abesse in Diœcesi; ut observat Garcia. Vel si Canonicus mittatur ad Concilium generale, vel provinciale, ut ait Barbos. Vel sit Pœnitentiarius, & excipiat confessiones tempore Divinorum, juxta Trident. *Sess. 24. cap 8. de Reform.* Idem dicendum de Lectore, & Concionatore talis Ecclesiæ, eo tempore quo legit, vel concionatur; ut habet Garcia. *Quarta* dispensatio Apostolica; ut si Canonicus obtineat à Papa privilegium, quòd etiam absens possit percipere distributionem; ut notat Joann. Andr. *Quinta* injusta alicujus Canonici suspensio, excommunicatio, vel exclusio à Divinis, ac exilium; ut dicit Navar. Covar. Barbos. & Zoës.

13. Nota decimotertiò: qui in eadem Cathedrali gaudet duplici beneficio, & officio, v. g. Archidiaconi, & Canonici, probabiliùs non potest percipere duplices distributiones; ut docet Zoësius, & alij; contra Felin. & Abbat. Ratio est; quia distributiones elargiendæ sunt propter exercitium in divinis; quod cùm non duplicetur in illo Clerico, qui duplici gaudet beneficiô, & officiô in eadem Cathedrali; prôpterea nec distributiones ejus sunt duplicandæ.

CAP. IV.

De residentia Prælatorum Ordinis S. Francisc.

1. Dico primò: Prælati, & Superiores Ordinis nostri Franciscani curam animarum habentes tenentur ad residentiam. Ita communis DD. Ordinis. Et habetur in Constit. General. Ord. *cap. 8. §. 51. n. 2.* Estque Ratio; quia residentia est Juris Divini; uti constat ex Trident. *Sess. 23. cap. 1. de Reform.* Et *Sess. 6. cap. 1. de Reform.* adeoque ejus obligatio etiam afficit Prælatos, & Superiores Ordinis Franciscani.

2. Nota primò: si tamen absentiam legitimet Christiana Charitas, ut prædicatio, parentum subventio, vel consolatio; vel evidens Reipublicæ utilitas, ut pacificatio Conventuum; vel Jurium Provinciæ defensio; vel reformationis promotio; vel alterius Provinciæ visitatio; vel urgens necessitas, scilicet ad recuperandam salutem, vel vitandam hostium incursionem, vel pestem; tunc memorati Prælati, & superiores ad breve tempus abesse possunt à residentia, puta ad unam, vel alteram septimanam; dummodò subditorum detrimentum grave exinde non emergat; uti habent Constit. General. *cap. 8. §. 51. n. 1.* Et Reform. *cap. 8. num. 36.* quoad unam septimanam.

3. Nota secundò: Minister Provincialis ob gravem aliquam causam ex Provincia discessurus, necessariò priùs instituere debet Commissarium Provincialem, qui Provinciam regat; & quidem is suffragijs PP. Diffinitorum eligendus est, eô modô, quô eligitur Minister; scilicet nemine proponente; & per excessum, ac pluralitatem votorum; prout declaravit S. Congregatio Episcoporum, & Regularium in una Romana ann. 1645. teste Lantusca in *Theat. Regular.* verb. *Commissarius Provincialis.* Si tamen Minister Provincialis ad breve tempus, v. g. octo, vel forsitan etiam quatuordecim dies discessurus sit extra Provinciam, non videtur obligandus ad institutionem Commissarij Provincialis, supposito, quòd per hoc non causetur detrimentum Provinciæ. Ratio utriusque dicti est; quia

secundùm Concil. Trident. *Sess. 23. cap. 1. de Reform.* qui aliquantisper tantùm absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse; quia statim reversuri sunt. Deinde primum de octo diebus suadetur ulteriùs ex Trident. *Sess. 24. cap. 16.* ubi octo dies conceduntur pro electione Vicarij Sede Vacante: unde cùm talis deputatio Vicarij fiat, ut viduatæ Ecclesiæ interim provideatur; & indulgeat Concilium tempus octo dierum, signum est, tale tempus non esse magnæ considerationis. Secundo dicto de quatuordecim diebus favet Constitutio Generalis Ord. *cap. 8. §. 51. n. 1.* ubi dicitur indefinitè licere ex certis causis supra *notabili 1.* expressis, superioribus abesse à residentia per unam, aut alteram hebdomadam; qui favor utique etiam extendi potest ad Ministros Provinciales.

TITULUS V.

DE PRÆBENDIS; ET DIGNITATIBUS.

CAP. I.

Quid sit Præbenda; & dignitas; & quotuplex.

1\. Nota primò: postquam *prioribus quatuor titulis* actum est de bonis intrinsecis animi, & corporis Clericorum, seu de probis eorum moribus, & actibus honestatem vitæ eorum exprimentibus; *hoc tit.* Papa aggreditur explananda bona extrinseca eorundem, quæ sunt præbendæ, beneficia Ecclesiastica, dignitates &c. Ly autem *Præbenda* derivatur *à præbeo*, id est *porrigo*, quasi Præbenda sit portio canonica, seu Ecclesiastica, quæ præbetur, seu porrigitur Clerico, *cap. vacante 26.* Et *cap. dilectus 27 hoc tit.* ne is alimenta per mendicationem, & vilem quæstum; vel per negotiationem sæcularem quærere cogatur, in opprobrium Ordinis Clericalis.

2\. Nota secundò: tametsi Ly *Præbenda, Canonia, beneficium Ecclesiasticum*, & *Canonicatus* aliquomodo distinguantur inter se; ita ut nomine *Præbendæ* veniat jus quoddam percipiendi proventus Ecclesiasticos tanquam uni de collegio competens, & ex Canonia procedens. Nomine *Canoniæ* verò intelligitur vel ipse locus, & Collegium Canonicorum; vel jus quoddam spirituale, quod ex electione, vel institutione alicujus in Canonicum resultat, & tribuit stallum, sive Sedem in Choro, & vocem in Capitulo. Nomine *beneficij Ecclesiastici* officium Ecclesiasticum, quod est antiquius Præbendâ, uti declarat Boër. *Comment. in cap. 1. de testam.* Demum nomine *Canonicatûs*, honor, vel status personam Præbendarij concernens; non verò bona. Attamen non tantùm in *hoc titulo*; sed & alijs quibusdam locis Juris Canonici hæc nomina Præbenda, beneficium Ecclesiasticum, Canonia, & Canonicatus confunduntur, & ut synonima usurpantur, pro omni beneficio Ecclesiastico, saltèm inferiori, quod in aliquo collegio, vel corpore alicujus Ecclesiæ acquiritur, in ordine ad obtinendos annuos redditus ex bonis communibus talis Collegij, vel Ecclesiæ; uti constat ex *cap. pen. de V. S.* & *can. si quis dator.* Et *can. ex multis, verb. constituimus caus. 1. q. 3.* Ac proinde de Præbenda, ut coincidit cum Ecclesiastico beneficio imposterum *hoc tit.* agetur. Quare

3\. Nota tertiò: Ly *Præbenda*, & *beneficium Ecclesiasticum* tripliciter etiam usurpatur: nam aliquando capitur pro ipso collegio, loco, seu Ecclesia, ubi Præbenda, vel beneficium Ecclesiasticum est constitutum; sic dicimus talem Canonicum non residere in Præbenda, seu beneficio. Aliquando accipitur pro statu, gradu, seu honore, & officio Ecclesiastico; quo sensu dicimus, talem obtinere Præbendam, vel beneficium Ecclesiasticum in tali Ecclesia Cathedrali. Aliquando, & propriè ad propositum *hujus tituli* usurpatur, pro Jure percipiendi fructus, & proventus Ecclesiasticos, ratione Canoniæ, seu Officij. Et in hoc sensu

4\. Dico primò: rectè describitur hic Præbenda, seu beneficium Ecclesiasticum in genere, quòd *sit jus perpetuum percipiendi redditus, seu fructus ex bonis Ecclesiasticis, propter aliquod spirituale servitium, seu Officium, quod Ecclesiæ authoritate est constitutum.* Ita Less. Valens. & communior DD. Ly *Jus* est genus; reliqua ponuntur pro differentia. Explanantur autem singulæ partes hujus descriptionis: Per ly *Jus* intelligitur potestas exigendi, & percipiendi redditus ex bonis Ecclesiasticis. Per ly *perpetuum* ostenditur stabilitas Præbendæ,

dæ, quatenus ipsa non datur ad tempus; sed in titulum perpetuum; utì constat ex *can. 2. dist. 70.* illis verbis, *in qua Ecclesia* &c. seu quatenus ex institutione sua in perpetuum conferri potest; licèt beneficiatus aliquando inde recedat. Et per ista verba *jus perpetuum* differt Præbenda à Commenda temporali; quippe quæ non datur in titulum; nec tribuit jus in beneficio; sed solam administrationem; utì advertit Navarr. Ly *percipiendi redditus, seu fructus*, insinuat finem constitutionis Præbendæ; quia æquum est, ut qui altari servit, de altari etiam vivat, *cap. cùm secundùm 14. hoc tit.* victitatio autem ista fit mediante perceptione redditûum, seu fructuum Ecclesiasticorum. Ly *ex bonis Ecclesiasticis*, id est, ex bonis DEO dicatis, & Ecclesiæ donatis à Christi fidelibus ad cultum, & obsequium DEI, ut videlicet præcisè in ministrorum Ecclesiæ, & pauperum sustentationem expendantur; unde etiam vocantur patrimonium Christi, *cap. cùm secundùm 16. hoc tit.* Ly *propter spirituale servitium, seu officium* innuit, Præbendam dari propter ministerium in Ecclesia tali exercendum; nam beneficium datur propter officium, id est, ob spirituale seu Ecclesiasticum servitium, *cap. ult. de rescript. in 6.* Illud tandem *quod Ecclesiastica authoritate est constitutum*, vult Officium, seu ministerium Præbendæ annexum ab Episcopo, vel alio Prælato Ecclesiastico debere erigi, secundùm formam S. Canonum; nullum enim beneficium Ecclesiasticum potest absque canonica institutione obtineri, juxta *Reg. Jur. 1. in 6.* ita ut ante Episcopi constitutionem non censeatur beneficium Ecclesiasticum; ut habet communis DD. in *can. nemo 9.* Et *can. nullus 25. dist. 1. de consecrat.*

5. Dico secundò: Dignitas, de qua hìc, rectè describitur, quòd *sit praeminentia quædam, habens adjunctam jurisdictionem, & administrationem rerum Ecclesiasticarum.* Ita Vall. Abbas &c. Ly *praeminentia* est genus; reliqua ponuntur pro differentia. Hujusmodi Dignitates sunt communiter Præpositura, Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia sæcularis, & regularis. Circa divisionem Præbendæ, seu beneficij Ecclesiastici

6. Nota quartò: Præbenda, seu beneficium Ecclesiasticum est multiplex, utì hìc notant omnes Interpretes: *Primò* enim alia sunt beneficia sæcularia, alia regularia. *Sæcularia* sunt, quæ solent conferri Clericis sæcularibus, id est, qui absque professione Religiosa DEO in sæculo militant, & deserviunt; talia sunt hodie canonicatus Cathedralium Ecclesiarum. Possunt autem talia esse vel ex fundatione, vel consuetudine, vel præscriptione legitima 40. annorum, *cap. cùm de beneficio 5. hoc tit. in 6.* Et *cap. cum Ecclesia, de causa possess. & propr. juncto cap. vigilanti, supra de præscript.* *Regularia* sunt, quæ religiosis personis, certam aliquam regulam professis conferuntur, & per Regulares administrantur: idque vel ex fundatione, vel superioris institutione, vel præscriptione legitima 40. annorum *arg. cap. vigilanti, de præscript.* talia sunt beneficia certarum capellarum in monasterio erectarum.

7. Nota quintò: *Secundò* ex Præbendis seu beneficijs Ecclesiasticis tam sæcularibus, quàm regularibus, alia sunt duplicia; alia simplicia. *Duplicia* dicuntur, quæ habent annexam aliquam qualitatem, seu præeminentiam, jurisdictionem, vel administrationem. Et ex his quædam sunt sublimia, ut Papatus, Cardinalatus, Patriarchatus, Primatus, Archi-Episcopatus, & Episcopatus; de quibus varij extant canones. Quædam verò sunt media; cujusmodi sunt reliquæ dignitates post præfatas sublimes in Ecclesia introductæ, quas supra *concl. 2.* definivi, & recensentur communiter istæ, Præpositura, Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia sæcularis, & regularis; item Prioratus regularis, & Præpositura. Quædam tandem sunt inferiora præfatis, ut Personatus, qui est honor quidam, & præeminentia Sedis, & aliorum, sinè jurisdictione: item officium Thesaurarij, Cantoris, Primicerij, Sacristæ, & Parochi, ut notant Zoës. Abbas, Garc. &c. *Simplicia* sunt, quæ nullam habent annexam qualitatem, vel præeminentiam, vel jurisdictionem, vel administrationem; sed solam obligationem Divina Officia celebrandi, & frequentandi; talia sunt Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ; capellaniæ ibidem; commendæ perpetuæ beneficij non curati; beneficia Assisij, seu Mansionarij, cujusmodi sunt illi, qui præter Canonicas in Ecclesijs Cathedralibus, vel Collegiatis obtinent integras portiones, vel dimidias; item præstimonia, hoc est portiones ex Ecclesiasticis redditibus detractas, quæ Clericis adolescentibus v. g. conferuntur ad prosequenda studia literarum. Item hospitalia, quibus absque cura animarum præest Rector. Item altaria, oratoria, quæ dantur Clericis in titulum perpetuum: item Canonicatus regularis, & Monachatus; ac capellaniæ regulares, fundatæ in Monasterijs.

8. Nota sextò: *Tertiò* dividuntur benefi-

cia in collativa, electiva, & mixta. *Collativa* sunt, quæ acquiruntur per collationem, aut alium modum, quàm per Electionem; talia sunt illa, quibus non est annexa aliqua dignitas, & liberâ collatoris voluntate conferuntur. *Electiva* sunt, quæ acquiruntur per debitam electionem à superiore confirmandam; cujusmodi sunt Papatus, Patriarchatus, Episcopatus, &c. *Mixta* (quæ, & *patronata* dicuntur) sunt, quæ ad præsentationem patroni ab Episcopo, vel alio Prælato conferuntur; talia sunt pleræque Parochiæ.

9. Nota septimò: *Quartò* dividuntur beneficia in curata, & non curata. *Curata* sunt, quæ habent annexam curam animarum: quod contingere potest dupliciter: *Primò* quoad forum interius, quatenus nimirum beneficiatus potest administrare Sacramenta, verbum DEI annunciare, &c. *Clement. 2. §. verum &c. de sepultur.* talia beneficia sunt Parochiæ pleræque. *Secundò* quoad forum exterius, & contentiosum, quatenus beneficiatus potest ea exercere, quæ sunt jurisdictionis spiritualis; cujusmodi sunt inquirere, excommunicare, absolvere, &c. de quo Tridentin. *Sess. 23. cap. 1. de Reform.* talia beneficia sunt Archidiaconatus *cap. 1. de Offic. Archid.* Et Archipresbyteratus *cap. 1. de Officio Archipresb. Beneficia non curata* sunt, quibus non est annexa ulla cura animarum.

10. Nota octavò: *Quintò* partiũtur beneficia in patrimonialia, & non patrimonialia. *Prima* sunt, quæ conferri possunt duntaxat Clericis ex tali patria, loco, vel parochiâ oriundis. *Secunda* sunt, quæ quibuslibet Clericis, tam patriotis, quàm extraneis possunt conferri. Dantur etiam beneficia quædam monocula, & non monocula. *Monocula* dicuntur ea, ad quæ conferenda tantùm Prælatus habet potestatem. *Non monocula* sunt, quæ etiam ab alijs possunt conferri. Item reperiuntur quædam, quæ sunt Juris patronatûs; quæ videlicet conferuntur dependenter à patrono. Quædã quæ non sunt Juris patronatûs, quæ nimirũ independenter à patrono conferuntur. Rursus intitulantur quædam Beneficia manualia, & quædam non manualia. *Manualia* appellantur illa, quæ ad nutum conferentis avocari possunt; & propterea *revocabilia* dicuntur; ut notat Azor. talia sunt ferme omnia regularia beneficia, quæ nec curata, nec electiva sunt; sed authoritate Prælatorum regulariter conferuntur; ut Prioratus claustralis, Officium Custodis, Procuratoris; item capellaniæ ab Episcopo constitutæ, & ad ejus nutum amovibiles. Ejusmodi beneficia non sunt propriè beneficia. *Non manualia* sunt, quæ in perpetuum titulum conferuntur, & irrevocabilia sunt; ita ut beneficiatis absque gravi rationabili causa auferri non possint; talia sunt beneficia sæcularium, suâpte naturâ perpetua, *can. præcepta 16. dist. 55.*

11. Nota nonò: beneficia regularia ordinariè nequeunt conferri Clericis sæcularibus; nec è converso, *cap. cum de beneficio 5. hoc tit. in 6.* Et *cap. cum singula 32. eod.* Attamen potest beneficium regulare Clerico sæculari conferri, si is quoque emittat professionem, *cap. cum causam 27. de elect.* Similiter beneficium sæculare potest conferri Clerico regulari, ob manifestam necessitatem, & de consensu superioris, *Clement. cit.* junctâ Gloss. verb. *sæcularis.* Et quidem si beneficium sit juratum, requiritur consensus, & dispensatio Papæ; uti declararunt Cardinales, apud Gonzal. & Piasec.

CAP. II.

De pluralitate, & incompatibilitate beneficiorum.

1. Dico primò: pluralitas beneficiorum sæcularium, etiam simplicium duntaxat, & residentiam non postulantium eidem Clerico sæculari vetita est, quando is ex uno eorum commodè potest sustentari. Ita Glossa, Sylv. Abbas, Azor. &c. Et constat ex *can. 2. dist. 70.* Et *can. 1. ac 2. caus. 21. q. 1.* Et *can. 1. caus. 13. q. 1.* Et *cap. adeo 17.* Et *cap. postulasti 27. de rescript.* Et *cap. quia in tantum 5. hoc tit.* Et ex Trident. *Sess. 24. cap. 17. de Reform.* Rationes etiam variæ eliminant pluralitatem talem beneficiorum, quas passim tangunt citati, & alij Canones: *Primò,* quia ejusmodi pluralitas plerumque oritur ex radice ambitionis. *Secundò* quia eadem præbet Clerico causam dissolutionis tam in moribus, quàm vestibus, & alijs. *Tertiò* quia singulis beneficijs debitè non inservitur; cùm vix unum ab uno dignè impleri valeat, *cap. 3. de Cleric. non resid.* *Quartò* quia eadem pluralitas invehit plura incommoda, quæ referuntur in *Extrav. execrabilis* Joann. XXII. *hoc tit.* Et hæc pluralitas beneficiorum ita vetita est, ut nec quidem consuetudine immemorabili contrarium induci possit, absque Sedis Apostolicæ dispensatione; uti constat ex Trident. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.* quod damnat ejusmodi consuetudinem, tanquam iniquam, & irrationabilem.

2. Dico secundò: quòd si verò unum beneficium non sufficiat congruæ sustentationi Clerici, licitè is potest plura sæcularia retinere, quæ aliàs ratione residentiæ personalis sunt

sunt incompatibilia. Ita Laym. Pirh. Azor. &c. DD. Et colligitur ex Trident. *Seß. 24. cap. 17. de Reform.* Estque Ratio; quia in his cessant motiva S. Canonum prohibentium pluralitatem beneficiorum.

3. Dico tertiò: similiter licitum est habere simul duo beneficia curata, quorum unum est accessoriè connexum alteri, v.g. Archidiaconatum habentem curam animarum, cui accessoriè annexa est Parochia Capituli, per Vicarium administrabilis. Ita communis DD. Et habetur *cap. super eo 6. hoc tit. in 6.* Estque Ratio; quia hujusmodi duo beneficia non ut duo; sed ut unum reputari debent; cum Ecclesia accessoria, v.g. Parochialis propter accessionem ad Archidiaconatum sortiatur naturam, & conditiones ipsius beneficij principalis, scilicet Archidiaconatûs, *arg. cap. accessorium 42. de Reg. Jur. in 6.* ideoque etiam Archidiaconus non tenetur residere per seipsum in tali Parochia; ut habet Glossa.

4. Dico quartò: etiam dispensatione Apostolica cum causa justa factâ, plura beneficia Ecclesiastica licitè obtineri possunt. Ita Navarr. Abbas, Rebuff. Et constat ex *cap. de multa 28. hoc tit.* Et ex *Clement. 1. ut lite pendente.* Ratio est; quia Papa est supremus Legislator Canonum; ac proinde eosdem potest relaxare, & concedere alicui Clerico justa de causa beneficiorum pluralitatem: causæ autem justæ dispensandi super pluralitate beneficiorum, sunt necessitas Ecclesiæ, magna utilitas ejusdem, & evidens prærogativa meritorum; uti colligitur ex *can. tali 17. caus. 1. q. 7.* Ob necessitatem Ecclesiæ rectè dispensatur, quando adsunt pauci idonei ministri; hinc in carentia Clericorum in diœcesi dispensatur cum uno Parocho, ut possit habere duas parochias, etiam pingues, ut hâc viâ populo Sacramenta administrentur. Ob utilitatem Ecclesiæ rectè dispensatur, si unus censeatur plus profuturus Ecclesiæ, etiam absens; quàm alius præsens: ex hac causa dispensatur cum filijs magnorum Principum, etiam ante ætatem, ut plures habere possint Episcopatus; cùm hi magis possint defendere Ecclesiam contra hæreticos. Ob prærogativam meritorum rectè etiam dispensatur, ut quis obtinere valeat plura beneficia; quare cum Cardinalibus sic dispensari potest, juxta *Extrav. Execrabilis* Joan. XXII.

5. Dico quintò: sed & pluralitas beneficiorum regularium; v.g. duorum Prioratuum prohibita est eidem Clerico regulari; nisi essent inter se connexa, & unum ab alio dependeat. Ita communis DD. Et deciditur in *cap. cum singula 32. hoc tit. in 6.* Circa incompatibilitatem beneficiorum

6. Nota primò; illa beneficia dicuntur incompatibilia, quæ vel ex Jure communi; vel ex consuetudine; vel ex statuto; vel ex fundatione simul retineri nequeunt; talia sunt duo curata beneficia non connexa accessoriè; duæ dignitates, duo personatus, aut alia duo officia, personalem residentiam requirentia, *cap. ad hæc 13. hoc tit.*

7. Nota secundò: beneficia incompatibilia sunt in duplici differentia; videlicet primi, & secundi generis. *Incompatibilia primi generis* dicuntur illa duo, quorum primum per pacificam adeptionem secundi vacat ipso Jure; talia sunt duo curata beneficia disjuncta; duæ dignitates, & alia, quæ jurisdictionem aliquam annexam habent, ut visitandi, corrigendi, excommunicandi, *cap. de multa.* Et *Extravag. execrabilis* Joann. XXII. *de præb.* Item unum cathedrale cum Parochiali, ex nova ordinatione Tridentini *Seß. 24. cap. 17. de Reform.* Item duo uniformia sub eodem tecto; id est in eadem Ecclesia, ad eandem functionem instituta, idemque onus habentia, eodem tempore explendum; cujusmodi sunt duo Canonicatus, vel duæ Capellaniæ ejusdem Ecclesiæ. Prius ex similibus beneficijs vacans reservatur Papæ per *Extravag. cit. execrabilis.* Nec Episcopus in his potest dispensare, ut simul obtineantur, *cap. cit. de multa.*

8. Nota tertiò: *Incompatibilia secundi generis* dicuntur illa duo, quæ simul retineri non possunt absque dispensatione; non tamen ita sunt incompatibilia, ut per pacificam adeptionem secundi, vacet primum; sed datur optio habenti, ut eligat retinendum; alterô verò potest per superiorem privari. Talia sunt Dignitas, & Canonicatus in diversis Ecclesijs; & reliqua residentiam quidem personalem requirentia; non tamen habentia curam animarum, dignitatem, personatum, vel officium annexum: nec sunt uniformia sub uno tecto; licet simplicia sint. Et quoad retentionem talium videtur posse Episcopum dispensare juxta Glossam communiter receptam in *cap. dudum 2.* verbô *intitulatam; de election.*

CAP. III.

De unione; & divisione Beneficiorum.

1. Dico primò: possunt quandoque fieri uniones diversarum Ecclesiarum, vel beneficiorum, si adsit vel evi-

evidens Ecclesiæ necessitas; vel ejusdem utilitas. Ita communis DD. Et habetur in *cap. exposuisti 33. hoc tit.* Censetur autem adesse evidens Ecclesiæ necessitas pro instituenda ejusmodi unione, & annexione Ecclesiarum, vel beneficiorum, si ob præbendarum tenuitatem non reperiantur Clerici, qui velint Ecclesias, vel beneficia acceptare, ex quo Ecclesia destituitur debitô ministeriô, & servitiô; ut notat Abbas. Item si duæ Ecclesiæ vicinæ adeò tenues habeant redditus, ut ad ordinariam sustentationem duorum Rectorum non sufficiant *can. unio 3. caus. 10. q. 3.* Item si Ecclesia sit devastata per hostes, *cap. 2. de Religios. domib.* Item si populus sit bellô, aut peste imminutus, *can. & temporis 48. caus. 16. q. 1.* Item si status alicujus Ecclesiæ sit deformatus, & disciplina in eo non servetur, *arg. cap. relatum 7. ne Clerici, vel Monachi.* Utilitas verò Ecclesiæ censetur adesse, si in Cathedrali tali non reperiantur tam idonei Ministri. Item ut cultus divinus augeatur; ut notant Abbas, Sanch. Rebuff.

2. Dico secundò: uniones Ecclesiarum, & beneficiorum quorumcunque spectant imprimis ad Summum Pontificem; aliquorum etiam potest facere Episcopus, Capitulum Sede Vacante, & Legatus à latere. Ita Glossa, Sanchez, Rebuff. &c. Ratio primi est; quia ut *Clementina I. ut lite pendente;* dicit *ad Romanum Pontificem, Ecclesiarum, personatuum, dignitatum, aliorúmque beneficiorum Ecclesiasticorum plena, & libera dispositio ex suæ potestatis plenitudine noscitur pertinere;* ac proinde idem Sum: Pontifex potest quorumcunq; beneficiorum, & Ecclesiarum uniones præstare. Et quidem Cathedrales, ac Metropolitanas is solus potest unire, *cap. sicut 38. de excess. Prælat.* Ratio secundi est; quia Episcopus beneficia suæ diœcesis ex justa, & gravi causa potest unire; uti constat ex *cap. cit. sicut.* nisi sint collationis Papalis; vel exempta à Jurisdictione Episcopali: item dummodo unio sit perpetua; & non ad dies beneficiati; ut notat Pirh. Ratio tertij est; quia Capitulum Sede Vacante succedit in ea, quæ sunt Jurisdictionis Episcopalis, *cap. unic. de majori. & obed. in 6.* ac proinde pariter potest unire ea beneficia, quæ alioquin poterat Episcopus. Ratio quarti est; quia Legatus à latere potest unire beneficia suæ Provinciæ, quæ conferre potest; imò & devoluta ad Papam; ut notat Abbas, Azor. &c.

3. Nota primò: Concilium Tridentinum varias edidisse ordinationes circa uniones beneficiorum Ecclesiasticorum; ut videre est *Sess. 7. cap. 6.* Et *7. de Reform.* Item *Sess. 23. cap. 18. de Reform.* Item *Sess. 24. cap. 13.* & *15. de Ref.* Item *Sess. 25. cap. 9.* quæ proinde ibidem sunt videndæ, & observandæ. Circa divisionem beneficiorum

4. Dico tertiò: etsi regulariter divisiones, dismembrationes, & sectiones beneficiorum prohibitæ sint, etiam ob reintegrationem alterius beneficij; attamen justis de causis quandoque fieri permittuntur. Ita Glossa, Garc. Pirh. &c. Primum habetur *cap. majoribus 8. hoc tit.* Et *cap. avaritiæ 10. eod.* Estque Ratio; quia per divisionem, & sectionem beneficia alterantur, atque immutatur status Ecclesiæ, cum suo præjudicio, & inducitur inæqualitas; quod æquitas non permittit. Secundum habetur in *cap. cùm 36. hoc tit.* Estq; Ratio; quia non decet unum altare denudari ad operiendum aliud; ut ait Abbas. Ratio tertij est; quia quando beneficium unum habet superabundantes redditus, meritò ab eisdem pars avelli, & beneficio alteri indigenti adjungi potest ab Ordinario: similiter si ob locorum distantiam, vel difficultatem Parochiani sinè magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & Divina Officia audienda accedere non possint ad unam Parochiã; tunc eadem potest ab Episcopo dividi in plures, etiam invitis Rectoribus; juxta Tridentinum *Sess. 21. cap. 4. de Ref.*

CAP. IV.

De reservatione beneficiorum.

1. Nota primò: per *beneficij reservationem* hìc intelligitur alicujus beneficij Ecclesiastici vacaturi, per superiorem potestatem habentem avocatio; ut notat Azor.

2. Dico primò: Papa potest justis de causis sibi reservare aliqua beneficia Ecclesiastica vacatura. Ita communis DD. Ratio est; quia Papa habet amplissimam potestatem de beneficijs Ecclesiasticis disponendi; uti constat ex *cap. 2. hoc tit.* Et ex *Clement. I. ut lite pendente.* Justæ autem causæ sunt sequentes: *Prima*, quia potestas conferrendi Ecclesiastica beneficia originatur à Papa, *can. 1. dist. 22.* *Secunda* quia ad Papam pertinet Ministros de Ecclesia bene meritos remunerare, quòd optimè potest fieri per reservationem beneficiorum vacaturorum, ijsdem Ministris tempore vacantiæ conferendorum. *Tertia* est, ut Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum in toto orbe sit major communicatio cum Ecclesia Romana Matre omnium Ecclesiarum; quæ communicatio plurimùm exercetur per reservatio-

vationem beneficiorum variorum, in toto orbe dispersorum.

3. Nota secundò: varia Summo Pontifici sunt reservata beneficia, quæ proinde ipse solus conferre potest. Sic *primò* in *cap. licet 2. hoc tit. in 6.* reservantur ipsi collationes omnium beneficiorum tam dignitatum, quàm personatuum, &c. quæ dicuntur in Curia Apostolica vacare; eò quòd beneficiati ibi moriantur eo tempore, quô negotia tractabant. Quòd si tamen Papa intra mensem à die vacationis numerandum ejusmodi beneficia non conferat; ij, ad quos collatio pertinebat, poterunt illa conferre; juxta Constitutionem Gregorij X. quæ refertur *cap. statutum 3. hoc tit. in 6. Secundò* pariter in Extravagantibus variorum beneficiorũ reservationes fiunt pro Sede Apostolica; ut videre est Extrav. *pia 1. hoc tit.* Et in Extrav. *execrabilis 4. hoc tit.* quæ est amplissima. Et in Extrav. *etsi, 3.* & *postulasti 10. hoc tit.* Et in Extravag. *cùm nonnulli 11. hoc tit.* Et in Extravag. *ad regimen 13. hoc tit.* inter communes, quæ est amplissima quoque; ubi Papa reservat suæ collationi, & provisioni, omnes Ecclesias Patriarchales, Archi-Episcopales, Episcopales, Canonicatus, præbendas, cæteraque beneficia sæcularia, & regularia, curata, & non curata, &c. Et in Extravag. *ad Romani 14. hoc tit.* inter communes. Et in Extravag *& supremæ 2. hoc tit.* Et pluribus alijs. *Tertiò* etiam per regulas Cancellariæ Apostolicæ factæ sunt plurimæ reservationes papales beneficiorum; quas vide apud Cochier, Azor. Pirhing. Garc. &c.

4. Nota tertiò: pariter *quartò* per Concordata Germaniæ, inita inter Nicolaum V. Papam, & Imperatorem Fridericum III. ac Principes Ecclesiasticos, sæcularesque Germaniæ ann. 1448. Papa sibi reservavit plura beneficia Germaniæ; quæ videri possunt in præfatis Concordatis; Et in Constit. *ad Sacram Petri Sedem.* Et ut summatim contenta in eis tangam; *Primò* Papa ibi sibi reservat omnia beneficia, de quibus loquitur celebris Extravagans, *ad regimen 13. hoc tit.* inter communes. *Secundò* concedit quidem Summus Pontifex omnibus Germaniæ Ecclesijs Metropolitanis, Cathedralibus, & Monasterijs liberam Electionem Prælati; attamen confirmationem eorum sibi reservat indistinctè. *Tertiò* promittit Papa, quòd per quamcunque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut aliam dispositionem nolit impedire, quò minùs de beneficijs, & dignitatibus inferioribus quibuscunque, quando ea vacabunt in mensibus Februario, Aprili, Junio, Augusto, Octobri, & Decembri liberè disponatur per illos, ad quos spectat collatio, provisio, præsentatio, vel electio. Quoties verò aliquod beneficium vacaverit in Januario, Martio, Majo, Julio, Septembri, & Novembri ipse Papa faciet provisionem, & collationem: quòd si tamen infra 3. menses à die vacationis notæ in loco beneficij non apparuerit provisio Apostolica circa id; tunc Ordinarius, vel alius, ad quem pertinet dispositio, illud liberè conferre potest. *Quartò* declarat Papa, qualiter *annata*, sive fructus primi anni de Ecclesijs Cathedralibus Germaniæ, & Monasterijs virorum exemptis à die vacationis Ecclesiarum juxta summam pecuniæ in Camera Apostolica taxatam, debeant solvi.

5. Nota quartò: sunt etiam *quintò* Sedi Apostolicæ reservata beneficia, quæ per confidentiam sunt accepta; ut patet ex Constit: Pij IV. incipit *Romanum Pontificem. Sextò* item spectantia ad Episcopos, si vacent vacante Sede; juxta Constit. Pij V. incipit *Sanctissimus. Septimò* beneficia collata Clericis prohibitis propter generis originem, aut hæresim, aut à fide apostasiam; uti habetur in Constit. Pij V. incipit *Ecclesijs. Octavò* beneficia illorum, qui offendunt litigantes in Curia Romana, aut eorum Judices, Advocatos, testes, & Procuratores; uti habetur in Bulla Alexandri VI. incipit *In eminentia.*

CAP. V.
De collatione beneficiorum.

1. Nota primò: per *collationem beneficij* hìc intelligi assignationem, seu concessionem beneficij Ecclesiastici vacantis, quæ fit ab habente potestatem. Et est duplex; libera scilicet, & non libera. *Libera* (de qua *hoc tit.* agitur) est concessio gratuita beneficij vacantis; seu quæ fit solo jure Prælati; unde & donatio vocatur, *cap. fin. de Officio Vicarij in 6. Non libera* (de qua *tit. 7.* infra) est concessio non gratuita; sed quam facit Prælatus ad præsentationem Patroni: seu est illa quæ non fit solo jure Prælati.

2. Dico primò: per collationem liberam rectè acquiruntur beneficia Ecclesiastica vacantia. Ita communis DD. Et habetur *cap. nulla, de concess. Prebend.* Et ostendit quotidiana praxis, quâ Clericis conferuntur beneficia Ecclesiastica à Papa, Episcopis, & alijs Prælatis, ad id potestatem habentibus.

3. Dico secundò: collationem omnium beneficiorum Ecclesiasticorum legitimam præstare potest Summus Pontifex. Ita communis

munis DD. Constat ex *cap. licet 2. hoc tit. in 6.* ubi dicitur, *licèt Ecclesiarum personatuum, dignitatum, aliorúmque beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere &c.* Idem constat ex *can. cuncta per mundum cau. 9. q. 3.*

4. Nota autem secundò: quòd tribus modis possit Summus Pontifex collationem beneficiorum facere. *Primò* Jure præventionis; quatenus certæ personæ mandat providere de beneficio, quod vacat in Ecclesia; vel proximè vacaturum est; qua ratione prævenit alium Collatorem Ordinarium; *cap. dudum 14. hoc tit. in 6.* *Secundò* Jure concursûs; quatenus Papa in conferendis beneficijs concurrit cum quibusvis alijs Collatoribus inferioribus; qua ratione in casu vacantiæ datur locus præventioni Papali: nam quamvis Papa cum alijs communicaverit Jus conferendi beneficia Ecclesiastica: sibi tamen non ademit eandem licentiam, *cap. dudum, hoc tit. in 6.* *Tertiò* Jure devolutionis; quatenus quando Ordinarius Collator tempus, intra quod facienda erat collatio, permisit elabi, & non contulit beneficium, tandem gradatim ad Papam devolvitur ejus collatio; ut patet ex *tit. de sup. neg. Prel.* Et *tit. de elect.*

5. Dico tertiò: similiter Legatus à latere in Provincia suæ legationis potest facere collationem beneficiorum sibi decretorum, & tempore suæ legationis vacantium, & cum quovis Ordinario concurrere; estque inter eos locus præventioni. Ita Glossa, Engel, Vall. &c. Et constat ex *cap. 1. & 2. de Offic. leg. in 6.* Et *cap. si à Sede 31. eodem in 6.*

6. Dico quartò: etiam Episcopi (idem dicendum de Patriarchis, & Archi-Episcopis) de Jure communi pollent potestate conferendi omnia beneficia suæ Diœcesis; utì & alij Prælati quasi Episcopalem Jurisdictionem, & territorium habentes. Ita Panormitan. Gloss. Engel &c. Primum de Episcopis habetur *cap. 3. de institut.* Et *cap. conquerente 16. de Offic. Jud. Ord.* Et *cap. ex injuncto 12. de hæret.* Estque Ratio; quia cura Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum beneficiorum est demandata Episcopo, *cap. 2. hoc tit. in 6.* Requiritur tamen secundùm probabiliorem opinionem Azor. Garc. Vallens. Pirh. etiam consensus Capituli quoad beneficia in ipsis Cathedralibus Ecclesijs conferenda; utì colligitur ex *cap. grave nimis 29.* Et *cap. cum Ecclesia 31. de elect.* Et *cap. novit 4. de his quæ fiunt à Prel. sine Consil. Capituli*; nisi statutô, consuetudine, vel privilegiô (quæ servanda sunt) aliter esset ordinatum, *cit. cap. cum Ecclesia.* Secundum docent Abbas, Pirhing. Gloss. Panorm. & communis DD. Estque Ratio; quia hi æquiparantur in suo territorio Episcopis.

7. Dico quintò: imò & Prælati quidam inferiores Episcopis, & quasi Episcopis, etiam carentes Jurisdictione ordinaria, ex fundatione, privilegio Papæ, consuetudine, & præscriptione obtinent interdum jus conferendi beneficia. Ita Engel, Zoës. Azor. &c. Et patet ex *cap. tenore 13. de concess. preb.* Et *cap. ult. de instit.*

8. Dico sextò: etiam Capitulum Sede vacante, vel Episcopo suspensô habet potestatem conferendi illa beneficia, quæ sunt simultaneæ collationis; id est, quæ spectant simul ad collationem Episcopi, & Capituli; utì & ea, quæ sunt necessariæ collationis: non item illa, quæ sunt liberæ collationis Episcopi. Ita Piasec. & Vall. Et constat ex *cap. unic. ne Sede vacante, in 6.*

9. Dico septimò: sed & Vicarius Generalis Episcopi collationem præstare potest illorum beneficiorum, quæ sunt necessariæ collationis; non verò illorum, quæ sunt liberæ, absque speciali licentia Episcopi. Ita Glossa, Piasec. Vallens. &c. Et habetur in *cap. fin.* junctâ Glossâ verb. *commissa, de Offic. Vicarij in 6.* Pariter Coadjutor Episcopi amentis potest conferre beneficia, quæ aliàs conferre poterat Episcopus; ut notat Zoës.

10. Dico octavò; tenet etiam collatio facta à possessore bonæ fidei; & qui est in quasi possessione Juris conferendi beneficium; quamvis is non habeat proprietatem. Ita Garc. Gonz. Pirh. Vallens. Ratio est; quia collatio beneficij numeratur inter fructus, qui ad bonæ fidei possessorem spectant; non ad Dominum proprietarium, seu habentem proprietatem; juxta *L. bonæ fidei 48. ff. de acquir. rerum domin.* Quare beneficiatus, qui obtinuit beneficium à tali bonæ fidei possessore præferri debet illi, qui à proprietario provisus est beneficiô, *cap. querelam, de elect.*

11. Dico nonò: Collatio beneficij validè quoque fieri potest à sequestro Clerico. Ita Azor. Garc. Castro, Palao &c. Ratio est; quia ejusmodi sequestro competit administratio rei sequestratæ non tantùm quoad temporalia; sed etiam quoad spiritualia, inter quæ numeratur collatio beneficij. *Clem. unic. de sequestrat. poss.*

12. Dico decimò: etsi Jure communi Laicus non sit capax conferendi beneficia Ecclesiastica; ex privilegio tamen Pontificio quibusdam Laicis personis potestas ea conferendi concessa reperitur. Ita Boërius, Abbas, Rebuff. Vallens. &c. Ratio primi est; quia

quia potestas conferendi beneficia est spiritualis, cujus Laicus de Jure communi non est capax, *cap. 2. de judic.* adeò ut nulla consuetudine etiam immemorabili temporis, vel præscriptione acquiri possit Laico, *cap. causam 7. de præscript.* Secundum patet ex eo, quòd Imperatori, & Regibus aliquando sit concessa potestas beneficia Ecclesiastica conferendi; uti colligitur ex *cap. dilectus.*

CAP. VI.

De qualitatibus promovendorum ad beneficia.

1. DIco primò; beneficia Ecclesiastica debent conferri dignis, & idoneis duntaxat Clericis, qui DEO, & Ecclesiæ velint, & valeant gratum impendere servitium. Ita communis DD. Et habetur in *cap. grave 29. hoc tit.* ubi etiam Collator Ecclesiasticus transferens beneficium in indignum Clericum, jubetur suspendi à collatione ulteriori beneficij præstanda; & in locum indigni promoti dignus substitui. Constat etiam ex Trident. *Sess. 24. cap. 1. de Reform.* quod sub peccato mortali ait obligatos Collatores ad conferenda beneficia Ecclesiastica idoneis Ministris. Unde regulariter in collatione beneficiorum non debet attendi ad nobilitatem, vel ignobilitatem; quia non generis, sed virtutum nobilitas, vitæque honestas DEO gratos facit *cap. pen. hoc tit.* nisi aliqua beneficia in prima fundatione, & de Papæ licentia essent constituta pro solis Nobilibus; uti sunt plura in Germania.

2. Dico secundò; imò in concursu dignorum, seu idoneorum cum dignioribus & magìs idoneis, beneficia Ecclesiastica curata conferri debent dignioribus, & magìs idoneis. Ita Covarr. Garc. Laym. Pirh. Piasec. Vall. &c. Et constat expressè ex Tridentin. *Sess. 24. cap. 1. & 18. de Reform.* Et *can. Metropolitano 10. dist. 63.* Estque Ratio; quia Collator aliàs esset infidelis, & non servaret fidem, quam Ecclesiæ ex officio tenetur servare; nam privaret Ecclesiam magnô commodô, quod ex promotione dignioris, ac magìs idonei ministri subsequeretur. Quoad Beneficia non curata putat Tambur. Garc. Pirh. &c. sufficere, si ea conferantur dignis personis; & videtur colligi ex ipso Tridentino *Sess. 7. cap. 3. de Reform.* quod dicit beneficia inferiora, & curata dignis, & habilibus esse conferenda. Nec adversantur Canones veteres, *can. Metropolitano cit.* Et *can. licet 15. caus. 8. q. 1.* & similes, mandantes ut dignioribus conferantur beneficia; quia hi loquuntur de promovendis ad beneficia Episcopalia, & alia curata; non verò de promovendis ad curata, & simplicia: vel ijdem sunt abrogati per *cit. Concilium Sess. 7.*

3. Nota primò: consistit autem præfata idoneitas Clericorum, requisita ad collationem beneficiorum in pluribus, quæ passim in Sacris Canonibus referuntur. Et *primò* debet Clericus pro suscipiendo beneficio habere ordinem Clericalem, saltèm primam tonsuram, *cap. cum contingat 11. de ætat. & qual.* *Secundò* debet habere ætatem legitimam, à Trident. *Sess. 23. cap. 6. de Reform.* Et *Sess. 24. cap. 12. de Reform.* taxatam; videlicet pro simplici beneficio 14. annos, pro dignitate, & personatu 22. & pro Curato 25. unde pueri non censentur idonei ad Ecclesiastica beneficia, *cap. super 35.* *Tertiò* debet esse legitimô thorô natus; quia patiens defectum natalium non censetur habilis ad Ordines, & beneficia Ecclesiastica suscipienda; nisi dispensetur, *cap. 1. & 2. de filiis Presbyt. in 6.* Et *cap. innotuit 20. de elect.* *Quartò* debet esse baptizatus *cap. 1. de Presbyt. non baptizato.* *Quintò* ut non sit hæreticus; nec filius hæretici, scilicet non tolerati; nec sit fautor, defensor, & receptor hæreticorum, *cap. quicunque 2.* Et *cap. statutum 15. de hæret. in 6.* *Sextò* ut non sit bigamus; de quo consule *tit. 21. de bigam. lib. 1. tom. 1.* digestum. *Septimò* nec sit censurâ excommunicationis scienter innodatus, *cap. postulasti 7. de Clerico excommun.* Nec censurâ suspensionis impeditus, *cap. dilectus, de consuet.* Nec interdictò suppositus; aut ejus violator, *cap. 1. de postulat. Prælat.* Nec sit affectus ulla irregularitate, ex quocunque capite ea procedat; nam obstant varia Jura irregularibus ex quocunque capite talibus, ut ad beneficia Ecclesiastica pertingere nequeant; & Collatio similibus facta, est nulla: unde ejusmodi beneficiati tenentur fructus perceptos restituere; ut habet Vall. & communis DD.

4. Nota secundò; præterea *octavò* Clericus beneficiandus non debet esse notatus de peccato persecutionis hostilis, capturæ, vel percussionis alicujus S.R.E. Cardinalis, aut filius, vel nepos talis Patris notati, *cap. felicis 5. de pœnis in 6.* Nec percussor Episcopi, vel coadjutor percussionis, vel capturæ ejus *cap. Clement. 1. de pœnis.* *Nonò* nec debet esse cæcus, ita ut horas Canonicas legere nequeat; nec simoniacus; aut simili impedimento canoni-

co irretitus, quod aversantur varij Canones. *Decimò* debet esse ita literatus, ut munus beneficio sibi collato annexum ritè subire valeat; de qua qualitate, & alijs in beneficiandis, ac ordinandis requisitis vide plura, quæ dixi *tom. 1. lib. 1. tit. 14. de ætate, & qualitate præficiendorum.* Tandem in collatione beneficij Ecclesiastici observari debent qualitates illæ, & conditiones honestæ, quæ à principio fundationis talis beneficij, vel inconcusso rationabili statuto, vel Apostolicis sanctionibus nō contrario; aut si contrarium sit, à Papa confirmato, in beneficiandis requiruntur.

CAP. VII.

Quid sentiendum de Præbendis, & Dignitatibus in Ord. S. Francisci.

1. DIco primò: defactò in Ordine S. Francisci de Observ. & Reform. non extant Præbendæ, seu beneficia Ecclesiastica propriè dicta; ita ut nec Generalatus totius Ordinis habeat naturam beneficij Ecclesiastici. Ita Sanctor. S. Severin. &c. Ratio est; quia Præbenda, seu beneficium Ecclesiasticum propriè dictum importat quoddam Jus perpetuum percipiendi redditus, seu fructus ex bonis Ecclesiasticis, *cap. cùm secundùm 14. hoc tit.* Et *can. perpetua, dist. 55.* Nullum autem officium in Ordine S. Francisci de Observ. & Reform. habet annexum hujusmodi Jus perpetuum; cùm sint aut annualia, aut triennalia, aut sexennalia, utì Generalatus. Præterea in *cap. exivit. de V. S. in 6.* aufertur Fratribus Minoribus omne Jus, reservato solo usu simplici facti rerum temporalium: beneficium autem Ecclesiasticum involvit aliquod Jus percipiendi redditus, & fructus: Ergo &c.

2. Dico secundò: extant tamen in Ordine S. Francisci de Observ. & Reform. dignitates Ecclesiasticæ. Ita Sanctor. Rodriqu. S. Sever. &c. Ratio est; quia Dignitas est præeminentia quædam, habens adjunctam Jurisdictionem, & curam animarum, ac administrationem rerum Ecclesiasticarum; uti notat Vallens. Abbas, &c. Plura autem officia in Ordine S. Francisci de Obser. & Reform. præseferunt ejusmodi eminentiam; cujusmodi sunt Generalatus, Commissariatus Generalis, Provincialatus, Visitoriatus Generalis, Custodiatus regiminis, Guardianatus, & Præsidentiatus; qui gradus omnes vel totius, vel partis Religionis curam habent; & eos gerentes sunt veluti Patriarchæ, Archi-Episcopi, Episcopi & Præpositi, Archidiaconi, Decani, vel Abbates; utì rectè notat Sanctor. Rodriqu. &c.

3. Dico tertiò: Diffinitoriatus, Discretatus, Vicariatus conventualis, Lectoratus Theologiæ, & Magisterium Novitiorum non recensentur in Ordine Minoritico inter Dignitates; etsi aliqua privilegia præcedentiæ annexa habeant. Ita Rodriqu. Sanctor. &c. Ratio est; quia memorata officia Ordinis Minoritici nec important præeminentiam cum Jurisdictione, & cura animarum subditarum, nec habent rerum Ecclesiasticarum administrationem; quæ duæ conditiones constituunt completam dignitatem, utì ex Rodric. nota Sanctor.

TITULUS VI.

DE CLERICO ÆGROTANTE; VEL DEBILITATO.

CAP. I.

Clericus ægrotans percipit fructus beneficij; sed eget Coadjutore.

1. NOta primò: quoniam *priori tit.* actum est de Præbendis, & dignitatibus Ecclesiasticis, quæ residentiam postulant consequenter: *hoc tit.* inquiritur, quid dicendum sit de Clerico ægrotante, & debilitato, qui residere nequit in Præbenda, & dignitate; num ejusmodi nihilominus tolerandus sit in beneficijs præfatis; & an percipere valeat fructus ejusdem.

2. Dico primò: Clericus verè ægrotans, ac debilitatus seniô, non est exuendus beneficiô Ecclesiasticô; quin potiùs omnes ejus fructus; imò & distributiones quotidianæ eidem sunt dandæ perinde, ac si esset sanus. Ita Navarr. Vallens. Zoes. &c. Et habetur *cap. 1. & 2. hoc tit.* Et *cap. unic. de Clericis non resident. si*

fidem. Estque Ratio; quia afflicto non est addenda afflictio, *can. cum percussio 2. caus. 7. q. 1.* & miserijs ægrotantis potiùs est miserendum, *cap. ex parte 5. hoc tit.* Procedit autem conclusio tunc tantùm, si Clericus ægrotus, dum sanus esset, solitus erat residere, & servitia Ecclesiæ præstare; ut notat Vallens. & si infirmitas sit gravis; ac talis, quæ sit immediata causa absentiæ; ut habet Pirh. &c. DD.

3. Dico secundò: si Clericus ægrotans sive sit Rector Parochialis, sive Episcopus, per ægritudinem efficiatur inutilis Ecclesiæ; non propterea est cogendus ad se abdicandum munere Ecclesiastico; sed Coadjutor ei adjungendus est, qui suppleat vices ejus. Ita Zoës. Vallens. Pirh. &c. Et habetur *can. 1. caus. 7. q. 1.* Et *cap. 3. & 4. & 5. & 6. hoc tit.* Debet autem ejusmodi Coadjutori assignari congrua portio ex redditibus Ecclesiæ pro sustentatione ipsius, *cit. cap. 3.*

4. Nota autem secundò: Episcopo, Archi-Episcopo, Primatibus, & Patriarchis solus Papa potest dare Coadjutorem; uti habetur *cap. pastoralis, unic. hoc tit. in 6.* Estque Ratio; quia assignatio Coadjutoris censetur esse inter majores causas, quæ in signum specialis prærogativæ sunt Sedi Apostolicæ reservatæ; cùm & mutationes Episcoporum sint de majoribus causis, *can. mutationes, 34. caus. 7. q. 1.*

CAP. II.

De Coadjutore ægrotantis Clerici.

1. NOta primò: Coadjutor dandus Episcopo pro sola administratione temporalium debet esse vir prudens, & in ea reversatus: pro administratione autem in spiritualibus, debet habere scientiam sufficientem, & pollere morum probitate; ut notat Abbas. Debet insuper explevisse annum trigesimum; hæc enim est ætas perfecta, requisita in omni Tutore, Curatore, & Procuratore, *L. si reliquero 8* junctâ Gloss. verb. *si perfectæ ætatis ff. de legit. tutor.* potest esse Clericus sæcularis; vel Religiosus cum sui Superioris tamen consensu. Hujus Coadjutoris officium est, gerere curam Episcopi, & Ecclesiæ, seu populi; uti colligitur ex *cap. ex parte 5. hoc tit.* Potestas verò ipsius sese extendit ad omnia exercenda, quæ competunt Episcopo sano, vel alij Prælato delegato; expresso tamen nomine dignitatis; non verò expresso nomine proprio personæ suæ, *cap. quoniam 14. de offic. deleg.*

2. Nota secundò: Coadjutor Episcopi non potest alienare res Ecclesiæ immobiles; imò nec mobiles pretiosas, *cap. unic. hoc tit. in 6.* Nec potest conferre beneficia Episcopalia liberæ collationis; si Episcopus ægrotans adhuc habeat sensus integros. Tenetur reddere plenam rationem suæ administrationis, tum Episcopo (si sanæ mentis sit) tum Capitulo, vel Prælato Successori, uti dicitur *cap. unic. hoc tit. in 6.* Parochi Coadjutor debet habere ad minus 25. annos ætatis; & is potest esse vel Clericus sæcularis; vel Religiosus de superioris sui Regularis consensu; Assignatus ab Episcopo, vel alio Superiore majore legitimo. Coadjutorium Officium finitur non morte dantis; sed naturali, vel civili (id est depositione, aut renunciatione) Rectoris Parochialis, vel Episcopi, cui datus fuit; uti constat ex *cap. grandi 2. de supl. neglig. Prælat. in 6.*

3. Nota tertiò: Coadjutor Episcopi cum successione futura non facilè est dandus; quia præbet occasionem captandæ, ac procurandæ, vel saltèm optandæ mortis Episcopi, cui sic datur, *cap. 1. de conceß. præb.* Attamen quando necessitas, vel utilitas Ecclesiæ postulat, Summus Pontifex similem Coadjutorem cum successione futura dare solet; uti constat ex praxi; & ex *can. petivisti caus. 7. q. 1.* Ejusmodi autem Coadjutor secutâ morte Episcopi, illicò obtinet plenum jus in re; ita ut non sit opus novâ collatione; uti notant Garc. Fagnan. &c.

CAP. III.

De Prælatis Minoribus ægrotantibus, vel debilitatis, vel mortuis.

1. DIco primò: Prælati in Ordine Minoritico de Observ. & Reform: electi, in quibus non est spes roboris, & firmæ valetudinis, intra quinque menses post electionem recuperandæ ad communem vitam sequendam, arceantur ab Officio. Ita DD. Ordinis. Et habetur in Constit. Gener. Ord. *cap. 8. §. 37. n. 4.* Estque Ratio; quia horum officia non sunt beneficia Ecclesiastica rigorosè; ac proinde Prælati eisdem sinè injuria exui possunt: & aliunde necessitas gubernij Franciscani postulat, ut exuantur.

2. Dico secundò: si Minister Provincialis Provinciam ad negotia aliqua ejusdem egressus moriatur extra, Commissarius Provinciæ legitimè ante egressum constitutus succe-

det sub titulo, & appellatione Vicarij Provincialis in officio, quousque Capitulum Provinciale celebretur. Ita Constitutiones Generales Ordinis *cap. 8. §. 47. n. 9.* Si autem absente Ministro Commissarius relictus in Provincia moriatur, Provinciæ regimen ad digniorem ipsius Patrem cum eadem authoritate, & titulo Commissarij Provincialis usque ad Ministri Provincialis regressum defertur; *ibidem num. 10.* Si verò sub regimine Commissariatûs istius dignioris, mors Ministri Provincialis absentis contingat; tunc Pater dignior, qui Commissarius nominabatur, cum titulo, & authoritate Vicarij Provincialis usque ad Capitulum gubernet; *ibidem n. 11.*

3. Dico tertiò: si obierit Minister Provincialis in Provincia, Superior illius Conventûs, in quo decessit, unà cum Secretario dicti Ministri colligent scripturas omnes, & sigilla Provinciæ, eademque ferent ad primarium Patrem illius Provinciæ; qui sinè mora convocabit Diffinitorium, & eliget Vicarium Provincialem; (in qua electione habebit votum activum, & passivum) consultô tamen priùs P. Generali, si intra triduum adiri possit; aliàs non. Ita habent Statuta Generalia Ref. *cap. 8. num. 38.* Idem præstabit dictus Pater Senior, si Minister extra Provinciam moriatur, non relictô ullô Commissariô Provinciali.

4. Dico quartò: si mors Ministri Generalis contingat extra familiam suam; tunc Commissarius, vel Vicecommissarius Generalis illius familiæ, in qua vacatio contingit, sigilla, scripturas, & registra mittat per unum, vel duos Secretarios defuncti ad digniorem Patrem alterius familiæ; cui competit convocare, & præsidere. Ita Constitutiones Generales Ord. *cap. 8. §. 17. n. 1.* Hic autem Pater dignior cognitâ morte Generalis, & obtentis sigillis, scripturis, ac registris convocet Electores, & instituatur electio Vicarij Generalis illius familiæ, *ibidem n. 3.* ubi etiam plura alia ordinantur circa hunc casum mortis Ministri Generalis.

TITULUS VII.
DE INSTITUTIONIBUS.

CAP. I.
Quid sit Institutio Canonica.

1. Nota primò: in Præbendis, & beneficijs Ecclesiasticis (de quibus *prioribus titulis* tractatum est) varijs modis possunt institui Clerici: & *primò* institutione injustâ, & justâ. *Injustâ* quis instituitur, quando non instituitur canonicè; sed per Simoniam; vel preces hæreticorum; vel per injuriam. *Justâ*, quando quis canonicè instituitur; id est secundùm canones. *Secundò* justæ, & canonicæ Institutionis varij sunt modi; sic potest Clericus institui, electione, confirmatione electionis, postulatione, nominatione, collatione libera, provisione Apostolica, permutatione, investiturâ, &c. & demum, institutione specifica, seu speciali, quæ dicitur *collatio non libera.* De plerisque autem hisce modis alibi agitur; in *hoc tit.* potissimè de modo collationis non liberæ seu institutionis specialis tractabitur. Pro cujus intellectu

2. Nota secundò: Institutionem sumi variè: *Primò* generaliter, & in lato sensu; quatenus comprehendit quamlibet provisionem, & modos varios, quibus acquiritur beneficium; quos *priori notabili* retuli. *Secundò* sumitur pro collatione libera beneficij Ecclesiastici; de qua *tit. 5. cap. 5.* *Tertiò* capitur pro missione, seu deductione in possessionem corporalem beneficij; & dicitur *investitura.* *Quartò* (& maximè ad propositum *præsentis tituli*) pro collatione beneficij non libera, quæ fit ad præsentationem Patroni; & vocatur *Institutio specialis, ac canonica.* De qua

3. Dico primò: bene describitur Institutio, de qua hìc, quòd *sit concessio canonica, non libera beneficij ad præsentationem Patroni facta ab eo, qui legitimam habet potestatem.* Ita communiter DD. hìc. Ly *concessio* est genus; reliqua habent rationem differentiæ. Dicitur *canonica*, id est, secundùm Canones ritu canonico facta: Dicitur *non libera*, ad distinctionem institutionis, seu collationis liberæ. Dicitur *ad præsentationem Patroni*, ad distinctionem electionis, postulationis, & aliorum modorum generalium instituendi beneficiatos. Additur *facta ab eo, qui legitimam potestatem habet*; ut insinuetur institutionis causa efficiens, quæ est Ordinarius loci; vel alius Superior.

CAP. II.

CAP. II.

Quis possit instituere Clericos in beneficijs.

1. DIco primò: regulariter, & de Jure communi pertinet Institutio Canonica Clericorum, à patronis præsentatorum, ad Episcopum loci, in cujus diœcesi beneficium situm est. Ita Abbas, Azor. Engel, Zoës. &c. Et habetur *cap. cum ex injuncto 12. de hæret.* Et *cap. ex frequentibus 3. hoc tit.*

2. Dico secundò: similiter Vicarius Generalis in Spiritualibus; & Capitulum Sede vacante instituere possunt Clericos idoneos, à Patronis præsentatos. Ita Azor. Abbas, Pirh. Primum colligitur ex *cap. ex frequentibus 3. hoc tit.* Ratio secundi est; quia Capitulum succedit in omni Jurisdictione & administratione Episcopali necessaria; seu in illis, quæ ratione Episcopalis Officij necessariò sunt expedienda; inter quæ est Institutio beneficiorum, quæ non sunt liberæ collationis, *cap. his quæ, 11.* Et *cap. cùm olim 14. de major. & obed.* Adeoque potest Clericos à Patronis præsentatos instituere. Capitulum tamen nequit instituere Clericos in beneficijs, quæ sunt liberæ collationis, seu collationis Episcopi solius.

3. Dico tertiò: sed & Prælati quidam Episcopo inferiores possunt Clericos præsentatos à Patronis instituere, vigore alicujus privilegij, præscriptionis, fundationis, vel dotationis conditionatæ capellæ, vel Ecclesiæ, cum consensu Episcopi ita factæ, ut Prælatus talis inferior in ea institutionem præstare valeat. Ita Azor. Barbos. Abbas &c. Et constat ex *cap. super eo 15. de offic. deleg.* ubi dicitur, institutionem pertinere vel ad Episcopum, vel Archidiaconum; vel Archipresbyterum. Et ex *cap. cùm olim 18.* Et *cap. auditis 15. de præscript.*

4. Dico quartò: nullus Laicus potest propriè instituere Clericum in aliquo beneficio: Est communis DD. Ratio est; quia hujusmodi potestas est spiritualis, cujus Laicus est incapax, *cap. 2. de judic.*

CAP. III.

Varia circa Institutionem resolvuntur.

1. NOta primò: ut idonei omnino Clerici instituantur, sancivit Concilium Tridentinum *Sess. 7. cap. 13. de Reform.* ut singuli instituendi ad quævis beneficia Ecclesiastica, tametsi fuissent ab eminentibus personis Ecclesiasticis, etiam Sedis Apostolicæ delegatis præsentati, vel nominati; priùs à locorum Ordinarijs examinentur, & idonei reperiantur: Exceptis tamen præsentatis, ac nominatis ab Universitatibus, seu Collegijs generalium studiorum.

2. Nota secundò: Instituendus debet esse Clericus: nam nullus Laicus potest institui in beneficio Ecclesiastico, *cap. in Ecclesia, 2. hoc tit.* Regulariter etiam instituendi in Ecclesijs, & beneficijs, non debent esse necessariò unius nationis; sed viri literati, & aliàs idonei, undecunque originem ducant, *cap. cùm decorem 5. hoc tit.* Rationem dat Papa Innoc. III. *in cit. cap. quia in omni gente, qui facit justitiam, acceptus est DEO; neque Sanctuarium DEI convenit jure hæreditario possidere.* Si tamen beneficium aliquod ex primæva sua fundatione desideret Ministros assumendos, qui ex certa duntaxat natione, Civitate, vel familia sint orti; tunc ejusmodi beneficium conferendum erit Clericis de tali natione, civitate, vel familia. Non est etiam improbanda consuetudo plurium Ecclesiarum, vigore cujus indigenæ, æquè idonei tamen, instituuntur in beneficijs earum; exteris exclusis, *arg. can. nullus dist. 61.* Nam indigenæ faciliùs inducuntur ad perpetuò residendum in patria; quàm extranei, ut notat Abbas, Zoës. &c.

3. Nota tertiò: tot ordinariè in collegio Clericorum instituendi sunt Canonici, & Ecclesiæ Ministri, ac in Monasterijs Monachi, & Moniales; quot ex redditibus talis Ecclesiæ, vel Monasterij commodè, & absque penuria ali possunt; nec plures recipiendi sunt; *cap. auctoritate 4. hoc tit.* Et *cap. non amplius 1. hoc tit.* Et Trident. *Sess. 25. cap. 3. de reg.* Habens jus instituendi nequit seipsum instituere, *cap. cùm ad nostram 7. & ult. hoc tit.*

4. Nota quartò: ritus investituræ, quæ sequitur institutionem, varij sunt, pro diversitate locorum: nam in quibusdam locis investiendus coram Episcopo, vel Vicario Generali, vel Consistorio ejus facit professionem Fidei (quam injunxit omnibus beneficiatis Trident. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.* (idem homagium seu juramentum obedientiæ, & fidelitatis Episcopo præstandæ: deinde imponitur ipsi piretum, adjunctis verbis investituram significantibus; ut notat Engel. Alibi verò, in Parochialibus saltèm beneficijs, tota investitura verbalis, & realis simul in loco Parochiæ peragitur; & in die festo, dum Parochiani conveniunt ad Divina, proponitur ipsis novus Parochus; ut habet idem Engel. Alicubi etiam fit per ingressum templi, & aspersionem aquæ

aquæ benedictæ, osculum altaris majoris, & sonum campanarum; ut notat Rebuff. Abbas. Alicubi investiendus solet investiri per introductionem in templum, & collationem in Sede: etsi investiendus Canonicus sit per assignationē loci in choro, & capitulo. Investitura de Jure communi spectat ad Archidiaconum; uti ostendi in *tit. 23. de Archid. tom. 1. lib. 1.*

5. Dico primò: Institutio Canonica omnibus prorsus præsentatis est necessaria, ut beneficij fructus ritè percipere valeant. Ita Garc. Engel. & communis DD. Et constat ex *cap. ex frequentibus hoc tit.* Et ex *reg. 1. de Reg. Jur. in 6.* dicente, *beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sinè institutione canonica obtineri.* Estque Ratio; quia præsentatus quà talis tantùm habet jus ad beneficium; non autem in beneficio; quare si propria authoritate & sine institutione beneficium occupet, hoc ipso jus ex præsentatione quæsitum amittit; *cap. avaritia, de elect. in 6.*

TITULUS VIII.

DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ; ET ECCLESIÆ NON VACANTIS.

CAP. I.

Quot modis vacent Præbendæ, seu beneficia.

1. NOta primò: solet nonnunquam contingere, ut beneficia Ecclesiastica, de quorum collatione, & institutione *prioribus titulis* actum fuit, aut promittantur ante realem eorum vacantiam; aut dum realiter vacant, non conferantur; quorum utrumque vitiosum censetur: quare *hoc tit.* disserendum venit de promissionibus, & concessionibus beneficiorum non vacantium; nec non de negligentia circa concessiones vacantium. Censetur autem tunc realiter vacare beneficium aliquod, quando destitutum est omni possessore; quod pluribus modis contingere potest. Unde

2. Nota secundò: DD. communiter assignant quatuor generales modos, quibus beneficia censentur vacare; videlicet vel de facto tantùm; vel de Jure tantùm; vel de facto & simul de Jure; vel per sententiam Judicis; ut videre est apud Rebuff. Garc. Vallens. Engel &c. Tunc dicitur beneficium vacare *de facto tantùm*, quando nullus Clericus adest, qui actualiter possideat beneficium; adest tamen aliquis, qui titulum, & jus ad illud habet; hoc modo vacat Parochia v. g. quando Curatus vi injusta, vel metu dejectus est ab ea *cap. 2. & 3. de his, quæ vi metùsque causâ fiunt.* *De Jure tantùm* dicitur beneficium vacare, quando ab ipso Jure inducitur vacantia ejus, ita ut quamvis Clericus illud possideat; ex Juris tamen dispositione possidet injustè, & privatus est Jure, ac titulô ejus absque ulla alia monitione, citatione, & sententiâ per hominem ferendâ: hoc modo vacat Parochia v. g. si Curatus suscipiat beneficium aliud incompatibile cum tali Parochia. *De facto simul, & de Jure* dicitur vacare beneficium, quando Clericus illô privatur ipsô Jure, & nec possessionem ejus detinet; seu quando nec jus, sive titulus, nec possessio beneficij apud Clericum aliquem est: talis vacantia habetur, quando beneficiatus moritur, vel renunciat beneficio, aut resignat verum titulum, & nullus alius illud obtinet. *Per sententiam Judicis* dicitur vacare beneficium, quàndo ab ipso Judice ob aliquod delictum inducitur vacantia, vel privatio beneficij.

3. Nota tertiò: ad præfatos quatuor modos generales reducuntur plures modi speciales, quibus in Jure dicitur vacare beneficium; sic ad secundum modum vacantiæ *de Jure*, seu ex dispositione Juris reducitur vacantia illa, quâ beneficium Clerici, emittentis expressam professionem in statu Religioso approbato, vacat *cap. beneficium 4. de reg. in 6.* Item quâ vacat Prælatura, si Prælatus sinè forma a Jure præscripta alienet bona Ecclesiæ, *Extrav. ag. unic. inter communes*; *de rebus Ecclesiæ non alien.* Item quâ vacat Parochia si Curatus intra annum non suscipiat Sacerdotium, *cap. licet 14. de elect. in 6.* Et plures aliæ vacantiæ, quas vide apud Rebuff. Azor. Pirh. Sic etiam ad tertium modum *de facto simul & de Jure* revocatur vacantia, quæ fit per mortem naturalem beneficiati, *cap. susceptum 6. de rescript. in 6.* Item quæ fit per renunciationem, & abitum à beneficio. Sic etiam ad quartum modum *per sententiam Judicis* reducitur vacantia, quæ consurgit ex dispositione, seu privatione ob aliquod

aliquod crimen facta; puta si Clericus homicidium simplex committat, *cap. Clericis, 5. ne Clerici vel Monachi*. vel Sacrilegium, *can. si quis 22. dist. 50.* Vel adulterium, aut publicum concubinatum, hæresim, simoniam, vel læsæ Majestatis. De specialibus alijs compluribus modis, inducendi vacantiam, sed ad superiores quatuor reducibilibus, vide Staphilæum, Vall. Rebuff. Garc. Azor. &c.

CAP. II.

Prohibita est concessio, & compromissio Præbendæ non vacantis.

1. Dico primò: vetita est concessio Præbendæ, seu beneficij necdum vacantis; & institutio, seu collatio ejus vivente adhuc primo Præbendariô, ac per Canones non dejecto à beneficio, est ipso Jure nulla. Ita Glossa, Vallens. Abbas &c. Et constat ex *cap. 1. & 2. hoc tit.* Et *can. non furan. caus. 7. q. 1.* Unde is, qui scienter passus est se institui in beneficio viventis adhuc Sacerdotis, ab Ecclesiastica communione est removendus, & deponendus; id est Sacris Ordinibus spoliandus, *cit. cap. 1.* Ratio etiam est; quia hujusmodi concessio, & acceptatio Præbendæ non vacantis censetur continere votum captandæ mortis alterius; quod est contra bonos mores *L. ult. C. de pactis.*

2. Dico secundò: similiter vetita est ipsa promissio tantùm Præbendæ necdum vacantis. Ita Glossa, Pirh. Panormit. &c. Et constat ex *cap. 2. hoc tit.* Et *cap. ex tenore 13. eod. tit.* Estque Ratio; quia & talis promissio involvit ex parte illius, cui promissio facta est, periculum desiderandi mortem beneficiati adhuc viventis, in cujus locum sperat se successurum. Unde etiam Jure civili hujusmodi pactum de futura successione damnatur, tanquam adversans bonis moribus *L. donavi 29. §. donationem ff. donat.* Et *L. ult. C. de pactis;* ubi dicitur quòd omnes hujusmodi pactiones odiosæ esse videantur, & plenæ tristissimis, & periculosis exitibus.

3. Dico tertiò: tametsi secundùm antiquos Canones Decreti valeret promissio de Præbenda in genere conferenda, cùm poterit; attamen secundùm Canones posteriores Decretalium est invalida, & prohibita. Ita Glossa, & communis DD. Primum constat ex *cap. accedens 14. hoc tit.* Et *cap. cùm super 8. hoc tit.* Secundum habetur in *cap. detestanda 2. hoc tit. in 6.* Estque Ratio; quia etiam per ejusmodi promissionem genericam ingeritur votum alienæ mortis; ut dicit *cit. cap. 2.*

4. Dico quartò: etiam Patronis prohibetur promissio de danda alicui præsentatione ad beneficium vacaturum. Ita Abbas, Pirh. &c. Et habetur in *cap. cùm dilecta 16. & ult. hoc tit.* Estque Ratio; quia & talem promissionem præsentationis comitatur periculum desiderandæ, vel machinandæ mortis alicujus beneficiati, ut præsentandus eâ secutâ beneficium assequi valeat.

5. Dico quintò: sed & omnes gratiæ expectativæ, seu mandata Apostolica ad primum beneficium vacaturum, olim frequentia, hodie sunt sublata. Ita Gonzal. Vallens. Pirh. &c. Et statuitur in Tridentino *Sess. 24. cap. 19. de Reform.* quod verum est, etsi consensus Ordinarij accessisset ad ea impetranda; sicut patet ex declaratione DD. Cardinalium *cit. Sess.* Per prædictam tamen suppressionem Conciliarem Expectativarum non sunt Summo Pontifici ligatæ manus, ad elargienda etiam hodie mandata, de providendis aliquibus Clericis ad beneficium vacaturum: cùm is plenissimam habeat dispositionem circa beneficia Ecclesiastica, *cap. licet 2. de præb. & dig. in 6.* Quid porrò operentur, & qualiter intelligendæ, ac exequendæ sint Expectativæ Papales; consule Abbat. Gloss. Pirh. scribentes super *hunc tit. de concess. Præb.* & indicant satis varia capitula *ejusdem tit.*

CAP. III.

An; & quando vacantes Præbendæ concedi debeant.

1. Dico primò: Præbendæ, seu beneficia realiter vacantia ab eo, ad quem spectat provisio, concedi debent alteri idoneo Clerico, intra sex menses. Ita Abbas, Garc. Vallens. & communis DD. Et ordinatur in *cap. nulla 2. hoc tit.* Estq; Ratio; quia diutina vacatio Præbendæ, & Officij eidem annexi est damnosa Ecclesiæ, & periculosa animabus, *cap. quàm sit 6. de elect. in 6.*

2. Dico secundò: si infra præfatos sex menses non conferatur Præbenda, seu beneficium vacans; tunc collatio ejus ab Episcopo, si ad eum aliàs spectet conferre Præbendam, devolvitur ad Capitulum; & è contra à Capitulo ad Episcopum: si autem ùterque tam Episcopus, quàm Capitulum negligeret intra memoratum semestre concedere Præbendam vacantem, devolvitur ad Metropolitanum; & ab hoc ad Patriarcham, si quis ad sit; vel

ſit; vel in ejus abſentia ad Papam. Ita communis DD. Et habetur in *cit. cap. nulla §. ſi autem:* præfatum autem ſemeſtre non eſt computandum à die vacantiæ realis; ſed à die notitiæ habitæ de ejusmodi vacantia; nec currit legitimè impedito *cap. quia diverſitatem 5. hoc tit.*

3. Dico tertiò: Præbendæ, & beneficia vacantia *de facto tantùm* non poſſunt licitè concedi, ſeu conferri alijs. Ita Abbas, Pirh. Zoëſ. &c. Ratio eſt; quia ejusmodi Præbendæ non habentur pro verè vacantibus. Et quia ſtante tali vacantia datur privatis regreſſus ad præbendam; ut ſi quis vi injuſta dejectus ſit à beneficio, *cap. 2. 3. & 4. de his, quæ vi metúsque causâ fiunt.*

4. Dico quartò: Præbendæ, & beneficia, quæ vacant *de facto ſimul & de Jure* licitè alijs concedi poſſunt. Ita Abbas, Pirh. Et colligitur ex *cap. 2. hoc tit.* à contrario ſenſu; nã hoc ipſo, quod ibi dicatur, Eccleſiaſtica beneficia non poſſe conferri, niſi vacent; ſequitur quòd poſtquam vacant, poſſe conferri. Ratio etiam eſt; quia nullus eſt in poſſeſſione talium præbendarum, ſeu beneficiorum.

5. Dico quintò: beneficia quæ *de Jure tantùm* vacant; ſed non *de facto*, eò quòd alius ſit in poſſeſſione colorata; poſſunt quidem conferri; requiritur tamen ut in reſcripto Papali proviſionis fiat mentio de poſſeſſione colorata. Ita Abbas, Pirh. &c. Et conſtat ex *cap. cum noſtris 6. hoc tit.* Eſtque Ratio; quia aliàs collatio talium beneficiorum cenſetur eſſe ſubreptitia, eò quòd non ſit expreſſa in poſſeſſione colorata alterius; quam ſi ſciviſſet Papa reſcribens, non ita facilè, vel non tali modo conceſſiſſet beneficium; juxta *cap. literis 20. de reſcript.*

TITULUS IX.

NE SEDE VACANTE ALIQUID INNOVETUR.

CAP. I.

Quæ non poſſit facere Capitulum Sede vacante.

1. NOta primò: inter cæteras reſolutiones in *prioribus titulis* datas dictum quoque fuit ad Epiſcopum Jure communi pertinere collationes, & inſtitutiones præbendarum, atque dignitatum: ſed quoniam dubium ſuboriri poteſt, num etiam Sede vacante Capitulum ſuccedat Epiſcopo in ejusmodi Jure, ac poteſtate; propterea *hic titulus* ſubnectitur. Intelligitur autem nomine *Sedis* hic Sedes Epiſcopalis; vel alia Prælatura, cui facultas conferendi beneficia competit; ut notat Gloſſa, & Barboſa; quæ vacans cenſetur, quando vel moritur Epiſcopus, aut alter Prælatus, habens jus conferendi beneficia; vel ſuſpenditur ab officio; vel excommunicatur; vel renunciat; vel transfertur, vel deponitur; vel alio modo perdit titulum; ut notat eadem Gloſſa, Barboſa, & Hoſtienſ.

2. Dico primò: Sede vacante nihil eſt innovandum à Capitulo in præjudicium Sedis, vel Succeſſoris; niſi id Jure ſit conceſſum. Ita Abbas, Vallenſ. Zoëſ. &c. Et habetur *cap. 1. hoc tit.* Eſtque Ratio; quia Sede vacante nemo eſt, qui Epiſcopale Jus tueatur; ut dicitur *cit. cap.* Ex his

3. Infertur primò: non poſſe Sede vacante aliquid innovari per judicium; unde lis contra Eccleſiam inchoata non rectè Sede vacante definitur per ſententiam; cùm ea legitimo careat Defenſore: & ſententia lata eſt nulla *cap. 1. hoc tit.* utpote lata quaſi contra pupillum, & minorem indefenſum, & tutorem vel curatorem non habentem.

4. Infertur ſecundò: neque Sede vacante per Capitulum poſſe aliquid innovari circa bona Eccleſiæ: nam ea nec alienare, nec donare poteſt, *can. ſi qua 42. cauſ. 12. q. 2.* Et quia Capitulum res vacantis Eccleſiæ non aufferre, vel diſtrahere poteſt; ſed futuro Epiſcopo conſervare tenetur, *can. hæc hujus 35. q. cit.* Quod intelligendum eſt de rebus, quæ ſervando ſervari poſſunt: ea enim quæ ſervando ſervari non poſſunt Capitulum, vel Oeconomus ab eo conſtitutus alienare poteſt; ſicut tutor poteſt ejusmodi res pupilli alienare, *L. lex quæ 22. Cod. de adminiſt. tut.*

5. Infertur tertiò: neque Capitulum Sede vacante poſſe aliquid innovare circa beneficia conferenda, quorum libera collatio pertinet ad Epiſcopum; uti habetur *cap. illa 2. hoc tit.* Eſtque Ratio; quia collatio ejusmodi

modi beneficiorum computatur inter fructus, *cap. fin. de Offic. Vicarij in 6.* Quos Capitulum dilapidare non poteſt; ſed futuro Epiſcopo conſervare debet, *cap. cùm vos 4. de officio Ordinarij.* Poteſt tamen Capitulum Sede vacante conferre ea beneficia, quæ pertinent ſimul ad Epiſcopi, & Capituli collationem; quia tunc totum Jus Capitulo accreſcit, *cap. unic. hoc tit. in 6.*

6. Infertur quartò: quòd ſimiliter Capitulum Sede vacante non poſſit innovare aliquid circa diſſolvendas Eccleſias priùs unitas; ut habetur *cap. novit 1. hoc tit.* Eſtque Ratio; quia per ejusmodi diſſolutionem & præjudicatur Eccleſiæ ob paupertatem unitæ; quia reincidit in paupertatem; & Jus Epiſcopi, vel Papæ læditur, ad quos aliàs ſpectat Eccleſiarum diſſolutio.

CAP. II.

Quæ poſſit facere Capitulum Sede vacante.

1\. NOta primò; non cenſetur autem Capitulum Sede vacante aliquid Jure prohibiti innovare, quando Jurisdictionem Epiſcopi, vel defuncti, vel à Paganis vel Schiſmaticis capti, vel depoſiti exercet, & adminiſtrat ſpiritualia, ac temporalia Epiſcopatûs: nam cùm ſæpe mora intercedat inter mortem, & proviſionem novi Epiſcopi; ne mora hujusmodi fit vacanti Eccleſiæ damnoſa, Summi Pontifices, & Concilia per ſpeciales ſalutares Canones conſtituêre, ut Capitulum Sede ſic vacante in jurisdictionem, & adminiſtrationem tam ſpiritualium, quàm temporalium rerum (exceptis quibusdam, *notab. 3.* notatis) ſuccedat *cap. 3. de ſuppl. negl. Prel. in 6.* Et *cap. cùm olim, de major. & obed.* Quare Capitulum Sede vacante vice Epiſcopi licitè, & validè inquirit in crimina, viſitat, judicat, condemnat, abſolvit, & excommunicat, perinde acſi Epiſcopus viveret, *cap. his quæ; de major. & obed.* Similiter Prælatos electos Eccleſiarum in diœceſi Epiſcopali non exemptos confirmat, vel infirmat *cap. cùm olim* junctâ Gloſſâ verb. *Capitulo; de major. & obed.* Item poteſt recipere permutationes, ſeu reſignationes beneficiorum ex cauſa permutationis; ut docet Abbas, Vallenſ. Piaſec. Item poteſt facere inſtitutiones præſentatourm à Patronis in beneficijs non liberæ collationis, *cap. 1. de inſtitut. in 6.* Item diſpenſationis beneficium illi impertiri poteſt, qui ex illegitimo thoro prodijt, ut minores Ordines, & beneficium ſimplex recipere valeat; ut notat Vallenſ. Item poteſt facere uniones beneficiorum illorum, quæ aliàs poterat Epiſcopus unire; dummodo per hoc non præjudicetur Juri Epiſcopali; vel damnum ipſis Eccleſijs unitis ſuboriatur, *cap. un. hoc tit. in*

2\. Nota ſecundò: idem Capitulum ob eandem rationem, & Juris diſpoſitionem poteſt Sede vacante abſolvere à caſibus reſervatis; ut habet Vallenſ. & Panorm. Item dare literas dimiſſorias, *cap. 3. de temp. ordin. in 6.* Item abſolvere à Juramento; ut habet Felin. & Zoëſ. Item poteſt diſpenſare in cenſuris, & irregularitatibus illis, in quibus diſpenſandi facultatem aliàs obtinet ipſe Epiſcopus; cui ſuccedit Capitulum in ijs, quæ ſunt neceſſariæ, & contentioſæ jurisdictionis; ut rectè obſervat Panorm. & Vall.

3\. Nota tertiò: Capitulum tamen Sede vacante nequit exercere Jurisdictionem Epiſcopalem in illis, quæ expreſſè in Jure excipiuntur; cujusmodi ſunt ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, videlicet ordinare Clericos, conſecrare Eccleſias, altaria, & ſimilia; poteſt tamen efficere, ut eadem expediantur per Epiſcopos vicinos, ſinè præjudicio futuri Epiſcopi Succeſſoris *cap. is cui, 24. de elect. in 6.*



TITULUS X.

DE HIS, QUÆ FIUNT A PRÆLATIS SINE CONSENSU CAPITULI.

CAP. I.

An; & pro quibus actionibus teneatur Prælatus requirere consensum Capituli.

1. NOta primò: sicut Capitulum Sede vacante non potest pro libitu operari omnia, quæ Episcopus poterat; ita pariter ipse Episcopus, vel alius Prælatus Sede non vacante omnia facere in Diœcesi nequit; sed in quibusdam ejus potestas per Canones restricta est ad consensum, vel consilium Capituli, ita ut ab eo omnino dependeat necessariò; quæ *hoc tit.* explicantur. Intelligitur autem nomine *Capituli* hic ipsum Collegium Canonicorum, seu Canonici congregati.

2. Nota secundò: quòd magna sit differentia inter requiri consensum; & requiri consilium Capituli: nam quando requiritur *consensus Capituli*, tenetur Episcopus, vel alius Prælatus sequi id, quod major pars Capitularium concluserit: quando verò requiritur tantùm *consilium Capituli*; tunc sola consultatio cum Capitularibus sufficit, absque eo, quòd Prælatus eorum opinionem sequatur, *cap. cùm olim 7. de arbitris.* Et *L. item si unus, 31. §. fin. ff. de receptis, qui arbitrium.*

3. Dico primò: Episcopus, & alius Prælatus tenetur omnia ardua, & majora negotia expedire cum consensu Capituli. Ita Glossa, Vallens. Engel, Zoës. & communis DD. Et patet ex varijs capitulis *hujus tit.* ubi majora, & ardua negotia Episcopi jubentur cum consensu Capituli expediri; unde Papa Alexander III. scribit Patriarchæ Hierosolymitano *cap. novit 4. eod. novit tuæ discretionis prudentia, qualiter tu, & Fratres tui unum corpus sitis; ita quod tu caput, & illi membra esse probantur. Unde non decet te omissis membris, aliorum consilio in Ecclesiæ tuæ negotiis uti.* Quare ab eodem Papa *ibidem* reprobantur institutiones Abbatum, & aliarum personarum Ecclesiasticarum sinè consilio Canonicorum S. Sepulchri. Ut autem appareat, quæ sint ardua, & majora Episcopi negotia, exposcentia consensum Capituli, pono sequentes resolutiones, &

4. Dico secundò: Episcopus tenetur in institutione, & destitutione Abbatum, Abbatissarum non exemptarum, & aliarum personarum Ecclesiasticarum in beneficijs Ecclesiasticis requirere consensum Capituli. Ita Glossa, & communis DD. Et habetur *cap. novit 4. hoc tit.* Excipe nisi contraria consuetudo in aliqua Ecclesia sit præscripta, & inducta; juxta *cap. non est 3. de consuet. in 6.*

5. Dico tertiò: similiter Episcopus tenetur consensum Capituli inquirere in præsentationibus, collationibus, & confirmationibus beneficiorum eorum, quorum jus etiam ad Capitulum spectat. Ita communis DD. Et deciditur in *cap. quanto 5. hoc tit.* Et *cap. ea noscitur 6. eod. tit.*

6. Dico quartò: etiam pro alienandis rebus Ecclesiasticis, quæ immobiles sunt; aut mobiles pretiosæ, & servando servari possunt, Episcopus requirere tenetur consensum, & subscriptionem Capituli. Ita Glossa, & communis DD. Et statuitur in *can. sinè exceptione 52. caus. 12. q. 2.* Et *cap. irrita 1. hoc tit.* Et *cap. tua 8. hoc tit.* Unde alienatio rerum Ecclesiasticarum facta ab Episcopo absque consensu Capituli; vel reclamante Capitulo, non tenet; nec à Successore servari debet; nisi Capitulum suo etiam consensu postea, ex intervallo præstitô, eam ratam habeat; uti constat ex *cap. cum nos 3. hoc tit.*

7. Dico quintò: sed & pro concessione ad longum tempus v. g. 10. annorum, vel locatione rerum immobilium Ecclesiasticarum Episcopus, vel Prælatus debet requirere consensum Capituli. Ita Covarr. Pirhing. &c. Et colligitur ex *Clement. 1. de rebus Eccles. non alien.* Estque Ratio; quia per ejusmodi concessionem, & locationem transfertur dominium utile rerum immobilium Ecclesiasticarum in alium, atque possessio; unde alienationis rationem habet; ad quam aliàs requiritur consensus Capituli.

8. Dico sextò: obligatur quoque Episcopus expetere consensum Capituli, pro instituenda unione perpetua Ecclesiarum aliquarum ad alias Ecclesias, vel monasteria; uti & pro

pro translatione obventionum, & fructuum aliquarum Ecclesiarum, ad alium locum pium applicandarum, tametsi is jus patronatûs earum haberet. Ita Glossa, & communis DD. Et constat ex *cap. tua nuper 8. hoc tit.* Et *cap. pastoralis 9. eod.* Estque Ratio; quam affert ipse textus *cit. cap.* quia hujusmodi unio perpetua est quædam alienatio Ecclesiæ uniendæ; adeoque de consensu quoque Capituli institui debet, sicut aliæ alienationes rerum Ecclesiasticarum.

9. Dico septimò: obligatur pariter idem Episcopus requirere consensum Capituli, dum dignitates veteres suppressas in sua diœcesi vult resuscitare; aut Ecclesiæ statum mutare, aut contractum venditionis, donationis, & permutationis facere; aut statuta nova condere intendit. Ita Vallens. Abbas &c. Ratio primi, & secundi est; quia suscitatio dignitatum veterum suppressarum, & immutatio statûs Ecclesiæ censentur actus, & negotia valde ardua, & magna; non minùs, quàm alienationes rerum Episcopatûs aut beneficiorum, quæ ad Episcopum & Capitulum simul pertinent, collationes; adeoque exposcunt quoque consensum Capituli. Tertium habetur *cap. 1. hoc tit.* Quartum constat ex *cap. quanto 5. hoc tit.*

10. Dico octavò: præterea Episcopus tenetur Capituli consensum requirere pro instituendo judicio circa crimina Clericorum, maximè circa personam Capitularem, seu Canonicum in causa criminali; item quoties agitur de præjudicio Capituli quoad subjectionem, vel exemptionem: item in casu, quo diminueretur Ecclesiæ authoritas; & demum quotiescunque interesse particulare Capituli vertitur. Ita Ricc. Vallens. Piasec. &c. Primum constat ex *causa 17. q. 7. per totum.* Et ex Tridentino *Sess. 25. cap. 6. de Reform.* ubi ordinatur, ut Episcopo pro instituendis processibus contra criminosos, & alijs actibus statim à principio anni cujuslibet duo capitulares, seu Canonici deputentur, & adjungantur à Capitulo. Secundum constat ex *cap. ult. de major. & obed.* Tertium ex *cap. dilecti, de major. & obed.* Quartum ex *cap. ult. hoc tit.*

11. Nota tertiò: consensus Capituli, quem in præfatis omnibus actibus requirere tenetur Episcopus debet præberi à Capitulo legitimè congregato: id enim significat vox Capituli; secundùm *cap. tertio loco 5. de probat.* quia Canonici singuli seorsim sumpti, seu singulares non faciunt Capitulum, *arg. cap. unic. in princ. ne Sede vacante &c. in 6.*

12. Dico nonò: in rebus, & negotijs levibus non tenetur Episcopus vel alius Prælatus requirere consensum Capituli; sed sufficit adhibere ejus consilium; quod tamen sequi non tenetur. Ita Innoc. Vallens. Zoës. Ratio primi est; quia in rebus, & negotijs levibus, ac parvi momenti non potest præjudicari graviter Ecclesiæ, vel Capitularibus; ac proinde non videtur Episcopus arctandus ad Capituli consensum.

13. Infertur *primò*: Episcopum posse citra consensum Capituli modicas aliquas Ecclesiæ res donare alteri, maximè egeno; v. g. quinquagesimam partem proventuum Ecclesiæ erogando in pauperes, *cap. pen. hoc tit.* *Secundò*, idem potest ad tempus tantùm res aliquas Ecclesiæ alteri concedere ad breve tempus, absque consensu ejusdem Capituli; modò non contradicat, & postea ratum habeat *cap. 2. & 3. hoc tit.* *Tertiò* idem Episcopus potest consentire, ut Laicus aliquis decimas debitas ab antiquo uni Ecclesiæ, assignet alteri Ecclesiæ, absque consensu Capituli, *cap. cum Apostolica 7. hoc tit.*

CAP. II.

In quibus actibus Prælatus Frãciscanus dependeat à consensu sui Capituli, vel Diffinitorio.

1. Dico primò: Minister Generalis Prælatus Ordinis S. Francisci de Observ. & Reform. in condendis statutis perpetuis, & totum Ordinem semper obligantibus dependet à consensu Capituli Generalis, & Diffinitorij Generalis. Ita Rodriq. Sanct. S. Sever. Et constat ex Statutis Papalibus Julij II. *cap. 12. par. 4.* pro Ordine nostro editis, ubi dicitur; *Declaramus etiam quod Generalis Minister nullum potest facere generale statutum pro toto Ordine; nisi suo durante Officio; & nisi in Capitulo generali cum Diffinitorum assensu.* Idem replicatur in Constit. Gener. Segoviens. *cap. 8. §. 2.* Et fundatur in illa Regula Juris, *quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.* Potest nihilominus Generalis edere & imponere præcepta quædam, tempore officij sui obligantia; uti habent cit. DD. & consentit Sylv. Bonac. S. Thomas, Soto &c.

2. Dico secundò; Etiam Minister Provincialis quà Prælatus Provinciæ nequit absque convocatione Patrum, qui sunt de corpo-

re Diffinitorij, & maximè Diffinitorum celebrare Congregationem, vim capitularem habentem; nec institutionem, vel depositionem alicujus Guardiani, aut Confessarij Monialium facere; nec ferre ullam sententiam, ubi privatio Officij, vel suffragiorum, aut alia pœna per processum, & sententiam infligitur; & hoc sub nullitate actûs. Ita Constit. Gener. Ord. *cap. 8. ʃ. 39. n. 8.* Quod procedit si dicti Patres Diffinitores sint in Provincia, aut si extra eam morentur, vel ita absint, ut intra tres dies eorum præsentia haberi possit: quod si id fieri non possit, tunc alij substituendi sunt, quibus jus substitutionis competit: quod pariter observandum, si debitè vocati, nollent comparere; *ibidem.*

3. Dico tertiò: Commissarij Visitatores Generales quà Prælati majores pro tempore nequeunt in Provincijs sibi concreditis ordinata immutare, aut contra Statuta Provincialia aliquid facere; nisi accedente consensu Patrum Diffinitorij, vel majoris partis Vocalium in Provinciali Capitulo actu congregatorum; nisi per speciales facultates aliud ipsis foret concessum. Ita modernæ Constitut. General. Ordinis *cap. 8. ʃ. 56.* Similiter casus graves, qui in Visitationibus occurrerint, nullo pacto per sententiam diffinitivam possunt determinare; nisi de consilio, & consensu Diffinitorum; *ibidem.*

TITULUS XI.

DE HIS, QUÆ FIUNT A MAJORI PARTE CAPITULI.

CAP. I.

De consensu majori, & saniori Capituli, necessario ad acta valida.

1. Nota primò: conclusum fuit *præcedenti tit.* Episcopum, vel alium Prælatum in pluribus actibus ritè instituendis dependere à consensu sui Capituli: nunc recto ordine *hoc tit.* discutiendum erit, num consensus ejusmodi importare debeat necessariò annuentiam omnium prorsus Capitularium.

2. Dico primò: ad hoc ut Capitulum censeatur sufficientem præbere consensum ad aliquem actum gerendum, non est necesse, ut omnes prorsus Capitulares consentiant; sed sufficit, ut major pars eorum, qui præsentes sunt, consensum præbeat. Ita Glossa, Pirh. Zoës. Abbas &c. Et constat ex *cap. cum in cunctis 1. hoc tit.* Et ex *L. quod major 19. ff. ad municip.* Censetur autem illa esse major pars, quæ numerô personarum excedit dimidium, habito respectu ad Capitulum, *cap. Ecclesia 45. de elect.* quando scilicet ex 24. Capitularibus ad minus 13. consentiunt.

3. Dico secundò: non sufficit autem, ut quæcunque major pars Capitularium præsentium consensum præbeat; sed ea debet esse simul sanior pars Capituli. Ita Abbas, Laym. Zerol. & communis. Et habetur *cap. 1. hoc tit.* Et *cap. ea noscitur 6. de his quæ fiunt à Prælato* &c. Censetur autem illa pars esse sanior, quæ authoritate, dignitate, literaturâ, & probitate morum prævalet. Nisi itaque Capituli pars major numerô personarum, sit simul etiam pars sanior, poterit pars minor, sed sanior, sese opponere actui gesto à parte majori, ostendendo v. g. alienationem talis rei Ecclesiasticæ esse damnosam Ecclesiæ *cap. 1. hoc tit.* Et talis actus gestus à majori, sed non saniori parte non subsistet: nam ubi duo requiruntur conjunctim, alterum eorum non sufficit *ʃ. si illud, & illud; Instit. de hered. instit.* Et *L. si heredi plures ff. de condit. instit.*

4. Dico tertiò: actus gestus à majori, & saniori parte Capituli (vel etiam alterius Collegij, & Universitatis) regulariter quidem tenet minori contradicente: attamen si minor pars, vel etiam unus de Capitulo ob justam, & rationabilem causam ab ejusmodi actu appellaverit, aut expressè contradixerit; tunc talis actus non statim consequitur effectum. Ita Zoës. Vall. &c. Primum constat ex *cap. fin. hoc tit.* Et quia quod major Curiæ pars effecit, habetur pro eo, ac si omnes egissent, *L. quod major. ff. ad municip.* Secundum patet ex *cap. 1. hoc tit.* Idem dicendum si negotium, quod geritur, tangat omnes, & singulos Capitulares; juxta *Reg. Jur. 29. in 6. quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.*

CAP.

CAP. II.

Quomodo major pars Capituli, vel Diffinitorij in Ordine S. Francisci requiratur ad acta legitima.

1. Dico primò: In Ordine S. Francisci de Observ. & Reform. Electio Canonica, & valida censebitur sola illa, quæ facta est à majori parte Capituli, sive Congregationis: Ita Constitut. modernæ General. *cap. 8. §. 2. n. 1.* Et *§. 36. n. 10.* Majorem verò partem quilibet excessus facit; ut si v. g. novem sint vota, quinque eorum constituent majorem partem; *ibidem.*

2. Dico secundò: In omnibus definitionibus & determinationibus tam Generalibus, quàm Provincialibus Ordinis nostri sententia plurium semper prævalere debet, ac observari omninò, tanquam actus à majori parte Capituli, vel Diffinitorij celebratus: in paritate autem votorum ter repetita Præses habet votum decisivum, quod pariter efficit majorem partem. Ita constat ex Constit. General. moder. *cap. 8. §. 30. n. 4.* Et *§. 36. n. 11.* In casu etiam cujuscunque decisionis, minor pars Diffinitorij debet subscribere sententiam majoris partis; etiam inter Reformatos; ita Const. Gen. modernæ *cap. 8. §. 39. n. 10.*

TITULUS XII.

UT ECCLESIASTICA BENEFICIA SINE DIMINUTIONE CONFERANTUR.

CAP. I.

Sinè quibus modis diminutionis teneatur Collator conferre beneficia Ecclesiastica.

1. Nota primò: posteaquam Summus Pontifex Gregorius IX. in *superioribus titulis* egit de beneficijs Ecclesiasticis, eorumque collatione facienda tum à Prælato, vel sinè dependentia Capituli; tum à Capitulo solo, vel alijs collatoribus; consequenter *hoc tit.* profert regulam generalem de modo ea conferendi, scilicet integrè, & sinè diminutione. Accipitur autem hìc *collatio* generaliter prout complectitur quamcunque provisionem beneficij; id est etiam præsentationem, institutionem, &c.

2. Nota secundò: diminutionem beneficij posse contingere quatuor modis, videlicet per oneris impositionem; per divisionem; per dismembrationem; & per suppressionem. *Per oneris impositionem* contingit diminutio beneficij, si collator aggravet beneficiatum aliquo onere reali, v. g. certam partem fructuum sibi solvendam imponendo; vel personali, v. g. servitium aliquod injungendo, quod aliàs connexum non erat beneficio; vel si partem redditum beneficij collati sibi reservet. *Per divisionem* contingit, si collator ex uno beneficio constituat duo. *Per dismembrationem*; quando aliqua bona, seu redditus à beneficio separantur, & alteri applicantur, remanente beneficiô penes suum ordinarium Rectorem. *Per suppressionem* tandem contingit, quando fit totalis extinctio beneficij.

3. Dico primò: collator tenetur regulariter conferre beneficium Ecclesiasticum sinè diminutione, facta per oneris impositioné. Ita Glossa, Zoës. Engel &c. Et constat ex *cap. unic. hoc tit.* Et ex Tridentin. *Sess. 24. de Ref. cap. 14.* Et *can. 1. caus. ult. q. 3.* ubi improbantur omnes consuetudines, vigore quarum in quacunque provisione, collatione, vel admissione ad possessionem cujuslibet beneficij fiunt deductiones, fructuum solutiones, promissiones, aut compensationes, quæ in pios usus non convertantur. Estque Ratio; quia ejusmodi collatio beneficij cum oneris impositione saperet aliquam Simoniacam pravitatem; ut notatur *cit. cap. unic.* Ex his

4. Infertur primò: Episcopum probabilius non posse sibi, seu suæ mensæ Episcopali, vel Capitulari reservare ad tempus integros redditus beneficij vacantis; etiam cum consensu Capituli; nisi accedat privilegium, & facultas Summi Pontificis; uti contra Hostiens. Barbos. Gloss. &c. docet Abbas, Vallens. Pirh. &c. Et constat ex *cap. prohibemus 7. de censib.* Et *arg. can. ult. caus. 1. q. 3.* Et *arg. Clement. 2. de rebus Eccl.* &c. Estque Ratio; quia Episcopus authoritatem præstaret in proprio facto, seu in proprium commodum; quod etiam secundùm Glossam vetitum est.

5. No-

5. Nota tertiò: Episcopus tamen stante justâ, & necessariâ causâ potest ad tempus; ante tamen collationem beneficiorum, & absque omni pactione beneficiandi, aliquam partem fructuum reservare ex beneficijs suæ diœcesis vacantibus, in usus suæ Ecclesiæ convertendam; utì constat ex *cap. unic. hoc tit.* Et *cap. pen. de verbor. signif.* Estque Ratio; quia in reservatione hujusmodi nulla labes Simoniaca intervenit; cùm nulla intercedat pactio cum beneficiandis; nec beneficiandi gravantur ullo onere; cùm tempore reservationis talium fructuum adhuc non habuerint jus in beneficia. Justæ autem, & necessariæ causæ faciendi talem reservationem essent, si Ecclesia Cathedralis esset fabricanda; vel æs alienum, quô Ecclesia supra modum gravatur, exsolvendum; & similes, utì constat ex *cap. unic. hoc tit.* Et habet Vallens. Pirh. Gloss. &c.

6. Dico secundò: Collator pariter tenetur regulariter conferre beneficium Ecclesiasticum absque diminutione, facta per divisioē beneficij; neque per dismembrationem. Ita Vall. Engel, Barbos. &c. Et constat ex *cap. majoribus 8. de præb.* Si tamen justa adsit causa, v.g. si sufficiant redditus ob amplitudinem beneficij; & expediat ad Divinum cultum augendum, vel debitè conservandum, vel ad alterum beneficium tenue nimis augendum; tunc unum beneficium ab Episcopo dividi, & dismembrari potest; utì constat ex *cap. vacante 26. de præb.* Et *cap. 3. de Eccl. ædif.*

7. Dico tertiò: tandem numerus beneficiorum Ecclesiasticorum regulariter nequit imminui per totalem aliquorum suppressionem, & extinctionem. Ita communis DD. Et habetur *cap. ex parte de Constitut.* Estque Ratio; quia per ejusmodi suppressionem imminuitur Divinus cultus. Attamen si justæ adsint causæ, concessum est Episcopis, ut cum consensu Capituli beneficium aliquod extinguat, etiam in perpetuum; utì constat ex *cap. cùm accessisset 8. de constitut.* & Trident. *Sess. 24. de Ref. cap. 15.* Justa autem causa esset, si præbendæ v g. in aliqua Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata essent ita tenues, ut sustentando decenti numero Canonicorum, & gradui pro loci, & personarum qualitate non sufficerent

CAP. II.

Variæ resolutiones circa Pensiones beneficiorum.

1. NOta primò: Per Pensiones Ecclesiasticas, quæ per modum oneris realis quandoque imponuntur beneficijs Ecclesiasticis, notabiliter quoque diminuntur eadem beneficia; quare de ijs hoc loco breviter differendum judico. Unde advertendum per *Pensionem* intelligi portionem aliquam determinatam, de redditibus beneficij Ecclesiastici justa ex causa detractam, & alteri assignatam.

2. Nota secundò: regulariter non est licitum beneficiatis imponere Pensiones; utì constat ex allatis canonibus pro *concl. 1. præc. cap.* cùm hæ diminuant beneficia. Summus tamen Pontifex potest ob justam causam beneficijs Ecclesiasticis annectere Pensiones; cùm is habeat plenissimam potestatem dispensandi circa Ecclesiastica beneficia, *cap. 2. de præbend. in 6.* Justæ porro causæ censentur esse necessitas, & utilitas evidens Ecclesiæ; puta quia merita personæ, cui confertur pensio, eam suadet &c.

3. Nota tertiò: Similiter Episcopus Pensiones constituere valet ex justa causa; puta necessitate; aut evidenti utilitate; vel ob bonum pacis; vel ad sopiendas lites, quando beneficium est litigiosum; & ad redimendam vexam; ut dicitur *cap. nisi esset 21. de prebend.* Et *cap. audivimus, de collus. deteg.* vel ut subveniatur per congruam alimentationem seni Curato, qui impotens ad deserviendum effectus est; utì habet Fagnan. Vallens. Piasec. Gigas &c. Et colligitur ex *cap. nisi 21. de præb.* Non debet tamen ejusmodi pensio esse perpetuò annexa beneficio; sed quæ extinguatur unà cum vita pensionarij; utì advertit *cit.* Fagnan. Glossa, Abbas &c. Et patet *arg. cap. 21. cit.*

4. Nota quartò: ut quis ritè obtinere valeat Pensiones Ecclesiasticas, debet *primò* esse Clericus, saltèm primâ tonsurâ initiatus; cùm sit jus fundatum in statu Clericali: debet etiam habitum Clericalem deferre, saltèm si Pensio excedat summam 60. ducatorum auri de Camera; utì habet constitutio 3. Sixti V. *Secundò* debet ad minus habere 14. annos: & juxta Tridentinum non innodatus aliquâ censurâ; nec Religiosus; nec irregularis; utì habent Garc. Azor. Pirh.

5. Nota quintò: Pensiones communiter extinguuntur, vel voluntaria dimissione Pensionarij: vel mutatione status; ut si Pensionarius fiat miles: vel professione expressa ejus in aliqua Religione: vel promotione ejus ad Episcopatum: vel morte ipsius: vel contractione matrimonij per verba de præsenti; utì habent Azor. Garc. Pirhing. & alij DD.

6. Nota sextò: pensionarius obligatur pro rata contribuere ad subsidium charitati-

vum

vum Episcopi; uti & ad persolvendas gabellas, quæ ob publicam necessitatem imponuntur Clericis; ac ad alia similia onera, quibus nonnunquam aggravantur Ecclesiastica beneficia justam ob causam; uti tenent Laym. Azor. Garc. & alij DD. Et eadem, ac quæcunque alia obligatio transit ad successorem, quando transit Pensio; uti habet Azorius.

7. Nota septimò: tametsi cuilibet curato, & non curato beneficio affigi possit Pensio justam ob causam supra relatam; saltèm à Summo Pontifice: nihilominus S. Tridentina Synodus *Sess. 24. cap. 13. de Reform. statuit, ne Cathedrales Ecclesiæ; quarum redditus Summam mille ducatorum; neque Parochiales, quæ Summam centum ducatorum secundùm verum annuum valorem nō excedunt, ullis Pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur.* Beneficijs etiam simplicibus nulla Pensio impendenda est; nisi redditus annui 24. ducatorum summam excedant. Similiter nec Canonicatus, vel Dignitas aliqua Pensione oneranda est; nisi redditus ejus centum ducatorum quantitatem excedat; uti tenent Azor. Pirhing. &c.

8. Nota octavò: Pensionis reservatio fieri potest tum ante collationem beneficij; tum post collationem; si tamen accedat consensus beneficiati; uti advertit Laym. & Azorius. Pensio autem ipsa imposita alicui beneficio debet esse moderata, ita ut remaneat beneficiato, præsertim Ecclesiæ Rectori commoda sustentatio; item ut officium misericordiæ erga pauperes, & hospitalitatis erga peregrinos exercere valeat; item solvere Jura Episcopalia, & alia onera incumbentia præstare; juxta *cap. de Monachis 12. de prabend.*

TITULUS XIII.

DE REBUS ECCLESIÆ ALIENANDIS; VEL NON.

CAP. I.

Quarum rerum Ecclesiasticarum alienatio sit prohibita.

1. NOta primò: postquam D. Papa Gregorius IX. digessit *titulos superiores* de præbendarum Ecclesiasticarum collatione, modis easdem instituendi, & gestis ab Episcopo cum, vel sine consensu Capituli; consequenter *hoc tit.* tradit doctrinam generalem circa alienationem rerum, & bonorum ad easdem præbendas Ecclesiasticas pertinentium, ostenditque quid Juris habeant Clerici, & non habeant, circa ipsas alienandas.

2. Nota secundò: nomen *alienationis* duplicem habet usurpationem; strictam scilicet, & latam. *Alienatio strictè sumpta* importat propriè talem actum, quô transfertur alicujus rei traditæ dominium directum in alterum; cujusmodi sunt venditio, donatio, permutatio &c. uti patet ex *L. 1. C. de fund. dotal. Alienatio latè sumpta* importat omnem actum, quô non tantùm dominium rectum; sed etiam utile transfertur; quare complectitur donationem, venditionem, permutationem, emphytheusim, infeudationem, usumfructum, hypothecam, & locationem ad longum tempus, *cap. nulli 5. §. alienationis hoc tit.* Et *L. ult. C. de reb. alien. non alien.* item hæredis institutionem, legatum, fideicommissum *cap. 1.* & *cap. cum in officiis; cum duob. seq. de transact.* item transactionem quando res per eam traditur; secus quando per eam res tenetur; uti notat Rebuff. imò & secundùm *Extravag. ambitiosa, hoc tit. in commun.* locationem ultra triennium, quando scilicet res quotannis dat fructum; aliàs si res alternis duntaxat annis fructum ferat, potest locari ad sexennium; ut notat Vall.

3. Nota tertiò: nomine *Ecclesiæ* hìc venire omnem locum pium, authoritate Episcopi constitutum. Nam constitutio Leonis Imper. in *L. jubemus C. de SS. Ecclesiis, de non alienand.* &c. postea extensa fuit ad omnem locum pium in *Auth. hoc jus porrectum C. eod.*

4. Dico primò: alienatio rerum Ecclesiasticarum quarumcunque regulariter prohibita est quibusvis Clericis, non tantùm simplicibus; sed etiam Prælatis, Episcopis, & Archi-Episcopis; & à fortiori Laicis. Ita Hostiens. Vallens. Glossa, Abbas &c. Et constat de Clericis ex *cap. ex Clement. & Extravag. toto hoc tit. in 6.* Et *cap. si quis Presbyterorum 6. cap. ad audientiam 9.* & *cap. nulli 5. hoc tit.* De Laicis verò, scilicet Regibus, & Principibus in quorum territorijs extant res Ecclesiasticæ, patet ex *cap. 2. hoc tit.* Et procedit hæc prohibitio

hibitio ita, ut non tantùm in extraneum; sed nec etiam in personam Ecclesiasticam, vel aliam Ecclesiam dictæ res per alienationem transferri possint, *cap. 1. hoc tit.* Imo nec ipsemet Clericus, etiam Episcopus eas sibi usurpare potest, *can. si privatum.* Et *can. monemus caus. 13. q. 2.* Sed easdem custodire tenetur, ac cum periculo vitæ defendere, *cit. can. privatum.* Et *cit. can. monemus.* Ut autem clariùs pateat hujus alienationis generaliter prohibitæ vis, & effectus, ad speciem singularium rerum Ecclesiasticarum alienari prohibitarum descendo. Unde

5. Dico secundò: imprimis prohibita est alienatio rerum omnium immobilium Ecclesiarum, ut prædiorum, fundorum, agrorum, rusticorum mancipiorum (id est colonorum adscriptitiorum, seu colentium agros) & similium; ita ut nec quidem titulô specialis hypothecæ obligari possint. Ita Engel, Abbas, Redoan. & communis DD. Et constat ex *cap. nulli 5. hoc tit.* Et procedit de quacúnque alienatione, sive ea fiat per conditionem (id est concessionem sub conditione) sive per donationem, sive per venditionem, sive per permutationem, sive per emphyteusim perpetuam; ut habetur *cit. cap. nulli.*

6. Nota quartò: rebus immobilibus Ecclesiasticis non alienandis mox recensitis rectè etiam annumerantur Jura incorporalia, ut quæ ad jurisdictionem pertinent; ut notat Engel, & Vallens. item actiones, lites, & nomina debitorum; uti observat Abbas: item servitutes prædiorum, Jura piscandi, venandi, & similia, *cap. 2. hoc tit. in 6.* item census annui; si ex fundatione, vel aliunde in perpetuum sint constituti pro sustentatione ministrorum Ecclesiæ, *Clement. 1. §. cùmque annui redditus; de verb. signif.* item unio perpetua unius Ecclesiæ cum altera; vel unius beneficij cum alio beneficio, *cap. tua 8. de his, quæ fiunt à Prælat.* &c. quæ & similia regulariter à nullo Clerico, etiam Episcopo possunt alienari. Et Ratio horum omnium est; quia alienatio cederet in detrimentum eorum: Item eisdem annumerantur arbores grandes non cæduæ, ut habet Vallensis: item bona ad mensam Episcopalem vel Capituli pertinentia; ut habetur *cap. ut super 8. hoc tit.*

7. Dico tertiò: præterea prohibita quoque est alienatio omnium rerum mobilium pretiosarum, pertinentium sive ad Ecclesias regulares; sive ad sæculares, & quæ servando servari possunt. Ita Pirh. Abbas &c. Et habetur in *Extravag. ambitiosæ, de rebus Eccles. non alienan. inter comm.* Hujusmodi pretiosa censentur esse, vasa aurea, & argentea, gemmæ, & vestes pretiosæ quæ asservari possunt; uti constat ex *Extravag. unic. inter communes, hoc tit.*

8. Dico quartò: prohibita pariter est alienatio rerum mobilium non pretiosarum, ex quibus utilitas, & fructus diuturnus percipi potest; Ita Molin. Pirh. Ratio est; quia hujusmodi alienatio esset valde damnosa Ecclesiæ. Hujusmodi porrò res mobiles afferentes utilitatem, & diuturnum fructum censentur esse greges caprarum, & ovium; ex quibus quamvis permittatur vendere seorsim singulas oves, vel capras gregis alicujus; non tamen conceditur alienare totum gregem, ex quo Ecclesia annuos redditus percipere solebat, ob continuam multiplicationem fructuum; ut notat Molin. Item hujusmodi res mobiles utiles censentur esse omnia jumenta boum, & equorum quibus fundi sulcantur, & coluntur, quæ alienari nequeunt; nisi superflua essent, *L. ult. C. quando decreto opus non est.* Item arbores fructiferæ, vel aliàs valde utiles, & necessariæ prædijs Ecclesiasticis; ut notat Navarr. Item Sylvæ cæduæ totaliter exscindi non possunt, ob sui utilitatem; ut habet Panorm. Navar. &c.

CAP. II.

Quarum rerum Ecclesiasticarum alienatio possit fieri; & quomodo.

1. Dico primò: res mobiles non pretiosæ Ecclesiæ, quæ servando servari non possunt sine detrimento, licitè possunt à Prælatis Ecclesiasticis etiam sine ulla solemnitate Juris alienari. Ita Hostiensis, Abbas, Vallens. Piasec. Engel &c. Et Ratio est; quia Tutores, & Curatores, quorum tamen potestas longè magis est restricta, quàm Prælatorum, sine solemnitate Juris possunt alienare res mobiles illas, quæ servando servari nequeunt absque detrimento; uti habetur *L. lex quæ 22.* Et *L. Tutores C. de administ. Tutor.* Ergo etiam Prælati easdem sic alienare possunt. Et quia Jura nullibi prohibent similium rerum Ecclesiæ alienationem.

2. Nota autem primò: per præfatas res mobiles rectè intelligi sequentes: *Primò* ea omnia, quæ usu absumuntur; vel quæ brevi tempore durarent, uti sunt fructus arborum, oleum, vinum, frumentum, animalia, & pecora singularia, ac vestes pleræque; ut notat Vall. Piasec. & Engel. Item pecunia quotidiano usui inserviens, quæ servata nihil fructificaret; ut habet Panorm. & Hostiens.

3. Di-

3. Dico secundò: similiter aliquæ res immobiles Ecclesiæ, & mobiles pretiosæ à Prælato alienari possunt ob justam causam, absque forma ac solemnitate Juris, seu à Jure præscripta. Ita communis DD. Et constat ex *cap. ut super 8. hoc tit.* Et pluribus alijs. Et veniendo ad speciem talium rerum

4. Nota secundò: vineolas, & alios fundos, ac possessiones minùs utiles Ecclesiæ, & procul distantes, quæque sunt exigui valoris, posse à Prælato licitè alienari; aut commutari pro utilioribus; utì constat ex *cap. cit. 8.* Et *can. terrulas, cauf. 12. q. 2.* Estque Ratio; quia Prælatus potest conditionem Ecclesiæ facere meliorem; non autem deteriorem, *cap. 2. de donat.* Similiter potest Prælatus cum causa justa, scilicet evidenti utilitate Ecclesiæ, & absque solemnitate debita Juris terram, vel villam Ecclesiæ, quæ fertilis non esset, dare in emphyteusim hæredibus ejus, cujus studiô primùm ad culturam est redacta, *cap. ad aures 7. hoc tit.* Item potest fundum aliquem, qui antea solitus erat infeudari, aut in emphyteusim dari, infeudatione, aut emphyteusi expirante, iterum in feudum, aut emphyteusim dare, absque solemnitate Juris, aliàs pro alienatione ordinata à Juribus; dummodo hoc fiat antequam illius fundi fructus Ecclesiæ incorporentur; ut habet Vallens. Estque Ratio; quia tunc non censetur fieri aliqua nova alienatio, à Jure vetita; sed quædam continuatio alienationis jam factæ. Idem Prælatus potest licitè & absque solemnitate alienare ob causam res nondum Ecclesiæ quæsitas; id est, nondum cæptas possideri ab Ecclesia: sic v.g. potest repudiare, ac dimittere legatum aliquod, & hæreditatem Ecclesiæ relictam in testamento, si justa sit causa; puta si timeantur odia, vel scandala; utì notat Zoës. Vallens. Sylv. nisi tale legatum esset relictum simul Episcopo, & Capitulo. Idem Prælatus potest usumfructum bonorum, pro mensa sua destinatorum, ad suum beneplacitum durante suâ vitâ alteri concedere; ut notat Piasec. Et Prælati regulares Ordinis Mendicantium possunt bona suis Monasterijs incapacibus bonorum relicta, alienare; utì habet Quares. Vall. & Piasec.

5. Dico tertiò: aliquarum verò rerum immobilium, & mobilium pretiosarum alienationem Prælatus facere tenetur ex justa causa, & servatâ formâ debitâ, ac solemnitate præscripta à Jure. Ita communis DD. Quæ autem sint res illæ

6. Nota tertiò: ad ritè alienandas immobilium possessiones notabilis valoris, & utilium, v. g. terrarum fructiferarum, & valde utilium, aliorumque bonorum fixorum; item ad alienanda mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt; utì sunt vasa aurea, argentea, torques, gemmæ, calices, casulæ, tapetes, & quæcunque non corrumpuntur spaciô unius triennij; vel notabiliter non deteriorantur, requiritur justa causa, forma, & solemnitas Juris; *cap. unico 17. Extravag. hoc tit.* Et *can. sinè except. cauf. 12. q. 2.* Similiter ad permutanda, donanda, vel aliter alienanda mancipia (quæ rebus mobilibus pretiosis annumerantur) requiritur justa causa, forma, & solemnitas *cap. mancipia 3.* Et *cap. seq. de rerum permut.* Quod si tamen Rector, vel Prælatus Ecclesiæ prædium, familiam, aut aliud quidpiam suâ industriâ acquisivisset, vel attulisset, poterit mancipium, & servum ejusdem Ecclesiæ manumittere; utì habetur *cap. consuluit 3. hoc tit.* Item aliquem servum qui esset bene meritus de Ecclesia; ita tamen, ut talis manumissus cum suo peculio, & posteritate maneat sub protectione talis Ecclesiæ; & utilitates sibi injunctas (id est operas obsequiales tempore manumissionis ipsis à Domino impositas) prosequatur; utì dicitur *ibidem.*

CAP. III.

De causis, solemnitatibus, pœnis, & revocatione alienationis rerum Ecclesiæ.

1. NOta primò: causæ autem justæ ad ritè instituendam alienationem rerum immobilium, & mobilium pretiosarum sunt sequentes. *Prima* est necessitas, ut si Ecclesia valde gravaretur ære alieno, & id aliter persolvi non posset; nisi per alienationem aliquam rerum Ecclesiasticarum immobilium, vel mobilium pretiosarum; utì habetur *can. 2. §. hoc jus, cauf. 10. q. 2.* Vel alia evidens necessitas, cui alia via subveniri non possit *cap. 1. hoc tit. in 6.* Et *Clement. 1. eod.* *Secunda* est evidens Ecclesiæ utilitas; utì constat ex *can. sinè exceptione, cauf. 12. q. 2.* talis utilitas esset, si fundus aliquis, vel villa Ecclesiæ distraheretur, ut melior, & utilior emeretur. *Tertia* est pietas; quando videlicet aliqua res Ecclesiæ alienanda est necessaria pro redemptione captivorũ, vel ad sublevandã gravem necessitatem pauperum *can. sacrorum 15.* Et

can. sicut 16. Et *can. aurum 70. caus. 12. q. 2.* Nam melius est ut vasa viventium serventur, quàm metallorum, scilicet Ecclesiæ; ut dicitur *cit. cap. aurum.* *Quarta* est commoditas; quando nimirum aliqua res Ecclesiæ plus damni, quàm commodi affert; puta quia longè distat; vel sit exigua *can. terrulas 53. caus. 10. q. 2.*

2. Nota secundò: forma, seu solemnitas Juris consistit in quatuor sequentibus; *Primò*, ut super re Ecclesiæ alienanda instituatur priùs tractatus à Prælato, & Capitulo, an expediat eam alienare; uti habetur *can. sinè exceptione 52. caus. 12. q. 2.* Et *cap. dudum 1. hoc tit. in 6.* *Secundo* ut accedat consensus Capituli in alienationem, saltèm pro majori, & saniori parte; *cit. can. sinè exceptione.* Et *cap. 1. de his quæ fiunt à Prælatis* &c. *Tertiò* ut Capitulum subscribat, quando alienatio contingit mediante donatione, venditione, & permutatione; utì dicitur *cit. can. sinè exceptione.* Et *cap. tua 8. de his quæ fiunt à Prælat.* &c. Etsi huic solemnitati in pluribus locis sit derogatum per veterem consuetudinem, ita ut sufficiat subscriptio solius Notarij; utì tradunt Molin. Pirh. Vallens. &c. *Quartò* ut accedat Superioris authoritas, & consensus, scilicet Episcopi; vel in exemptis Ecclesijs Prælati illius, qui est superior immediatus; utì constat ex *cap. 1. de his quæ fiunt* &c. Et tenet Abbas, Vallens. &c. Papa Paulus II. in *Extrav. ambitiosæ unic. hoc tit.* addit & quintam solemnitatem Juris, ut videlicet accedat consensus Romani Pontificis; ubi etiam statuit varias pœnas contra aliter alienantes. Putat autem Vallens. Navarr. Engel, Covarr. hanc Extravagantem non esse ubique receptam; saltèm quoad pœnas, & locationem.

3. Nota tertiò: varias pœnas statutas esse à Jure contra illicitè alienantes res Ecclesiæ. *Primò* Prælatus alienans rem aliquam Ecclesiasticam absque causa justa, ponit actum irritum, & nullum; etsi in alienatione tali observata fuisset forma, & solemnitas Juris; utì constat ex *cap. 1. hoc tit. in 6.* Et in *Clement. 1. eod. tit.* *Secundò* Prælatus alienans etiam ex causa justa aliquam rem pretiosam, quæ servando servari poterat; sed sinè consensu Capituli, similiter nulliter agit; utì constat ex *cap. si quis 6.* junctâ Glossâ verb. *ab initio, hoc tit.* *Tertiò* præterea quicunque alienans res Ecclesiasticas notabiles, v.g. prædium, absque causa, & forma, & solemnitate Juris, ponit actum irritum, & incidit in excommunicationem; nisi celeriter alienatum restituerit; utì habetur *cap. 6. hoc tit.* Et *cap. qui res 2. hoc tit.* *Quartò* alienantes, qui Pontificali vel Abbatiali dignitate præditi sunt, propter alienationem illicitam à se factam interdicuntur ingressu Ecclesiæ: & si in interdicto per sex menses perseveraverint animô induratô, suspēduntur ab administratione Ecclesiæ: inferiores autem Prælati, & Rectores, ac Administratores Ecclesiarum beneficijs, quorum bona alienarunt privantur, & beneficia eorum tanquam vacantia alijs liberè conferri possunt; utì dicitur in *Extrav. ambitiosæ, unic. hoc tit.*

4. Nota quartò: si contingat fieri aliquas alienationes prohibitas rerum Ecclesiæ, tenetur Prælatus Ecclesiæ easdem instituens celeriter revocare, & res alienatas repetere; utì colligitur ex *cap. si quis 6. hoc tit.* Idem dicendum de Capitulo, quod consensit forsitan in tales alienationes. Si autem hi revocare nollent, aut non possent dictas alienationes, potest quilibet de Clero agere ad rei illegitimè alienatæ restitutionem, *cit. cap. si quis.* Et si Prælatus, vel Rector Ecclesiæ illegitimè alienans in revocando alienationem sit contumax, à Prælatura deponi debet; vel ab administratione, & officio; utì dicitur *can. monemus 18.* Et *can. Diaconi caus. 12. q. 2.*

5. Nota quintò: si Prælatus institueret alicujus rei Ecclesiasticæ alienationem cum debita quidem forma, & solemnitate; sed læsione Ecclesiæ enormi exinde resultante; tunc Ecclesia potest petere restitutionem in integrum; utì constat ex *cap. ad nostram 11. hoc tit.* Ratio est; quia Ecclesia gaudet jure minoris. Hujusmodi autem restitutio petenda est intra quadriennium; utì dicitur in *tit. de restitut. in integr.* Nisi læsio enormis etiam post elapsos quatuor annos faciat indulgeri restitutionem, *cap. pen. hoc tit.* Et *cap. 1. de restit. in integr. in 6.* citra injuriam ejus, contra quem conceditur, cui pretium suum est salvum. Ita læsione ultra dimidium salva est rescissio ex *L. 2. C. de rescind. vend.*

CAP. IV.

Quid de alienatione rerum Ecclesiasticarum, vel aliarum oblatarum in Ordine S. Francisci.

1. Dico primò: Nulla instrumenta publica fieri possunt ab ipsis Fratribus Minoribus de Observant. & Reform. capitulariter congregatis, nec quocunque aliô modô se habentibus, in quibus alienetur, & transferatur dominium alicujus Capellæ, seu sepulturæ; si tamen sese occasio obtulerit, in qua fidelium pietati satisfacere oporteat, id per

id per modos Instituto stricto Franciscano congruentes fieri potest. Ita Lantusca, Rodriqu. Sanctor. &c. Et habetur in Constit. General. modernis *cap.6. §.5. n.6.* Et est Ratio primi; quia ut habet Regula Juris 79. *Non potest quis plus Juris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur; de Reg. Juris in 6.* Fratres autem nostri Observantes, & Reformati nihil Juris habent in Ecclesijs, vel Capellis, & sepulturis; sed Papa, *cap. Exijt de verb. signif. in 6.* adeoque nequeunt transferre dominium alicujus Capellæ.

2. Nota primò: Modos autem congruentes, sub quibus concedi potest à Fratribus Capella personæ extra Ordinem, esse sequentes; utì notat Lantusca, & Sanctorus: si videlicet tali extraneæ personæ à Fratribus non conferatur formale dominium Capellæ; nec aliud quidpiam quod ad illud accedit: nec intercedat mercatus, vel venditio; nec deducatur in pactum solutio aliqua pro eadem Capella, vel sepultura: sed concedatur ipsi usus facti, fabricandi, ornandi, paramentis decorandi, ac in illa fodiendi sibi suisque sepulturam, atque in illa se suosque sepeliendi. Et poterunt Fratres eleemosynas à tali persona intuitu dictæ concessionis sic modificatæ oblatas acceptare; sicut pro Missis easdem acceptant; utì observat Sanct. An autem Syndicus Apostolicus possit nomine Sedis Apostolicæ alienare aliquam Capellam Ordinis, vel jus sepulturæ, disputant DD. Ordinis; affirmat Portel verb. *Capellæ Monasteriorum*: citans Rodriqu. *tot. 4. addit. ad Summam* verb. *Procurator, conclus. 6.* asserens sufficere ad hujusmodi translationem consensum Papæ per suum Procuratorem constitutum, cum assensu Provincialis; non verò Guardiani. Et favet huic opinioni in parte Statutum factum pro Ultramontana Familia in Toletanis Statutis ann. 1583. *cap. 3. de Observ.* ubi dicitur; *Syndicus nomine Sedis Apostolicæ potest dominium, & proprietatem alicujus Capellæ, vel sepulturæ transferre; si tamen priùs Fratres ipsi capitulariter congregati tribus distinctis diebus decreverint utilitati Conventûs convenire.* Negat verò Sanctorus *de pœnis cap. 7.*

3. Dico secundò: Possunt tamen memorati Fratres Minores sibi testamento modô licitô res relictas, vel aliter oblatas, aut donatas, sive mobiles, sive immobiles sint (utì sunt domus, agri, vineæ, frumenta, & similia) per certas personas idoneas curare alienari, & distrahi, ut pecunia de rebus ipsis accepta in ædificia, vel alia Fratrum necessaria convertatur. Ita Rodriqu. Lantusca, Sanctor. Portel, & communis DD. Ordinis. Et habetur *cap. Exijt, de verb. signif. in 6.* Et in Constitutionibus Generalibus modernis *cap. 4. §. 1. n. 2.* sic loquentibus; *cùm pro Fratrum necessitatibus omnia pro iisdem oblata, vel relicta, sive denarios, aut pecunias Syndici Apostolici recipere, & pro constructione, vel reparatione domorum, pro instauratione Ecclesiarum, ac rerum ad Divinum cultum pertinentium; sive pro necessitatibus Fratrum tam ad victum, quàm ad vestitum attinentibus Apostolica Authoritate* (scilicet Nicolai III. Martini IV. Martini V. Eugenij IV. Sixti IV. &c.) *tanquam legitimi Procuratores Apostolici, juxta placitum superiorum Ordinis expendere, distrahere, commutare, & alienare possint; quæ dispensatio non est; sed modus à Summis Pontificibus inventus, pro puriori Regulæ observatione.* Et utì habent eædem Constitutiones *cit. loc. num. 5.* quod sinè dictis Syndicis, seu Procuratoribus, vel eorum substitutis nihil à Franciscanis possit emi, vendi, vel de eleemosynis disponi.

TITULUS XIV.

DE PRECARIIS.

CAP. I.

De quidditate; divisione; modis; & obligatione contractûs in genere.

1. NOta primò: Siquidem in *præcedenti tit.* egit Papa de alienatione rerum Ecclesiæ in genere: rectè *hoc*, & *pluribus subsequentibus titulis* tractare incipit de varijs speciebus, quibus contingere solent alienationes Ecclesiasticarum rerum: & primò proponit speciem Precarij *hoc tit.* Ut autem plenior de contractibus singulis notitia habeatur; operæ pretium esse duxi *hoc cap. 1.* quædam præmittere de contractu in genere. Quare

2. Nota secundò: Contractum posse usurpari in lata, & in stricta significatione. *In*

lata significatione coincidit cum Pacto: quod definitur *L. 1. ff. de Pactis*: *quod sit duorum, vel plurium in idem placitum consensus*; quo sensu comprehendit omnem contractum; puta promissionem, vel donationem liberalem, in quibus non est mutua obligatio, sed solus promittens, vel donans obligatur. *In stricta* verò *significatione* acceptus describitur *L. Labeo de Verbor. signif. Quod sit ultrò, citròque obligatio*: quæ descriptio data est per effectum, scilicet per obligationem, quem Contractus strictus gignit. Unde aliter

3. Dico primò: Contractus in stricta significatione rectiùs definitur, quòd *sit conventio libera plurium personarum, mutuam obligationem Justitiæ inducens in contrahentibus.* Ratio est; quia in hac definitione relucent omnia necessaria pro bona definitione. Explicatur; Ly *Conventio*, est genus, & significat idem, quod consensus, seu pactatio de re aliqua: reliqua habent rationem differentiæ: dicitur *libera*; quia Contractus, si libertate, vel deliberatione careant, non subsistunt; sicut nec vota. Dicitur *plurium personarum*; quia Contractus necessariò pluralitatem respicit; uti patet ex ipso nomine, dicitur *mutuam obligationem* &c. ut Contractus hic descriptus distinguatur à pactis donationis liberalis, & promissionis, in quibus una pars tantùm obligatur; & ut ostendatur effectus Contractûs rigorosi. Ego posthac inhærendo mori Jurisperitorum RR. nomine Contractûs utar in lata significatione, ut est Synonimum cum Pacto, ut etiam comprehendam Pacta, ultro citroque non parientia obligationem; quemadmodum etiam facit *L. Contractus C. de fide Instrum.*

4. Nota tertiò circa divisionem Contractûs; eum primò rectè dividi in Nominatum, & Innominatum. *Nominatus* est; qui à Juribus determinatum in specie nomen habet, tales sunt sequentes: Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, Societas, Commodatum, Depositum. Item secundùm *L. Juris Gentium*, junctâ Gloss. verb. *similes*. Mandatum, Mutuum, Pignus, & Hypotheca. Item Feudum, Emphyteusis, Sponsalia, Matrimonium, Donatio, gratuita Stipulatio, & Acceptatio. *Innominatus* est; qui à Juribus nullum in specie determinatum nomen sortitus est, sed solo generali Pactionis nomine gaudet: tales ex *L. Naturalis ff. de præscriptis verbis*, sunt quatuor; *Do ut des*; *do ut facias*; *facio ut des*; *facio ut facias*. Cape exempla singulorum. Primi, do tibi aurum, ut des mihi argentum. Secundi, do tibi triticum, ut tuas operas mihi loces. Tertij, pingo tibi imaginem, ut des mihi torquem auream. Quarti, colo tuum agrum; ut tu fabrices meas ædes.

5. Nota quartò: secundò Contractus seu Pactum dividitur in Nudum, & Vestitum. *Contractus Nudus* est, qui secundùm Less. Herincx, &c. DD. consistit in sola simplici conventione, & omni aliô firmamentô caret; tales censentur esse quatuor præfatæ species Contractuum innominatorum, antequam ex altera parte adimpleantur; vel accedat, Stipulatio, Juramentum, vel simile robur, à Legibus requisitum. *Vestitus* est è contra, qui jam habet adjunctum aliquod firmamentum; tales sunt omnes Contractus nominati *priori not.* recensiti. Observant porro *cit. DD.* Sex modis posse vestiri Contractum. *Primò* Literis; qui modus vocatur acceptilatio. *Secundò* Verbis continentibus tenorem Stipulationis. *Tertiò* Specificatione Contractûs nominati. *Quartò* Traditione rei. *Quintò* Cohærentiâ cum Contractu vestito; ut si vendam tibi ædes meas centum scutis cum pacto, ut illas adhuc inhabitem, & tibi pro incolatu dem pannum; pactum enim istud accessorium est per se nudum; nihilominus quia cohæret cum vestito venditionis, quandam à vestito vestitionem accipit. *Sextò* vestitur Juramentô appositô.

6. Nota quintò: Contractum tertiò: partiri in Contractum bonæ fidei; & stricti Juris. *Primæ sortis* sunt illi, in quibus à Judice fieri potest latior interpretatio secundùm æquitatem; unde bona fides hìc accipitur pro benigna interpretatione, ut ajunt DD. Hujusmodi Contractus censentur esse, Emptio, Venditio, Societas, & similes, qui specificantur *Instit. de Action. §. Actionum.* *Secundæ sortis* sunt illi, qui strictam interpretationem, & juxta terminos expressos conventionis factæ, postulant; unde in his Judex nil potest arbitrari, nisi quod expressè conclusum est à contrahentibus. Tales sunt omnes alij, qui *cit. Instit.* non numerantur, v.g. Stipulatio, Donatio, & Contractus innominati plerique.

7. Nota sextò: Contractum quarto alium dici Absolutum; alium Conditionatum. *Absolutus* est, cui non est apposita aliqua conditio. *Conditionatus* è contra. Item alius est Onerosus, alius Lucrativus. *Onerosus* est, cui adhæret onus, utramque partem concernens; talis est Emptio, Mutuum &c. *Lucrativus* è contra est, cui adhæret onus, unam tantùm partem gravans, alterâ sentiente utilitatem; talis est Donatio liberalis, & Commodatum. Item alius est Formalis; alius Virtualis. *Formalis* est pactio expressa verbis, vel aliô signô sensi-

sensibili roboratus. *Virtualis* est, conventio tantùm explicita sinè similibus signis: talem facit Prætor v. g. cum civitate, de diligenter administrando suo officio. Alius *Respectivus*, in quo utrinque nascitur obligatio; alius *non respectivus*, quando in uno. Circa Modos quibus perficiuntur, seu intrinsecè integrantur Contractus

8. Dico secundò: Quatuor sunt Modi perfectivi Contractûs: Re, Scripturâ, Verbis, & Consensu. Ita Sylv. Less. Herincx, & communis. Ratio est; quia ita ordinatur *Instit. de obligat.* Primô itaque modô, id est *Re* perficiuntur, & complentur Contractus, quando præstatur, seu traditur res Contractui substrata; v. g. dum traditur mutuum, vel depositum, Secundò *scripturâ*; quando Contractui adjicitur Scriptura de Jure requisita, ad valorem Contractûs; hoc modo perficitur Emphyteusis de re Ecclesiastica; & alij, quos contrahentes nolunt concludere, nisi coram Notario conficiente instrumentum Contractûs. Tertiò *Verbis*; quando certæ formulæ adjiciuntur ex Juris dispositione; quo pactô perficiuntur stipulationes omnes, quæ conceptis verbis Juris fieri debent, uno interrogante sic: *Promittisne te daturum, vel facturum hoc?* altero respondente; *Promitto;* utì constat ex *Instit. de verb. oblig.* Et *L. 5. ff. eodem tit.* Tametsi similes formulæ Juris, jam moderationem quandam acceperint; ut docet Lugo, & Juristæ passim, valeantque stipulationes quibuscunque verbis quæ contrahentibus tamen sint nota, & exprimant petitionem, ac consensum. Quartò *Consensu* mutuô exteriùs manifestatô; hoc modô perficiuntur Emptio, Locatio, Conductio &c. ut constat *Instit. de obligat. & cons. ff. unic.* Circa obligationem quam pariunt in Conscientia Contractus supra explicati.

9. Dico tertiò: ex quolibet Contractu, etiam nudo, nascitur obligatio naturalis in foro conscientiæ; ita ut rescindi nequeat, nisi Jure positivo sit irritus; vel detur irritandi potestas. Ita Lugo, Less. Herincx, Covarr. & Panorm. contra Rebuff. Gomez. Turr. &c. Ratio est; quia æquum est, ut quisque ligetur, & adimplere teneatur, quod animô deliberatô expressè promisit; unde dicitur *cap. 1. de pactis: Inita pacta suam obtineant firmitatem.* Et *cap. 3. studiosè agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur:* quæ Jura, cùm indefinitè loquantur, etiam ad Pacta, & Contractus nudos extenduntur; & consequenter ex quovis Contractu nascitur in conscientia obligatio. Dixi in Conclusione *in foro conscientiæ*; quia in foro civili, nulla ejusmodi obligatio oritur ex Contractu nudo, ne multiplicentur lites; ut habetur *L. Juris Gentium 7. ff. de Pactis*, ubi dicitur, *Nuda Pactio obligationem non parit; sed parit exceptionem*; aliosque effectus gignit; nam impedit soluti repetitionem; dat Jus excipiendi contra Creditorem per hoc, quod tibi tantundem ex Pacto competat. Et secundùm *L. Fidejussoris ff. de Pactis*, facit, ut possit pignus datum retineri; & contra Fidejussorem, si accesserit, agi; ut habet Covarr. Gomez. &c.

10. Nota septimò: de validitate, & invaliditate Contractuum orta ex dissensu interno, nolitione obligationis, errore, dolo, vi, & metu; vide quæ dico *tom. 4. Scholæ meæ Theologicæ tract. de Virtut. Cardinal. dist. 11. q. 2.* Et in *Schola hac Canonica, tom. 1. lib. 1. tit. 40. cap. 3. & 4.* Item de personis habilibus ad contrahendum; de restitutione in integrum, ratificatione, & firmatione Contractuum; *ibidem, quæst. 3.* Et *tit. 35. cap. 2.*

CAP. II.

De Contractu Precarij in speciali.

1. NOta primò: *hoc tit.* duæ species alienationis prohibitæ expediuntur; videlicet Precarium, & Precaria, seu Precariæ: quæ omnino sunt inter se distinctæ; utì patebit ex infra dicendis. Ambæ hæ species sunt Contractus, continentes quandam speciem liberalitatis, & concessionis usûs rei.

2. Nota secundò circa primam speciem: Ly *Precarium* sic dicitur à *precibus*, quibus res ad utendum datur. Et sumitur dupliciter, scilicet pro Contractu; & pro re ipsa, quæ precariò datur, & accipitur; utì notat Vallens. & Glossa. Precarium sumptum pro Contractu definit Ulpianus in *L. 1. in princ. ff.* sic *est illud, quod precibus petenti utendum conceditur, quamdiu is, qui concessit, patitur.* Sed paulò clariùs

3. Dico primò: rectè describitur Precarium, quatenus est Contractus, de quo hìc, quòd *sit contractus, quô alicujus rei usus petenti gratis conceditur, ad arbitrium ipsius concedentis revocandus.* Hæc constat ex *cap. fin. hoc tit.* & *cit. L. 1.* Ly *contractus* est genus; reliqua ponuntur pro differentia.

4. Nota tertiò: Precarium differt à *donatione*, quod per donationem res ita detur, ut donans eam ampliùs non recipiat: per Precarium verò res ita datur ad usum alterius, ut dans eam semper possit repetere. Differt etiam à *Commodato*; quod per Commodatum res alteri concedatur ad certum specialem u-

sum, & ad certum tempus; sic v. g. conceditur equus ad conficiendum iter, quod certo tempore absolvendum est, quantum scilicet sufficit & necessarium est ad illud conficiendum; per Precarium verò res non conceditur ad certum tempus; sed ad certum usum; aut si etiam aliquando concedatur ad certum tempus; tamen eam sic concedenti semper integrum est eandem revocare. Plures alias differentias Precarij à Commodato afferunt Leges; & notat Glossa, ac Pirh. hìc.

5. Nota quartò: Precarium finitur *primò*, obitu illius, cui concessum est; non autem morte concedentis; uti habetur *cap. Precarium 3. & ult. hoc tit.* Ratio primi est; quia Precarium est beneficium personale; ac proinde extinguitur cum persona, juxta *Reg. Jur. 7. in 6.* Ratio secundi est; quia Precarium est quædam species gratiæ, ac veluti privilegium: quare sicut gratia, & privilegium non revocatur regulariter per mortem concedentis, *cap. si super 9. de offic. deleg. in 6.* ita nec Precarium. *Secundò*, finitur Precarium per expressam revocationem illud concedentis; uti patet ex *cap. fin. hoc tit.* *Tertiò*, quando is, qui rem precario concessit, eandem alienavit; tunc enim emptor eam revocare potest ab obtinente illam precario; sicque tollitur Precarium; uti constat ex *cit. cap. finali.*

6. Dico secundò: contractus Precarij est licitus circa res Ecclesiasticas, quando fit absque detrimento Ecclesiæ; prohibitus verò, & revocandus, quando vergit in damnum ejusdem. Ita communis DD. Et primum constat ex *cap. fin. hoc tit.* Secundum verò ex *cap. 2. eod. tit.*

CAP. III.

De Contractu Precariarum.

1. Nota primò circa alteram speciem alienationis hujus tit. *Precariæ*, seu *Precariarum*; quòd Hostiensis ponat differentiam aliquam inter ea, quòd Precaria in singulari sit Contractus respiciens concessionem usufructûs, prædij v. g. Ecclesiastici ultra vitam, quintô quôque annô renovandus; Præcariæ verò in plurali sint Contractus respiciens concessionem ejusdem usufructûs ad tempus vitæ duntaxat. Attamen communis DD. cum Abbate, Vallens. Cujac. &c. tenent ea pro synonimis. Hic Contractus non est fermè cognitus in Jure Civili; & à Canonibus primò inventus.

2. Dico primò: rectè describitur Precaria, seu Precariæ, quòd *sit Contractus quô usufructus rei immobilis alicui roganti remunerationis ergò conceditur ad ejus vitam, aut aliud certum tempus; ita tamen ut ante illud elapsum revocari non possit.* Ita Zoës. & Glossa. Ly *contractus* est genus; reliqua ponuntur pro differentia.

3. Nota secundò: Contractus Precariæ, seu Precariarum variè differt à Contractu Precarij. *Primò* Precarium semper potest revocari pro arbitrio concedentis; non autem Precaria; nisi elapsum sit tempus concessionis; ùt dicitur *cap. 3. & ult. hoc tit.* *Secundò* Precarium non datur ad certum tempus: Precariæ verò sic dari possunt; ut notat Abbas, Pirh. &c. *Tertiò* Precario dari possunt tam res mobiles; quàm immobiles; item Jura, & servitutes, v. g. iter per fundum alterius *L. 2. ff. de Precar.* Precaria verò tantùm locum habet in possessionibus, sive rebus immobilibus, *can. si Precariæ 4. caus. 10. q. 2.* Contractus Precariarum etiam differt ab Emphyteusi (etsi in plerisque cum eo conveniat) quod Precariæ plerumque fiant gratìs, ac ad alterius preces; v. g. quòd Clerico, vel Laico pauperi concedatur gratìs aliqua possessio Ecclesiastica, seu fundus, ut eô fruatur toto tempore vitæ suæ, *can. Clerici, caus. 16. q. 3.* Et *can. possessiones 6. caus. ead. q. 1.* Non sic Emphyteusis, cui semper aliqua pensio realis solvenda annexa est.

4. Dico secundò: Contractus Precariarum est licitus circa aliquas res immobiles Ecclesiæ, quando fit citra damnum Ecclesiæ; si autem afferat aliquod detrimentum Ecclesiæ, non est permissus; & sic factus est revocandus. Ita Glossa, & communis DD. Primum colligitur ex *cap. 1. hoc tit.* Secundum verò habetur *cap. 2. eod. tit.*

5. Dico tertiò: Precariæ debent singulis quinquennijs renovari. Ita communis DD. Et habetur *cap. 1. hoc tit.* Estque Ratio; quia nisi fieret hujusmodi quinquenalis renovatio, de facili induceretur ejus oblivio, *arg. can. longinquitate caus. 12. q. 2.* Sicque hæredes ejus, qui vi Precariarum fundos aliquos Ecclesiæ habuit, adstruerent eos esse suos proprios, cum damno Ecclesiæ. Quare sicut non petens investituram à novo Domino cadit Jure suo; ita pariter non petens renovationem Precariæ, elapsô quinquenniô; ut notat Abbas, Vall. &c.

TITU-

TITULUS XV.
DE COMMODATO.

CAP. I.
De quidditate Commodati, & rebus quæ Commodari possunt.

1. NOta primò: Precarijs, de quibus *priori tit.* plurimùm assimilatur Commodatum: unde congruè de ipso subnectitur *hic tit.* Dicitur autem *Commodatum*, sic, quia quasi accipientis *Commoda datum* est; ut notat Pirhing. Et sumitur tum pro ipsa re Commodata; tum pro contractu innominato.

2. Dico primò: rectè definitur Commodatum prout est Contractus quidam innominatus hic consideratus, quòd *sit Contractus, quô res aliqua gratuitò alicui conceditur utenda ad tempus, finem, ac modum certum, eâ lege, ut eadem in specie reddatur.* Ita constat ex *§. item is cui; Instit. quibus modis recontrahitur obligatio.* Et *L. 1. §. item is cui, ff. de obligation. & action.* Ly *contractus* est genus; reliqua habent rationem differentiæ. Dicitur, *quô res aliqua gratuitò alicui conceditur*, ad differentiam Locationis, quâ quidem conceditur aliqua res utenda; sed constitutâ mercede. Dicitur *utenda* ad differentiam pignoris, & depositi & contractuum innominatorum; in his enim non conceditur res utenda. Dicitur *ad tempus, finem, & modum certum*, ad distinctionem Precarij. Dicitur *eâ lege, ut eadem in specie reddatur*, ad exclusionem mutui, in quo non redditur eadem in specie res; sed alia ejusdem generis, & qualitatis.

3. Dico secundò: res Ecclesiæ (& quæcunque aliæ mobiles, & immobiles profanæ, exceptis illis quæ ipso usu consumuntur) possunt commodari, dummodo per hoc Ecclesia non patiatur detrimentum; aut si res Ecclesiæ sint sanctæ, ad usus profanos non applicentur. Ita Glossa, Azor. &c. Primum colligitur ex *cap. unic. hoc tit.* Ratio secundi est; quia de rebus mobilibus, & immobilibus, profanis etiã incorporeis (uti sunt Jura v.g. servitutes, & redditus annui &c.) non est potior ratio, quam de rebus Ecclesiæ: adeoque sicut istæ, ita & illa Commodari possunt; nisi sint tales, quæ ipso usu consumuntur. Ratio tertij est; quia Ecclesia ex nullo contractu debet damnificari; & consequenter nec ex contractu Commodati. Ratio quarti est; quia res Sacras Ecclesiæ applicare ad usus profanos continet speciem sacrilegij.

CAP. II.
De obligatione; & actionibus ortis ex Commodato.

1. DIco primò: Commodatarius tenetur de dolo; & obligatur ex lata, levi, & levissima etiam culpa, quando in ejus solius gratiam fit contractus Commodati. Ita Glossa, Covarr. Vallens. Et habetur *L. si ut certo §. nunc videndum ff. Commodati.* Et *cap. unic. hoc tit.* Estque Ratio; quia cùm Commodatum tantùm Commodatarij, seu accipientis causâ contrahatur; ideo quo major ei fit gratia, & beneficium; eò magis debet cavere, ne pro gratia, & beneficio injuriam, ac damnum rependat.

2. Dico secundò: si autem contractus Commodati erigatur in utriusque gratiam, scilicet accipientis, & dantis, seu Commodatarij, & Commodatoris; ut si suppellex argentea alicui fuit commodata ad honoratè excipiendum hospitio in ædibus Commodatarij communem aliquem amicum utriusque; tunc Commodatarius obligatur tantùm ex culpa lata, & levi; non autem levissima. Ita Glossa Pirhing. &c. Et constat ex *L. in rebus 18. ff. hoc tit.*

3. Nota primò: si autem res Commodata pereat mero casu fortuito; vel ob hostium irruptionem; vel incendium à fulmine causatum; vel similem aliam causam, Commodatarius non obligatur ex ulla culpa; uti constat ex *cap. unic. hoc tit.* Si tamen casus fortuitus acciderit culpâ Commodatarij, vel pactum intervenerit; vel is fuerit in mora; tunc is tenetur etiam de tali casu fortuito; uti dicitur *cit. cap. unic.*

4. Nota secundò: ex contractu Commodati nascuntur duæ actiones, una directa, altera contraria. *Directa* datur Commodatori, & ejus hæredi adversù Commodatarium, & ejus hæredem *L. in Commodato ff. hoc tit.* ut

scilicet

ſcilicet res reſtituatur finito uſu, aut tempore, & reſarciatur, quatenus culpâ Commodatarij eſt facta deterior. *Contraria*, & quaſi ex oppoſito reſpiciens directam, datur Commodatario, & ejus hæredi; contra Commodatorem, & ejus hæredem, ad repetendum quod ſua intereſt; id eſt ad id, quod in rem inſumpſit, & ad refundendum damnum, quod vel ex intempeſtiva repetitione rei accepit; vel ex re vitioſa data.

TITULUS XVI.

DE DEPOSITO.

CAP. I.

Quid ſit; & quâ ratione permiſſum Depoſitum.

Nota primò: continuat Papa ſeriem
1. Contractuum in ſpecie, quibus alienationes Eccleſiæ fieri ſolent; & *hoc tit.* proponit contractum Depoſiti. Eſt autem Depoſitum ſecundùm Juris conſultum in *L. 1. ff. hoc tit.* id, quod cuſtodiendum alteri datum eſt; ſic dictum quòd *ponatur*; Præpoſitio enim *De* auget *poſitum*, ut indigitetur, totum eſſe commiſſum fidei Depoſitarij; in *cit. L.* ſumitur Ly *Depoſitum* pro re ipſa: hoc autem *tit.* Papa illud ſumit pro contractu circa illam verſante. Unde

2. Dico primò: bene deſcribitur Depoſitum, quòd *ſit Contractus, quô res aliquâ ſine mercede cuſtodienda traditur alteri, ut integra reſtituatur ad libitum deponentis.* Ita colligitur ex *cit. L. 1.* Ly *contractus* eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia. Differt autem Depoſitum ab alijs contractibus ſic; à *Pignore*, quia Pignus datur Creditori ad cautionem, & ſecuritatem debiti; Depoſitum verò in cuſtodiam tantùm. A *Locatione, & Conductione*; quia in his traditur res cum mercede; in Depoſito verò gratuitò, & ſinè mercede, *L. 1. §. ſi veſtimenta ff. hoc tit.* A *Mutuo*; quia in hoc transfertur dominium rei mutuò datæ *L. licet 17. §. res ff. hoc tit.* non autem in Depoſito, in quo dominium & proprietas manet penes deponentem, *cit. L. licet.* A *Commodato*, quia in eo conceditur rei uſus accipienti; in Depoſito autem non ad uſum, ſed ad cuſtodiam res traditur, *L. ſacculum 29. ff. hoc tit.*

3. Dico ſecundò: res Eccleſiæ poſſunt depoſitari; citra tamen ejus periculum, & damnum. Ita communis DD. Et conſtat ex *cap. 2. hoc tit.* Poterit autem Deponens aliquas res Eccleſiaſticas repetere eaſdam à Depoſitario, quandocunque libuerit; & Depoſitarius tenetur illas reddere. Utì habetur *cap. cit. 2.* Et *L. 1. §. eſt autem ff. hoc tit.* Eſtque Ratio; quia cùm contractus Depoſiti deponentis gratiâ fiat; non eſt prohibendus pro arbitrio revocare talem contractum, ac mutare voluntatem. Excipe niſi ex redditione Depoſiti Eccleſiaſtici timeretur damnum Eccleſiæ; vel ipſi deponenti; utì conſtat ex *can. ne quis 14. cauſ. 22. q. 2.*

CAP. II.

De obligatione; & actionibus ortis ex Depoſito.

Nota primò: non permittitur in re
1. Eccleſiæ depoſita cum alio debito ejuſdem compenſatio; vel deductio per quam aliqua pars Depoſiti retineretur; utì dicitur *cap. 2. hoc tit. ne alioquin contractus* (inquit *can. cit. loco*) *qui ex bona fide oritur, ad perfidiam referatur, ſive trahatur.* Nec Depoſitarius poteſt uti re depoſita, abſque conſenſu deponentis; aliàs ſi eâ utatur, actione & Depoſiti, & furti tenebitur; niſi pactus ſit cum Deponente, ut eâ uti valeat, *L. ſi ſacculum 33. ff. Depoſiti.* Et *L. 29. ff. eod.* Eſtque Ratio; quia uſus rei non eſt Depoſitario conceſſus; ſed tantùm ejus cuſtodia petita.

2. Dico primò: Depoſitarius tenetur de dolo; utì & de culpa lata. Ita Vall. Pirh. Zoëſ. &c. DD. Primum habetur L. *contractus 23. ff. de Reg. Jur.* Et tenetur Depoſitarius de dolo, tametſi Deponens pactus fuiſſet, ne is dolô teneretur; quia ejuſmodi pactum eſt contrarium bonæ fidei, in omnibus contractibus, & conſequenter etiam in hoc Depoſiti requiſitæ, *cit. L. 23.* Cenſetur autem tunc dolus commiſſus, ſi abſit bona fides, quæ requiritur ad omnes contractus *cit. L. 23.* bona verò fides abeſt, ſi rebus proprijs ſalvis, depoſitæ amiſſæ fuēre; utì dicitur *cap. 2. hoc tit.* Secundum *de lata culpa* patet ex *L. latæ culpæ 223. ff. de verbor. ſignif.* Et quia lata culpa comparatur dolo *L. 1. verb. ſed etſi, ff. ſi menſor.* Porro culpa lata

pa lata censeretur esse, si Depositarius portam cubiculi apertam relinqueret, ubi Depositum quiescit.

3. Dico secundò: Depositarius tamen non tenetur de culpa levi, & levissima. Ita communis DD. Quia Depositum regulariter fit tantùm gratiâ deponentis, & Depositarius nullam ex eo utilitatem consequitur, *L. si ut certo §. ff. Commodati*; ideoque non tenetur ad tam exactam custodiam, & præcavere culpam levem, ac levissimam; ut rectè notat Abbas. Præterquam si Depositarius seipsum obtulisset ad recipiendum Depositum; ut habetur *L. 1. §. sæpe ff. hoc tit.* tunc enim ad diligentiorem obligatur custodiam. Idem dicendum si stipulatus fuisset mercedem pro custodia; uti constat ex *cap. 2. hoc tit.*

4. Dico tertiò: similiter Depositarius non tenetur de casu fortuito; nisi de hoc priùs pactum inijsset, aut culpa lata seu crassa, vel mora culpabilis ejusmodi casum præcessisset. Ita communis DD. Et Primum constat ex *cap. 2. hoc tit.* Secundum, & tertium de pacto & culpa ex L. *1. C. hoc tit.* Quartum de mora ex L. *si in Asia 12. §. fin. ff. hoc tit.*

5. Dico quartò: si contingat aliquod Depositum dolô, vel Culpâ Clerici, vel Religiosi Depositarij perire aut deteriorari; non tenetur de hoc illa Ecclesia, vel monasterium, de cujus corpore est talis Clericus, vel Religiosus Depositarius; sed ipsemet Clericus, vel Religiosus obligatur resarcire damnum. Ita Vallens. Pirh. &c. Et constat ex *cap. 1. hoc tit.* Estque Ratio; quia delictum personæ Ecclesiasticæ non debet in ipsiusmet Ecclesiæ detrimentum redundare, juxta *Reg. Jur. 76. in 6.* Et *cap. cùm venerabilis, §. licet autem, de except.*

6. Nota secundò: sicut ex Commodato; ita pariter ex contractu Depositi nascuntur duæ actiones, una directa, altera contraria. *Prima* datur Deponenti, seu Depositori, ac ejus hæredi; contra Depositarium, & ejus hæredem, vigore cujus quandocunque repetere potest rem depositam, v. g. numeratam pecuniam, vel ejus æstimationem, vel damnum: ut notat Zoës. Vallens. & Bart. Et eadem ei competit in casu deteriorationis rei depositæ, aut amissionis per dolum, vel latam culpam Depositarij. *Secunda actio* datur Depositario adversùs Depositorem, quâ potest repetere omnia impendia, seu expensas factas pro custodia gesta; ut notat Vall. & Zoës.

CAP. III.

De Depositis in locis regularibus FF. Minorum.

1. Dico primò: Deposita in locis regularibus Ordinis nostri Minoritici de Observ. & Reform. sinè gravi causa non sunt ullatenus acceptanda. Ita habent Constitutiones Generales modernæ *cap. 6. §. 3. n. 1.* sic ordinantes: *Evangelicæ paupertatis statui, & Conventuum quieti prospicientes prohibemus, nè in locis nostris, aurum, argentum, seu aliud quidpiam pretiosum depositi nomine reponatur, nisi sinè scandalo secularium, vel gravi fratrum damno negari non possit; & tunc non recipiantur, nisi de Discretorum consilio, & superiorum licentia, ac à Fratribus omnino videantur, qui sciant, cui & qualiter reddi debeant, & hæc omnia scripturâ authenticâ, vel deponentis sigillô, si habet, protestatione semper præmissâ, quòd Fratres ad custodiendum depositum, nullatenus se obligare intendant, sicuti nec possunt, nec debent: Quæ deposita loco communi, & tuto per superiorem assignato semper asserventur, & eo modo quo recepta fuerint reddantur.*

TITULUS XVII.

DE EMPTIONE, ET VENDITIONE.

CAP. I.

Explicatur quidditas Emptionis, & Venditionis, mercium, & pretij.

1. Nota primò: prosequitur Summus Pontifex examen specificum contractuum; & *hoc tit.* agit de contractu Emptionis, & Venditionis; qui etsi sit unicus, secundùm tamen diversam considerationem personarum contrahentium duplici nomine exprimitur; respectu enim ementis vocatur Emptio; respectu verò vendentis Venditio: congruenter autem per copulationē dici potest *Emptio-Venditio.* Hic contractus est Jurisgentium, nominatus, & bonæ fidei.

2. Dico primò: rectè describitur Emptio.

venditio, quòd *sit contractus ultrò citròque pariens obligationem, in quo pro mercibus pretium, & reciprocè pro pretio merces in pactum deducuntur.* Ita eruitur ex *L. 1. ff. de contrah. Empt.* Ly *contractus* est genus; reliqua habent rationem differentiæ. Dicitur *ultrò citròque pariens obligationem*, ad distinctionem aliorum contractuum, qui ex una duntaxat parte pariunt obligationem; cujusmodi est donatio L. *Arist. 18. ff. de donat.* Dicitur *in quo pro mercibus pretium in pactum deducitur*, ut ostendatur sub qua ratione hic contractus sortiatur nomen Emptionis. Additur *& reciprocè pro pretio merces*; ut ostendatur, sub qua ratione nomen venditionis accipiat.

3. Nota secundò: nomine *mercium* hìc venire omnem rem mobilem, & immobilem, præsentem, absentem, & futuram, actiones, & Jura sæcularia, & similia quæ pecuniâ æstimabilia, & vendibilia sunt. Nomine autem *pretij* venit omnis moneta, seu pecunia numerata; quæ ideo est inventa, ut sit mensura cæterarum rerum, sub pactiones humanas cadentium; ut habet Aristoteles *lib. 5. Ethic. cap. 5.* nam à principio mundi res ipsæ in entitate physica inter se permutabantur, v. g. oleum pro vino, & vitulus pro ove &c. Sed progressu temporis ob varia inconvenientia, & difficultates, quibus laborabant hujusmodi permutationes, ad majorem humanæ Societatis utilitatem moneta, seu pecunia introducta est pro pretio, & mensura rerum omnium vendibilium.

CAP. II.

De requisitis ad Emptionem, & Venditionem; ac pretio ejusdem.

1. Dico primò: Contractus Emptio-Venditionis debet omnino esse ultrò citroque obligatorius, ita ut Emptor obligetur ad solvendum pretium Venditori; & vice versa Venditor ad rem Emptori extradendam. Ita communis DD. Et habetur L. *Emptio 11. in princ. ff. de Empt. & Vendit.*

2. Dico secundò: debet etiam iste Contractus, ut validus sit, mutuo consensu voluntatis perfici, qui vel verbis, vel nutibus, vel aliô signô externô exprimatur. Ita communis DD. Estque Ratio; quia cùm hic contractus sit obligatorius ultrò citroque, necessariò proficisci debet à mutuo consensu contrahentium, qui est obligationis fundamentum.

3. Dico tertiò: ad valorem autem contractûs Emptio-Venditionis sufficit mutuus consensus contrahentium; sinè traditione actuali rei, aut pretij. Ita communis DD. Et constat ex *Instit. de Empt. & Vendit.* Ut tamen compleatur integraliter talis contractus, ex parte Emptoris solutio pretij, & ex parte Venditoris traditio rei subsequi debet suo tempore. Circa pretium hujus contractûs

4. Dico quartò: ut contractus Venditionis vacet culpâ; debet pretium pro mercibus dandum, esse justum; id est tale, quod publicâ lege tantùm, vel communi hominum prudentum æstimatione determinatum est. Ita communis DD. Ratio est; quia aliàs nimius fieret abusus in attollendis pretijs; cum aperto Reipublicæ damno, ad quod præcavendum Magistratus consideratis circumstantijs temporum, locorum, copiæ, vel inopiæ mercium, pretia nunc attollere, nunc deprimere possunt, sinè injustitia. Quare pretia hôc modô constituta, à DD. vocantur; *Pretia legitima.* Quòd si deficiat taxatio Magistratûs in pretijs mercium, communi intelligentium æstimatione, pariter sinè injustitia determinari possunt: ut patet ex L. *pretia. 6. 3. ff. ad Legem Falcidiam*; & talia dicuntur *Pretia Vulgaria*, vel *Naturalia*; quia à pluribus de vulgo, vel à naturali prudentia dictata sunt. His pretijs Vulgaribus omnes omnino res, carentes pretiô legitimô vendi debent, etiam gemmæ, insignes canes, falcones, aves Indicæ, picturæ veteres, & similes; unde sinè injustitia earum pretium ad arbitrium vendentis accrescere nequit; ut habet Less. Navar. Cajet. &c. contra Soto &c. Habet porro pretium vulgare quandam latitudinem; cùm pendeat ab æstimatione hominum, qui variè juxta affectus suos ad res judicant; unde aliud est pretium vulgare summum; aliud medium; aliud infimum; circa quæ

5. Dico quintò: Venditores non excedentes limites pretij justi vulgaris, non peccant peccatô injustitiæ, si quibusdam vendant res pretiô summô vulgari; quibusdam, mediocri; vel infimô: bene tamen excedentes limites ejus. Ita Scotus *4. dist. 14. q. 2.* Navarr. Cajet. Maj. Gabriel, &c. Ratio primi est; Tum quia pretium justum vulgare secundùm omnes DD. non consistit in indivisibili, sicut pretium Legitimum: Tum quia nullo Jure insimulantur tales Venditores alicujus culpæ, vel injustitiæ. Ratio secundi colligitur ex illo Apostoli *ad Thessal. 4. Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus.*

6. Dico sextò: quando ambo pretia Legitimum, & Vulgare sunt inæqualis taxationis,

nis, ita ut unum aliud excedat; ordinariè non licet exigere pretium excedens. Ita Less. & alij. Ratio est; quia pretium ordinariè taxatur in gratiam emptorum, ut non fiat excessus in eo.

7. Dico septimò: Utroque Jure tantùm læsis ultra dimidium pretij justi succurritur, & datur actio ad rescindendum contractum; vel supplendum defectum. Ita Herincx, Laym. Less. & DD. communiter. Et determinatur *L. 2. C. de rescind. vendit.* Et *cap. cùm dilecti, de empt. & vendit.* quibus locis, etsi beneficium resciendendi contractus ob defraudationem ultra dimidium justi pretij, soli Venditori expresso Jure concedatur; tamen à DD. per æquiparationem etiam ad emptorem extenditur. Ratio etiam est; quia aliàs nimiùm multiplicarentur lites, si quomodocunque læsis infra dimidium justi pretij (quod sæpe contingit) actionem ad rescissionem contractûs Jura permitterent.

8. Dico octavò: sinè injustitia potest merx pluris vendi, quàm per se valeat, vel venderetur aliàs, sequentibus titulis; scilicet vel ratione officij mercandi; vel ratione lucri cessantis; vel damni emergentis; vel ratione laborum, & expensarum factarum à venditore in merce conquirenda, advehenda, & conservanda; vel ratione copiæ emptorum, & carentiæ mercium, ac nummorum. Ita Med. Less. Cajetan. Pet. Navarr. Covarr. &c. Ratio primi *de Titulo Officij mercandi* est; quia mercatores merces magnô labore, curâ, & industriâ conquirunt, alias occasiones lucrativas idcirco negligendo; quod est pretiô aliquô æstimabile: & consequenter ratione talis applicaturæ, & officij, absque injustitia merx pluris vendi potest, quàm valeat, ad compensandum illum laborem, curam, & industriam. Secundum, Tertium, & Quartum inde patet; quia etiam pro lucro cessante, vel damno emergente, vel laboribus, & expensis, aliqua æstimatio fieri potest, & pretiô proportionatô possunt redimi. Quintum similiter constat; quia ex circumstantia copiæ emptorum, & mercium, ac nummorum carentiæ crescit vulgaris æstimatio, atque valor mercium; & consequenter absque injustitia, in tali circumstantia pluris vendi potest merx, quàm aliàs venderetur.

9. Dico nonò: etiam absque injustitia potest merx minori, quàm statutô pretiô emi, si ea vel modicam afferat emptori utilitatem; vel sit copia notabilis mercium, uti fit in fine nundinarum, & paucitas emptorum, vel si merces in magna quantitate simul emantur. Ita Navarr. Med. Less. &c. Ratio primi est; quia præstatur potiùs beneficium Venditori, quàm emptori. Ratio secundi est; quia copia mercium, & paucitas emptorum faciunt decrescere pretia. Ratio tertij; quia præstatur utilitas venditori, emendo multas merces simul, ut alias denuò in suum commodum valeat procurare: ergo &c.

10. Dico decimò: nullam committit injustitiam Venditor, qui habitâ notitiâ de mox minuendo pretio, merces suas vendit pretiô nunc currente. Ita S. Thomas, Sylvest. Less. Covarr. &c. DD. Estque Ratio; quia notitia ejusmodi privata Venditoris, non mutat communem taxationem mercium; neque illam illegitimam facit; quod patet à pari; quia privata notitia Emptoris de augendo pretio rerum, non mutat taxam currentis pretij; unde licitè potest hìc & nunc ante auctuarium comparere merces currente pretiô: sicut fecit Joseph Patriarcha *Gen. 41.* comparans pretiô currente omne frumentum Ægypti, præsciens carestiam ibidem futuram.

11. Dico undecimò: illicita est venditio pro altiori pretio, quàm sit currens rigorosum, facta ob dilatam præcisè solutionem. Ita Less. Herincx, Lugo &c. contra Cajet. & alios DD. apud Salas. Colligitur ex *cap. consuluit de Usuris.* Estque Ratio; quia ejusmodi dilatio involvit implicitum mutuum; nam creditor differendo solutionem, censetur pecuniam debitori mutuare: sed ob mutuum non licet aliquid capere ultra solutionem; nisi adsint alij tituli: ergo neque ob dilatam solutionem & consequenter illicita est venditio, pro altiori pretio, ob eam solam facta. Dixi *ob dilatam præcisè solutionem*: quia ob alia motiva, & justos titulos, potest fieri licita talis venditio: puta ratione lucri cessantis, & damni emergentis ex dilatione solutionis; vel ratione periculi perdendæ in toto, vel in parte dilatæ solutionis; ùt docet Less. Cord. Medin. Navarr. Soto &c.

12. Dico duodecimò: similiter est illicita emptio viliori pretiô, quàm sit infimum currens, facta precisè ob anticipatam solutionem. Ita Herincx, Navarr. Lugo, Cut. &c. Ratio est; quia pariter in tali anticipata solutione, implicitum continetur mutuum: ex qua proinde si nascatur lucrum, id usurarium est; nisi excusent ijdem tituli, qui venditionem pro majori pretio, ob solutionem dilatam purificant à labe usuræ.

nequirent, nisi manifestatâ illâ vetustate aliquali, nimis duro oneri substarent, & notabile fortunæ discrimen subire cogerentur; cùm tantùm selectiores merces vendere possent, ipsi verò omnis generis, ac qualitatis emere soleant.

6. Dico sextò: Venditor subticens occultum, sibi tamen cognitum defectum mercis, quô Emptor damnificabitur, tenetur ad reparationem damni secuturi; secùs si ignorâsset ejusmodi defectum. Ità Herincx, Covarr. Med. & communis. Et habetur *L. Julianus 13. ff. de act. empt.* Et est Ratio; quia venditor censetur causa damni secuturi ob injustam deceptionem. Secunda pars patet; quia non censetur indè damnum secuturum.

7. Dico septimò: si contingat rem venditam deteriorari; vel perire post ejus traditionem; hujusmodi jacturam, & omne periculum subire debet Emptor; tametsi eam necdum solvisset: similiter si deterior fiat, vel pereat ante traditionem; conclusô tamen pactô Venditionis; sitq; res in specie, vel in individuo designata, v. g. hæc gemma, vel hoc jumentum; secùs si non sit designata specificè, & individualiter; v. g. si ex integro grege ovium sex emantur, sinè determinatione; vel si vendatur ad mensuram, v. g. totus acervus tritici unô florenô in singulos modios. Ita Less. Herincx, Sylv. Covarr. &c. Ratio primi est; sicut res fructificat Domino suo; ita pariter deterioratur, & perit Domino suo; sed Emptor perfectâ traditione est Dominus rei venditæ: ergo ipsi deterioratur, & perit. Secundum patet ex dispositione *L. id quod 7. ff. de periculo, & commodo rei vend.* Et *L. 1. & 2. C. eod.* Et *Instit. de Empt. & Vendit.* Tertium habetur *L. quod sæpè ff. de contrah. empt.* Et est Ratio; quia venditio rei indeterminatæ ante traditionem vel mensurationem, censetur esse imperfecta.

8. Nota primò: à Doctrina secundæ partis conclusionis in Jure excipi sequentes casus: *Primus*, si res vendita deterioretur, vel pereat ante traditionem, quàm Venditor asseruerat absque jactura posse diutiùs reservari: vel quamvis id non asseruerit; scivit tamen eam deterioratum, vel destructum iri, & Emptori de hoc nullam notitiam dedit; debet hujusmodi venditor jacturam omnem subire: ita habetur *L. si vina. ff. de periculo, & commodo rei vend.* *Secundus*, si res vendita, ob crimen aliquod venditoris, fuerit ad fiscum devoluta; ita habetur *L. si fundus ff. Locati.* *Tertius*; si venditor fuerit in mora tradendi venditam mercem *L. Illud sciendum, ff. de periculo, & commodo rei vend.* *Quartus*; si Venditoris culpâ res Venditoris fuerit deteriorata, vel destructa; ità habetur *L. quod sæpè, ff. de contrah. empt.* *Quintus*; si emptor cum venditore ab initio pactum fecerit, ut is jacturam mercis venditæ, ante traditionem emergentem, subeat; ita habetur *L. si in vendit. ff. de periculo, & commodo rei vend.*

9. Dico octavò: Omnes fructus pendentes, tam maturi, quàm immaturi, ante rei venditionem nati, pertinent ad emptorem; nisi partes aliud pactum de his adjecissent; similiter omnia necessaria rei venditæ, v. g. frœnum equi, vel sera domûs. Ità Covarr. Laym. Gom. Herincx, Less. Molin. &c. Primum determinatur in *L. Julianus, ff. de action. empti.* Et *L. Fructus.* Et *L. post perfectum, C. eodem.* Et est Ratio; quia ejusmodi fructus censentur velut accessorium, & pars rei emptæ. Secundum habetur *L. Ædiles.* Et *L. Fundi ff. de adilit. edicto.*

10. Dico nonò: Omnes autem fructus jam percepti ante contractum venditionis, spectant ad venditorem. Ità DD. communiter: Et statuitur *L. 22. C. de rei vindic.*

11. Dico decimò: Fructus nati post venditionem etiã necdum solutô pretiô, spectant ad emptorem. Ita Mayr. Armil. Morella, Sylv. Laym. Less. Herincx, & cõmunis Theologorũ; contra Mynsing: Binsfeldiũ, Covarr. & cõmunem Juristarum. Ratio est; quia Fructus naturaliter consequuntur substantiam rei frugiferæ, tanquam quid accessorium ejus, & inexistens substantiæ rei: sed substantia rei, peractô contractu venditionis, etsi necdum persolutô pretiô, spectat ad emptorem: ergo & fructus post hujusmodi contractum nati. Confirmatur; consonum est æquitati naturali, ut ad eundem spectet commodum rei emptæ, ad quem spectat interitus ejus: sed interitus rei emptæ peractâ venditione, etsi nondum solutô pretiô, spectat ad emptorem: ergo & commodum, seu fructus nascentes ex re vendita.

12. Objiciunt Juristæ Jus Cæsareum expressè contrarium statuens *L. Julianus ff. de action. empti.* Et *L. ult. ff. de periculo & commodo rei vendit.* Et *L. curabit, C. de action empti.* Respondeo: Has Leges, utpotè æquitati naturali difformes, esse revocatas Jure Canonicô; eò quòd sapiant quandam Usuram, dum locô pretii nondum soluti, fructus per modum Interesse percipi admittunt, sinè sufficienti, & justo titulo.

13. Dico undecimò: si dissolvatur validus Contractus Venditionis, per supervenientem novum mutuum consensum: vel retractum conventionalem Venditioni adjectum; fructus mediô tempore resultantes, spectant ad emptorem: si verò dissolvitur per pactum Le-

gis commissoriæ; vel addictionis in diem, spectant ad venditorem; nisi aliter conventum sit inter partes. Ita Gomez, Covarr. Less. Herincx, Zoësius, & communior DD. Ratio primi, & secundi est; quia Dominium, & periculum rei venditæ ante dissolutionem contractûs factam per consensum novum mutuum contrahentium, & conventionem expressam, de retrahenda re vendita, & denuò revendenda necessariò ipsi Venditori post certum tempus pertinet ad emptorem: ergo & commodum, seu fructus. Ratio tertii, & quarti est; quia contractus Venditionis, cum pacto *Legis commissoriæ* v. g. talis; si Plato emptor intra unum mensem non solverit pretium contractus sit irritus, sicut habet *L. 2. ff. de Lege Commiss.* & cum *pacto addictionis in diem*, tali v. g. si intra septimanam nemo majus pretium, pro merce hac vendita obtulerit, contractus sit nullus; non solutô pretiô intra mensem, nec oblatô majori pretiô intra hebdomadam, illicò ita dissolvetur, ac si nunquam fuisset; & Dominium rei, & consequenter fructuum interea temporis non fuit translatum in emptorem; sed erat pendens à conditione; quâ proinde non impletâ, redit ad venditorem: ergo & fructus interea temporis resultantes. Potest tamen emptor deducere sumptus factos pro percipiendis fructibus medio tempore natis. Vide *L. 6. ff. & aliàs. de* L. *Commiss.* Item L. *1. & 4. ff. de addict. in diem.*

14. Dico duodecimò: quivis Venditor ex natura contractûs Venditionis, obligatur suo emptori, de rei venditæ evictione. Ita Gomez, Laym. Covarr, & Juristæ communiter. Sensus Conclusionis est; si post emptionem equi compareat tertius, evincens & probans clarè contra emptorem, se esse verum dominum illius equi, aut sibi obligatum esse; tunc obligatur venditor emptori pretiũ perceptum equi restituere. Sic determinatur L. *1.* & L. *Venditor*; & integro Tit. *de Eviction.* Item L. *non dubitatur*; & toto Tit. & *C. eodem.*

15. Dico decimo tertiò: licitus est retractus gentilitius, quô proximus agnatus consangvinei vendentis rescindit, & ad se revocat Venditionem rei immobilis, eodem oblatô pretiô, quô ab alio comparata est. Ita Tiraqu. Tholos. Gayl. Mynsing. & communis Juristarum. Constat ex *L. Dudum C. de contrah. empt.* quæ hujusmodi Jus Protomisios, præferentiæ, & retractûs concedit proximis agnatis consangvinei venditoris. Et *C. Constitutus de restit. in integrum*; Favet præterea *Leviticus 25.* Et Ratio accedit; nè possessiones paternæ, & avitæ in alienos transferantur, quod L. *Lex qua Tutores C. de Administr. Tut.* dicit esse lugubre. Debet autem talis Retractor præstare laudemia, gabellas, aliásque expensas necessarias, in rem factas ab emptore.

16. Dico decimo quartò: extraneis, & peregrinis non est licitum cariùs vendere merces, quàm indigenis. Ità Glossa, Pirh. & communis. Et sumitur ex *cap. Placuit 1. hoc tit.* Estq; Ratio; quia causa pietatis postulat, ut peregrini, & extranei humaniter tractentur, etiam in contractibus; aut saltèm in his æquiparentur indigenis.

17. Nota secundò: Olim statutam fuisse pœnam contra falsificantes justas mensuras, & pondera, ut tales 30. diebus in pane & aqua pœniteant; uti refertur *cap. ut mensuræ 2. hoc tit.* Hodie verò hìc, & alii plures Canones pœnitentiales non sunt ampliùs in usu: sed arbitriô Confessarii relinquitur pœnitentia imponenda falsificatoribus mensurarum justarum, & ponderum; uti notat Barbos. Abbas &c. In Jure Civili falsarius ejusmodi condemnatur in duplum & relegatur; uti patet ex L. *pen. ff. ad Leg. Cornel. de falsis.*

18. Nota tertiò: ex Contractu Emptio-Venditionis oriuntur duæ actiones; una Venditori contra Emptorem, ad pretium; non tamen antequã rem tradidit. Altera Emptori contra Venditorem, quâ petit sibi rem tradi; de his videatur *Tit. de act. empti, & venditi.*

CAP. IV.

Quæ res possint, & quæ non possint vendi.

1. Dico primò: quævis res, quæ possideti potest, vel quasi possideri, aut prosequi, pariter potest vendi, & emi; nisi eam vel natura, vel Jus gentium, vel mores, aut statuta municipalia Provinciæ, aut loci, commercio hominum exemerit. Ità Glossa, Vallens. & alii DD. Et constat ex L. *si in Empt. 34. §. omnium ff. hoc tit.* Unde

2. Infertur *primò*: res tam mobiles, quàm immobiles, uti habet communis DD. item corporales, & incorporales; cujusmodi sunt hæreditas, servitus, obligatio, actio, & similes vendi, & emi posse; uti patet ex L. *3.* juncta Glossa ver. *incorporalia, ff. de acquir. rerum domin.* Item varia alia Jura temporalia; ùt Jus percipiendi annuam pensionem, seu censûs annuos reales, uti patet in *Extrav. 1. & 2. hoc tit.* Imò etiam in probabili sententia censûs personalis, qui scilicet consistit in mera personali obligatione, sinè hypotheca; uti patet ex *cit. Extrav.* Et tenet Zoës. Covarr. Conrad. Less. &c. *Secundò* infertur; etiam per accidens vendi, & emi possunt res temporales, quæ annexæ sunt alicui rei spirituali antecedenter, & separabiliter; cujusmodi est castrum,

castrum, cui jus patronatûs infixum est; circa has enim nulla extat prohibitio Ecclesiastica; & quia tale jus accessoriè tantùm per contractum venditionis, & emptionis transfertur in emptorem. Item bona Ecclesiæ absolutè vendi, & emi possunt; ex causa tamen, & cum solemnitatibus Juris; utì suprà *tit. 13.* dictum est.

3. Dico secundò: res autem sacræ materiales consecratæ, quarum materia nequit ita separari, ut inter profanas recenseri possit, regulariter nequeunt vendi. Ita communis DD. Et habetur *can. si quis objecerit 7. cauf. 1. q. 3.* Estq; Ratio; quia venditio similium rerum continet simoniam. Excipitur tamen ab hac regula generali casus necessitatis, quô v. g. ob redemptionem captivorum, vel simile opus pium exercendum, vasa sacra aurea, & argentea possunt vendi; utì constat ex *can. sacrorum 14.* Et *canon aurum 70. cauf. 10. q. 2.* Quando autem in simili necessitate venduntur calices alteri Ecclesiæ, vel loco sacro; tunc integri vendi possunt. Si verò vendantur laico, vel privatæ personæ, priùs conflari, vel confringi debent; utì habetur *authen. præterea C. de SS. Eccles.* Ex conclusione autem

4. Infertur *primò*: regulariter calicem aliquem consecratum artificiosum, ob artificium singulare non posse vendi, ita ut maneat integer; cùm artificium materiale à consecratione semel impertita non possit separari; ùt notat Pirh. Laym. &c. Opposita tamen sententia Suar. est etiam probabilis. *Secundò* infertur; aliquam Ecclesiam materialem, vel Capellam integram ad Divinum usum jam deputatam, & consecratam, regulariter non posse vendi; utì constat ex *ʃ. ultimo Instit. hoc tit.* Et *cap. Si quis objecerit cauf. 1. q. 3.* Imò nec Ecclesiæ dirutæ materialia, ut lapides, ligna ad usus profanos vendere, vel applicare licet, *can. ligna 38. dist. 1. de consecrat.* *Tertiò* infertur; neque Chrisma posse vendi; utì habet Suar. Pirh. cùm his insit consecratio inseparabiliter, ita ut ad usus profanos converti nequeant; unde eorum venditio sapit Simoniam, *cap. ea quæ 16. de Simon.*

5. Nota tamen primò: quòd Clerici, & Religiosi possint suam Ecclesiam deserere, eámque aliis tradere, ac ab eis pecunias accipere, non ùt pretium, sed ut alibi Ecclesiam construere valeant; dummodo id fiat cum legitima facultate superioris Ecclesiastici, vel Regularis; ùt notat Pirh. ex S. Thoma, Laym. &c.

6. Dico tertiò: etiam res sacræ merè spirituales, cujusmodi sunt omnes actus procedentes à potestate Ordinis, v. g. sacrificare, absolvere à peccatis, consecrare Ecclesias, solenniter benedicere, &c. vendi, aut emi non possunt. Ita communis DD. Et est Ratio; quia horum venditio continet Simoniam contra Jus Divinum, & naturale, *can. ult. cauf. 1. q. 3.* Idem est de rebus temporalibus, quæ consequenter rebus spiritualibus sunt annexæ tanquam suæ causæ; cujusmodi sunt beneficia Ecclesiastica, jura percipiendi proventus Ecclesiasticos, & decimas Clericales; quia & horum venditio est Simoniaca, *can. pen. & ult. cauf. 1. q. 3.* Estq; Ratio; quia licet præfatæ res sint temporales; fundantur tamen in spiritualibus Juribus, & ex sua institutione consequuntur ad Jus spirituale. Idem quoq; procedit de cœmeteriis, quæ intuitu Religionis facta sunt, scilicet pro sepultura Christi Fidelium; utì constat ex *cap. querelam 15. de Simon.*

7. Dico quartò: sed neque res sacræ non consecratæ, ùt reliquiæ SS, res religiosæ, vestes sacræ, altaria, & similia vendi possunt. Ita communis DD. Quia & in hujusmodi contractu venditionis aliqua labes simoniaca inspersa censetur.

8. Dico quintò: liber quoque homo; res publicis usibus destinata, & res dotalis, aut donata propter nuptias à viro vendi non potest, etiam consentiente uxore. Ita Vallens. & communis DD. Ratio primi, & secundi est; quia venditio hominis liberi, utì & venditio rei publicis usibus dicatæ v. g. fori, viæ publicæ, si fiat à persona privata, continet manifestam injustitiam. Tertium habetur in *L. unic. ʃ. & cùm lex Julia ff. de rei uxor. act.* Quartum habetur *cap. pervenit 4. hoc tit.* Si tamen uxor post biennium secundò consenserit, ac vir habeat sufficientes facultates, ut uxori sufficienter consultum sit super indemnitate donatorum; tunc poterit res donata uxori ob nuptias divendi, *Authent. sive à me C. ad S. C. Velleian.*

9. Dico sextò: demum neque res litigiosa, vel restitutioni obnoxia; nec venena; nec judicium Judicis justum, nec testimonium testis vendi possunt. Ita Vallens. & Ratio primi est; quia per venditionem rei litigiosæ præjudicatur tertio. Secundum habetur *L. quod sæpè 35. ʃ. veni ff. hoc tit.* Ratio tertii, & quarti est; quia in venditione judicii justi, & testimonii periclitatur justitia.

CAP.

CAP. V.

Num FF. Minoribus de Obſerv. & Reform: liceat emere, & vendere.

1. DIco primò: Vetitum eſt Fratribus Minoribus Obſervantibus, & Reformatis per ſe, & ſinè Procuratore, Syndico, amico ſpirituali, aut alia ſubſtituta perſona idonea celebrare contractus formales emptionis, & venditionis. Ita S. Bernardinus in *Opuſculo caſuum proprietatis*, Sanctorus, & communis DD. Ord. Et habetur tùm in *cap. Exiit. 3. de verb. ſignif. in 6.* Tùm in Conſtit. General. Ord. modernis *cap. 4. §. 1. n. 5.* Ipſi verò Procuratores, ſeu perſonæ idoneæ ſubſtitutæ poſſunt emere, & vendere, ea, quæ pro ſtatu ipſorum, fabricis, & neceſſitatibus aliis quotidianis de Superiorum Regularium judicio neceſſaria eſſe duxerint; *ibidem n. 2.*

2. Nota primò: Nequeunt tamen memorati Procuratores, fructus, olera, fœna, botros, frumenta, & ſimilia, quæ intra ſepta noſtrorum locorum à Fratribus ex profeſſo ſeminata, plantata, & educata fuiſſent, vendere; etiam in utilitatem Conventûs; utì habent Conſtitutiones Generales *cap. 6. §. 2. n. 3.* Poſſunt tamen vendere per ſe, vel ſubſtitutos libros ſuperfluos à FF. Minoribus compoſitos, accedente licentia P. Generalis, vel Provincialis; ſed in utilitatem communem duntaxat Provinciæ, vel Conventûs; aut ad pias cauſas; non ad particularem commoditatem Authorum; utì habet Sanctorus in *pœn. cap. 7. fol. 305.* ubi pro hoc adducit Declarationem Capituli Generalis Salmantic. Et fundatur hoc in *cap. Exiit. de verb. ſignif. in 6.* reducendo librorum ſcriptionem ad laboritium in Regula nobis conceſſum, ut inde acceptemus aliquam ſuſtentationem.

TITULUS XVIII.

DE LOCATO, ET CONDUCTO.

CAP. I.

De Quidditate Contractûs Locationis, & Conductionis.

1. NOta primò: continuat Papa diſcuſſionem Contractuum in ſpecie, qui ultrò citróque ſunt obligatorii; & *hoc tit.* ſubjicit tractationem de Contractu Locationis & Conductionis; qui valdè affines ſunt Emptioni, & Venditioni; unde ferè iiſdem regulis Juris conſiſtunt, utì habetur *Inſtit. de Locat. & Conduct.* Et *L. 2. ff. Locati.* Tametſi autem hic Contractus ſit quoque unicus; ſecundùm tamen diverſam conſiderationem perſonarum contrahentium, duplici nomine exprimitur, ſicut Emptio-venditio; commodè autem per copulationem dici poteſt *Locatio-Conductio.* Ly *Locatum*, & *Conductum in tit.* ſumitur pro contractu; non autem pro re ipſa locata, & conducta.

2. Dico primò: rectè ſcribitur Locatio-conductio, quòd *ſit contractus, quô res aliqua, vel perſona alteri utenda, vel fruenda conceditur; & è converſo pro tali uſu & fruitione determinatum pretium, ſeu merces conſtituitur.* Eſt in re communis apud DD. Ly *contractus* eſt genus: reliqua aptantur pro differentia. Dicitur *quô res aliqua*, ut exprimatur unum objectum, circa quod verſatur contractus Locatio-conductio, quod eſt quævis res mobilis, & immobilis, Eccleſiaſtica & profana; v.g. fundus, domus, equus, & fructus decimarum, quæ ſuo modo locari, & conduci poſſunt. Dicitur *vel perſona*, ut exprimatur alterum objectum, quod eſt homo, qui ſeipſum, vel ſuum ſervum poteſt locare alteri ad operandum, & varia miniſteria exercenda. Dicitur *alteri utenda, vel fruenda conceditur*, ut oſtendatur hunc contractum verſari quandoque circa ſolum uſum rerum, utì contingit in Locatione domûs, & equi; quandoque circa uſum, & fructum ſimul; utì contingit in Locatione vaccæ, & agri; & per hoc diſtingvitur iſte contractus ab aliis, per quos transfertur dominium; ut à venditione, donatione, & mutuo; item à pignore, & depoſito, in quibus res traditur cuſtodienda, non verò utenda. Dicitur *& è converſo pro tali uſu, & fruitione pretium, ſeu merces conſtituitur*; ut oſtendatur in hoc contractu debere intervenire pretium, & quidem in peccunia; nam ſi alia res detur pro pretio, erit contractus innominatus *do ut des*; & non Locatio.

CAP. II.

Varia circa Locationem, & Conductionem resolvuntur.

1. DIco primò: aliquæ res Ecclesiasticæ possunt licitè ad breve tempus locari. Ita Glossa, Zoës: Pirh. &c. Et constat ex *Clement. 1. in fine.* Et *cap. 2. hoc tit.* ubi dicitur fructus decimarum posse dari *ad firmam*; id est locari. Et meritò; quia per ejusmodi contractum non transfertur dominium; nec quidem utile *L. non solet ff. hoc tit.* Adeoq; Ecclesiæ per ipsum nihil præjudicatur. Breve autem tempus olim erat decennium, utì constat ex *Clement. cit.* Hodie verò per Extravag *ambitiosæ unic. de rebus Eccles. non alien. inter communes*, est triennium.

2. Dico secundò: nulla tamen res Ecclesiastica potest locari ad longũ tempus, sinè causa necessitatis, vel utilitatis, & Juris solemnitate. Ita cōmunis DD. Et habetur *Clement. 1. de reb. Eccles. non alien.* Longum tempus censebitur ad dies vitæ; & omne illud, quod est ultra triennium, ubi Extravagans *ambitiosæ* est recepta: ubi verò viget adhuc antiquum Jus *cit. Clementinæ 1.* longum tempus censetur decennium.

3. Dico tertiò; consummato contractu Locatio-conductionis regulariter tenetur, & cogi potest Locator ad rem locatam præstandam Conductori, ut eâ utatur, & fruatur ad tempus conventum. Ita communis DD. Et constat ex *cap. 1. hoc tit.* Et *L. si tibi alienam 7. ff. hoc tit.*

4. Dico quartò: Conductor quoque concluso hoc tractatu tenetur, & potest cogi ad solvendam statis temporibus pensionem, seu mercedem. Ita cōmunis DD. Et Ratio est, quia cùm Conductor usum, & fruitionem rei conductæ consequatur, justitiæ consentaneum est, ut pensionem seu mercedem contractu stipulatam persolvat. Casus tamen quosdam ab hac conclusione exceptos, vide infrà *conc. 7. & 8.*

5. Nota primò: Concilium Tridentinum *Sess. 25. c. 11.* vetuisse omnes Locationes, quæ fiunt anticipatis solutionibus, in præjudicium successorum; ac quascunque Locationes in damnum Ecclesiæ contra canonicas Sanctiones factas, etiamsi confirmatæ essent à Summo Pontifice; decernitque easdem esse irritas ac nullas. Successor non tenetur stare Locationi sui prædecessoris, quando is nomine proprio, & in suam utilitatem fructus ac redditus suæ dignitatis, beneficii, vel officii locavit, uti notat Vallens. Cæterùm si Prædecessor debitè instituit aliquas Locationes licitas, tenetur stare; utì dicetur ampliùs infrà.

6. Dico quintò: Conductor potest rem sibi locatam, alteri rursus locare. Ita communis Juristarum. Et habetur *L. si cui, ff. locati.* Et *L. nemo. C. de Locato.* quo casu tamen debet primus Conductor attendere, ut æquè digno fiat locatio; & quidem ad similem usum; ùt habent passim DD.

7. Dico sextò: si contingat rem locatam divendi, censetur emptor esse potior (idem dicendum de Usufructuario, qui pariter potior est conductore.) unde non tenetur stare Locationi; debet tamen Conductori relinqui actio in Locatorem. Ita Jurisperiti communiter. Et colligitur ex *L. 25. ff. Locati Conducti.* Et *L. Emptorem 9. C. de Locato.* Excipe nisi venditor esset ipse Fiscus, ùt habetur *L. fin. ff. de Jure Fisci*: vel nisi partes in aliud circa hoc mutuò conspirâssent, utì poterant.

8. Dico septimò: si contingat absque culpa personali Conductorem impediri ab usu, vel fructu rei capiendo ex re sibi locata; Conductor absolvitur ab onere reddendæ pensionis, in pactum deductæ: secùs si ejus culpâ oriatur impedimentum usûs, vel fructûs. Ita Covarr. Mol. Less. Navar. &c. Primum deducitur ex *L. Habitatores ff. Locati.* Secundum constat ex *L. Qui operas.* Et L. *si uno. ff. Locati.*

9. Dico octavò: si contingat rem Locatam effici sterilem, vel notabiliter deteriorari inclementiâ cœli; hostium incursione; vel aliâ causâ extrinsecâ, absque culpa Conductoris, pro rata ei remitti debet pensio solvenda. Ita Rebell. Covarr. Laym. Pin. Less. &c. DD. Et resolvitur L. *Ex Conducto, ff. Locati.* Item L. *licet C. de Locato.* Item *cap. propter sterilitatem 3. de Locato & Conducto*; ubi dicitur: *Propter sterilitatem afficientem magnò incommodò Conductores vitiò rei, sinè culpa coloni, seu casu fortuito contingentem, Colonis Ecclesiæ tuæ pro rata pensionis remissio est facienda.*

10. Nota autem secundò: à Conclusione excipi sequentes casus. *Primò*; nisi cum ubertate præcedentis, vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari: ita subdit *cit. cap. Juris Canonici.* Secundò; vel nisi aliud pactum à Locatore, & Conductore esset celebratum; ut scilicet Conductori nil de pensione remittatur; ùt dicitur L. *si quis domum ff. Locati.* *Tertiò*: vel nisi Conductor sit Colonus partiarius, id est, qui aliquotam fructuum

partem pendere debet, v. g. quartam; cui pariter nil de pensione remittitur. Ratio est; quia ùt dicitur *L. si merces, ff. Locati*; Partiarius Colonus, quasi Societatis Jure, & damnum, & lucrum, cum Domino fundi patitur.

11. Dico nonò: Impēdia pro conservatione, aut reparatione rei locatæ v. g. ut sarta tecta domûs locatæ conserventur, communes seræ reparentur, &c. item tributa, & onera publica, quæ ratione domûs, vel fundi locati debētur; debet Locator præstare. Ita Gomez, Laym. Lugo, Mol. & communis. Primum habetur per L. *Sed addes*. Item L. *Dominus*; & L. *Colonus, ff. Locati*. Quare si Locator hujusmodi expensas facere recusat, potest eas Conductor detrahere de pretio solvendo pro Locatione: vel si pretium totum jam persolverit; potest rem conductam tam diu retinere, quousque se solvat plenè. *L. si in area ff. de condic. indeb.* Secundum deducitur ex *Tit. & ff. de via publica*.

12. Dico decimò: Regulariter nec Locator, neque ejus hæres absque injustitia potest Conductorem spoliare usu, vel usufructu rei locatæ, ante lapsum temporis, in pacto Locationis expressi. Ita Herincx, Laym. & communis Juristarum. De *Locatore* patet ex L. *ne cui, C. de Locato*: Et L. *Ædem, C. eodem*. De *hærede* constat ex *Instit. de Locato*. Et *C. eodem*. Dixi: *Regulariter*; quia in quibusdam casibus permittit Jus, absque injustitia, hujusmodi spolium, seu expulsionem Conductoris; quos specificat L. *3. Æde C. de Locato*; videlicet, si vel occurrat necessitas non prævisa reparandi ædes, quæ reparatio fieri nequit, manente in iis Conductore. Vel si ipsemet Locator ædes inhabitare necesse habeat. Vel si pensionem determinatam statutô tempore solvere neglexerit. Vel si aliis valdè necessariis usibus ædes applicandæ forent.

13. Dico undecimò: Neque Successor in aliquo beneficio, neque Major effectus, potest regulariter ante finitum tempus privare Conductorem usu rerum, conductarum per Legitimum Prælatum, vel Tutorem. Ita Herincx, Zoës: Vall. &c. Primum Arg. L. *si tutela, ff. de administr. Tutor.* Secundum constat ex *cit. L. expressè hoc statuente*. Et est Ratio; quia Tutor est Legitimus Administrator bonorum pupilli; ergo ejus facta sunt rata; & consequēter etiam factum Locationis rerum pupilli. Hactenùs de Locatione, & Conductione rerum fuit sermo: nunc quod attinet personarum Locationem.

14. Dico duodecimò: Locanti personales suas operas reddi debet pretium justum, quod tali loco, & tempore, ejusmodi operariis, Officialibus, vel famulis solet dari; ita ut non deficiat ab infimo, nec excedat summum. Ita communis DD. Ratio est; quia hoc postulat Justitia commutativa, & æquitas naturalis. Deinde cùm pro re locata dari debeat justa solutio, à potiori pro operis personalibus; unde & Scriptura ait: *Dignus est operarius mercede suâ.*

15. Dico decimo tertiò; si famulus locans operas suas personales, absque ratione à Domino ante definitum tempus expellatur cum damno suo; tenetur Dominus integram mercedem tam temporis præteriti, quàm restantis extradere: si autem famulus ipsemet à famulatu se subtrahat, nec restantis temporis mercedem capere potest, nec jam acceptam retinere. Ita Lugo, Molin. & communis DD. Ratio est; quia hoc pariter exigit Justitia commutativa; & est æquitati naturali omninò consentaneum.

16. Dico decimo quartò: si Locator operarum personalium, incidente morbô pro notabili differentia temporis præpediatur ab operarum suarum debita exhibitione; non potest exigere, vel accipere integrum stipendium in contractu specificatum; nisi aliud in pactum fuisset deductum. Ita Covarr. Sylv. Lugo, Barbosa, &c. contra Azorium, de Graffiis, Homobonum, Innoc. &c. Ratio est; quia quando stetit per Locatorem, ut Conductor rem locatam habere possit ad suum usum, pensio aut merces nova debetur pro rata ejus temporis; ùt constat ex L. *si uno ff. Locati*: sed sic est in proposito: ergo, &c.

17. Dico decimo quintò: Conductor non obligatur ex justitia, benè tamen ex charitate, solvere expensas factas, pro gravi morbo sui famuli, etiam valdè pauperis; sed potest eas defalcare ex mercede constituta. Ita Lugo, Rebell. Diana, &c. Primum *de justitia* constat; quia secluso contractu, non tenetur se Conductor damnificare, in gratiam Locatoris: ergo nec Dominus in gratiam famuli. Secundum *de Charitate* patet; quia charitas Christiana exigit, ut pro viribus proximi cujuscunque miseriis succurramus, in gravi necessitate constituti: ergo à fortiori famulis.

CAP. III.
De Emphyteusi.

1. NOta primò: quoniam in Corpore Juris Papa reduxit ad *hunc tit.* Emphyteusim, ob maximam cum Locatione conductione affinitatem; ideò de ea pariter *hoc tit.* agetur. Est autem *Emphyteusis* vocabulum

bulum Græcum, Latinè significans idem, quod *insitio*, seu *plantatio*; quia fundi sylvestribus frutetis, dumetis, aliisque infructiferis rebus repleti, olim dabantur ad Emphyteusim, & culturam, ut insitione, & implantatione frugiferorum meliorarentur; ita tamen, ut Emphyteuta solos fructus potuerit colligere, remanēte dominiô directô apud concedentē similes fundos: & quotannis certum pensum Domino suo, in recognitionem dare obligaretur. Unde

2. Dico primò: benè definitur Emphyteusis: quòd *sit contractus, quô res aliqua immobilis ad longum tempus alicui conceditur, quoad Dominium utile, sub aliqua reali pensione solvenda Domino, in recognitionem Dominii proprietatis.* Ita Molin. Laym. Lugo, Herincx & communis DD. Ly *contractus* est genus: reliqua ponuntur pro differentia.

3. Nota secundò: licèt Emphyteusis quandam affinitatem habeat cum Venditione, Locatione, Censu resignativo, & Feudo: ùt Laym. notat ex Claro; attamen in hoc differt à Venditione, quòd in ea transferatur Dominium utile, & proprietatis; in Emphyteusi verò solùm utile. A Locatione, quòd res tam immobiles, quàm mobiles possint locari; in Emphyteusim verò possint dari solæ immobiles. A Censu resignativo; quòd in eo tam Dominium utile, quàm plenum ac perfectum, in Censualistam transferatur, reservatâ pensione solvendâ; non tamen ita, ut si hujusmodi pensio, spatiô duorum, vel trium annorum non exhibeatur, res cadat in commissum; sicut accidit in Emphyteusi; quippè per quam Jus non ita absolutè translatum esse censetur; sed sub conditione, si tale quid præstitum fuerit. A Feudo; quod in eo locô realis pensionis, v. g. pecuniariæ; vel alterius, præstetur fidelitas, vel obsequium personale ab habente Feudum.

4. Nota tertiò: Emphyteusim aliam esse Ecclesiasticam; aliam Laicam. *Ecclesiastica* est; cujus Dominium proprietatis, seu directum, pertinet ad aliquam Ecclesiam. *Laica;* cujus Dominium proprietatis spectat ad aliquam sæcularem personam. Ad utriusque Emphytheusis valorem, requiruntur necessariò sequentes conditiones. *Prima*; ut de ea extet instrumentum scriptum; ita colligitur ex *L. 1. C. de Jure Emphyteus.* Nisi Emphyteuta se defendere posset Jure præscriptionis legitimæ, vel testibus fide dignis, in defectu Scripturæ, producendis. *Secunda*; ut Emphyteuta non deteriorem rem in Emphyteusim datam, v. g. exscindendo arbores, villas diruendo; alioquin ei auferri potest; juxta *Authen. qui rem C. de SS. Ecclesiis*; quare ad ipsum spectat conservatio rerum Emphyteusi subjectarum, v. g. reparatio fossarum, aggerum, ædium, &c. ùt habent Juristæ communiter. Si tamen eum aliquid de novo ædificare urgeat, quod Contractui insertum non fuit; ejus impendia repetere potest à Domino proprietatis; ùt deducitur ex *L. Pampinianus ff. soluto Matrim.* *Tertia*; ut solvat annuam pensionem Domino proprietatis; sicut habetur *Instit. de Locat.* alioquin si non solverit integrô trienniô, in Emphyteusi Laica; vel vel bienniô in Ecclesiastica, totus fundus v. g. redit ad Dominum Proprietatis cum melioramentis; ùt habetur *L. 2. C. de Jure Emphyteu.* Et *Auth. qui rem, &c. de SS. Eccles.* Et *cap. potuit, de Locat.* Excipe, nisi Emphyteuta vel ignorantiâ; vel compensatione facta ob debitum, quod habuit apud Dominum; vel oblatæ pensionis rejectione à Domino factâ; vel aliâ justâ causâ se defendere possit: ùt habet Glossa, Molin. Laym. Navarr. &c. *Quarta*; ut Emphyteuta rem Emphyteuticam non vendat absque consensu Domini; aliàs omnia recidunt ad Dominum proprietatis; juxta *L. 3. C. de Jure Emphyteu.* Et *cap. potuit, de Locato.* *Quinta*; si res Emphyteutica, sinè culpa Emphyteutæ pereat, cesset obligatio dandi annuam pensionem; ùt habetur in *C. de Jure Emphyteu.* *Sexta*; ut quoties Donatione, Venditione, vel permutatione alienatur res Emphyteutica, novus Possessor solvat Domino directo Laudemium (quod est Jure communi quinquagesima pars pretii, seu æstimationis; consvetudine verò trigesima) idque ratione investituræ, seu possessionis, quam ab ipso accipit. Ita habetur *L. 3. C. de Jure Emphyteu.*

5. Nota quartò: Prælatus non potest spectato Jure communi, & seclusâ consvetudine, bona Ecclesiæ, quæ pleno Jure ad ipsum spectant, de novo dare in Emphyteusim perpetuam; aut in aliquas generationes; absque justa causa necessitatis, vel utilitatis, & absque solemnitatibus à Jure præfixis, nimirùm consensu Capituli, & Superioris authoritate. Ratio est; quia cùm in Emphyteusi jus utilitatis transferatur in alium; ideò alienationis nomine in rebus Ecclesiasticis prohibitæ, comprehenduntur; uti con-

constat ex *cap. nulli* junctâ Glossâ ver. *alienationes*, *de rebus Eccles. non alien.* Justa autem causa censetur esse, si terræ Ecclesiasticæ sint incultæ, & quæ sinè labore excoli non possunt. Si tamen bona Ecclesiæ, v. g. fundi jam antea fuissent dati in Emphyteusim; revertantur tamen ad Ecclesiam ob mortem Emphyteutæ sinè hæreditatibus; vel ob ejus delictum; vel ob tempus concessionis jam elapsum; tunc Prælatus absque Juris solemnitatibus potest rursùs simili modo eos dare in Emphyteusim; etiam non obstante juramento de non alienando res Ecclesiæ: dummodo subsit tali in Emphyteusim concessioni justa causa, scilicet Ecclesiæ utilitas; utì colligitur ex *cap. 2. de Feudis*; ubi habetur, Episcopum posse rem Ecclesiæ jam antea in Feudum datam, iterum in Feudum concedere: ergo pariter potest dare in Emphyteusim fundos, qui antea jam fuerant sic concessi. Et constat clarè hæc resolutio ex *Extravag. ambitiosæ, unic. inter communes; de rebus Eccles. non alien.* Excipe, nisi fundus Emphyteuticus reversus ad Ecclesiam, desuper fuisset mensæ Prælati applicatus, ac incorporatus; utì notat Abbas, & Azor. Aut mutatus fuisset status rerum, & causa primæ concessionis; v. g. si Ecclesia non egeat ampliùs defensore laico; & propterea castrum tale concessit in Emphyteusim tali laico potenti, cujus defensione opus tunc habet. Vel si Ecclesia nunc ipsamet utiliùs colat fundum olim in Emphyteusim datum; cùm abundet colonis suis; utì sumitur ex *cap. 2. de Feud.*

6. Nota quintò: si contingat Emphyteutam profiteri Religionem; tunc Emphyteusis rerum immobilium transit in Monasterium seu Ordinem; si ille sit capax, & Emphyteusis sit hæreditaria: debet tamen Monasterium, seu Ordo eam vendere, vel alio modo alienare; quia aliàs redderetur deterior conditio Domini directi; quippè qui amitteret omnem spem accipiendi unquam Laudemium, & redeundi ad se utilis dominii. Si verò Emphyteusis non sit hæreditaria, sed ex pacto; tunc ea non transit ad Monasterium seu Ordinem: sed in illa succedunt Religiosi, qui ex investitura ad illam vocantur: utilitas tamen Emphyteuseos interim dum Religiosus Emphyteuta professus vivit, ad Monasterium pertinet: & si post mortem illius nullus adsit, qui vocetur ex investitura, Emphyteusis talis revertitur ad Dominum directum, seu proprietarium; utì habet Molin. Pirh. Laym.

CAP. IV.

Quid de Locato in Ordine S. Francisci.

1. Dico primò: Non licet Fratibus Minoribus aliquid locare in beneficium Ordinis sui. Ita S. Bernardinus in *Opusc. casuum propriet.* Et habetur in Declarat. Regulæ Nicolai III. & Clementis V. Et in Constit. General. Salamat. & Vallisolet. Et modernis, *cap. 6. §. 2. n. 1.* ubi dicitur: *Decernimus, ne terrulæ, prata, viridaria, & domus præsertim Conventuum, qui extra Civitates & terras ex quavis causa destructi sunt, etiam per Syndicos Apostolicos locentur: ubi etiam adduntur pœnæ contra Fratres locantes.*



TITU-

TITULUS XIX.

DE RERUM PERMUTATIONE.

CAP. I.

Quid sit permutatio; & quæ res sint permutabiles; vel non.

1. NOta primò: Etiam Contractus permutationis est affinis contractui emptionis, & venditionis; cùm in emptione res vendita verè permutatur cum pretio: unde meritò Papa apponit *hunc tit. de permutatione*; quæ est contractus quidam Juris gentium innominatus, bonæ fidei, re & consensu constans; ùt notant hic Interpretes. Permutatio habet duplicem acceptionem; unam latam seu generalem, in qua complectitur omnes contractus reciprocos tam nominatos quàm innominatos, in quibus omnibus unum pro alio permutatur seu datur v.g. in contractu locationis, usus rei, vel operarum pro mercede pecuniaria; in contractu venditionis res pro pecunia &c. Alteram verò acceptionem habet strictam, & specialem, in qua una species pro alia permutatur, quæ non sit pecunia, vel pretium, v.g. annulus aureus pro catena; vel equus pro bove; vel unus fundus pro alio fundo datur. De Permutatione in hac acceptione stricta agitur hìc, & quatenus est contractus specialis.

2. Dico primò: benè describitur Permutatio, de qua hic, quòd *sit contractus specialis, quò una certa species pro alia certa specie commutatur, seu præsentatur.* Ita colligitur ex *L. 1. ff. hoc tit.* Ly *contractus* est genus; reliqua ponuntur pro differentia. Ly *species* hìc à Jurisconsultis significat idem, quod apud Philosophos individuum; sicut & quod apud Philosophos est *species*, apud Jurisconsultos est *genus*; vel *quantitas*, si in numero, pondere, aut mensura consistat.

3. Dico secundò: omnes res sæculares, & profanæ, corporales, & incorporales, mobiles, & immobiles, quæ sunt in commercio hominum, & specialiter vetitæ non sunt permutari, possunt inter se permutari. Ita Vallens. & alii DD. Ratio est; quia res præfatæ vendi, emi, locari, ac aliis contractibus substerni possunt; adeóque etiam inter se permutari.

4. Dico tertiò: res autem spirituales; cujusmodi sunt Ecclesiæ, & beneficia Ecclesiastica, Jura spiritualia, ut Jus percipiendi decimas, & similia, pro temporalibus rebus, permutari nequeunt. Ita Engel, Abbas, Vallens. &c. Et constat ex *cap. fin. hoc. tit.* Estq; Ratio; quia talium permutatio non caret labe Simoniæ.

5. Dico quartò: similiter res temporales ad Ecclesias pertinentes, sive immobiles, sive mobiles pretiosæ, quæ servando servari valent, regulariter permutari nequeunt, absque justa causa utilitatis, & sinè solemnitatibus à Jure requisitis; similium autem permutationes ab antecessoribus Prælatis factæ possunt à Successoribus Prælatis revocari. Ita Glossa, Pirh. Vallens. & communis DD. Ratio primi est; quia Permutatio est species quædam alienationis, *cap. nulli de reb. Eccles. non alien.* Unde sicut res Ecclesiasticæ absque justa causa vendi nequeunt; ita nec permutari. Secundum de revocatione permutationum indebitè factarum habetur *cap. 2. hoc tit.*

6. Nota tamen secundò: si tamen Princeps petat rem immobilem temporalem pertinentem ad Ecclesiam permutari cum alia mobili æqualis pretii, vel majoris; v. g. villam; poterit licitè fieri hujusmodi permutatio; de communi tamen consensu utriusque partis, scilicet Principis, & Ecclesiæ, ac cum solemnitatibus Juris; id est consensu Capituli, authoritate Superioris, & pragmatica sanctione super hoc promulgatâ; ùt habetur *cap. 1. hoc tit.* quod est desumptum ex *Authen. de non alienan. aut permut. reb. Eccles.* Estque Ratio; quia merita Principum erga Ecclesias, & honor ipsis debitus hujusmodi permutationem admittit, quando abest Ecclesiæ damnificatio, & accedunt dictæ conditiones. Est autem *Pragmatica Sanctio* decretum Principis super causa publica cum consilio Procerum facta, *L. ult. §. ult. ff. de divers. rescript.*

7. Dico quintò: iter ea, quæ permutari nequeunt, recensentur quoque mancipia, & servi Ecclesiæ; quæ proinde pro aliis mancipiis commutari non debent; nisi in ordine ad libertatem; hoc pacto nimirùm ut illa mancipia, quæ erant Ecclesiæ assequantur perpetuam libertatem; alia verò videlicet laicorum, quæ pro illis commutantur, subjiciantur servituti Ecclesiæ. Ita Glossa, Pirh. & communis DD. Et habetur *cap. mancipia 3. hoc tit.* Et *cap. injustam 4. hoc titulo.*

CAP. II.

Qua ratione Res Ecclesiasticæ inter se possint permutari.

1. Dico primò: res tamen spiritualis, & Ecclesiastica cum alia spirituali & Ecclesiastica v. g. unum beneficium Ecclesiasticum cum alio simili; vel una Ecclesia pro alia Ecclesia permutari licitè potest. Ita Glossa, & communis DD. Et constat ex *cap. ad quæstiones, 6. hoc tit.* ubi permittitur permutatio duarum Ecclesiarum Parochialium. Et *cap. cum venerabilis 6. de except.* ubi pariter una Ecclesia cum omnibus suis possessionibus pro alia commutari permittitur. Estque Ratio; quia talis Permutatio ex se non involvit aliquam labem Simoniæ.

2. Nota autem primò: ut una Ecclesia, vel beneficium cum altera Ecclesia, vel beneficio ritè permutari valeat, debent adesse sequentes Conditiones. *Prima*, ut uterque permutans habeat jus in beneficio, quod permutatur; juxta *cap. cum universorum 8.* illis verbis, *prabendarum suarum, hoc tit.* Unde si unus permutantium non habet Jus in beneficio permutato; sed illud acquisivit per Simoniam; vel aliter sinè vero titulo; tunc permutatio instituta collabitur, & irrita evadit; & alter permutans potest redire ad beneficium, quod resignaverat, absque ulla nova collatione, *cap. cum universorum.* Et *cap. si beneficia; de preb. in 6.* *Secunda* conditio est, ut accedat Superioris authoritas; & ut permutantes resignent utrinque sua beneficia in manibus ejus; uti constat ex *cap. unic.* ibi *in manibus tuis ipsa resignant; hoc tit. in 6.* & aliter permutantes privandi sunt beneficiis, *cap. cùm olim 7. hoc tit.* *Tertia* est, ut secutâ permutatione ex utraque parte, & admissa à Superiore, beneficia vacantia à Superiore ordinario conferantur ipsis permutantibus; non autem tertio; aliàs collatio est nulla, *cap. unic. cit.* *Quarta est*, ut permutatio fiat ex causa justa, quam cognoscere, & judicare debet Superior; uti constat ex *cap. ad quæstiones 6. hoc tit.* Justæ autem causæ sunt utilitas, & necessitas Ecclesiæ; uti patet ex *eod. cap.* imò probabiliter etiam sufficit utilitas, seu commodum ipsarum personarum permutantiũ; dummodo indirectè saltèm, & consecutivè redundet in utilitatem ipsius Ecclesiæ; uti notat Glossa, Abbas, Azor. Garc. &c. *Quinta* est, ut permutatio instituatur requisito consensu Patronorum, seu eorum qui jus eligendi vel conferendi, vel præsentandi ad beneficium commutatum habent; uti observat Glossa, Garcias, &c.

3. Nota secundò: permutatio beneficiorum Ecclesiasticorum cum præfatis conditionibus facta, subsistit in suo robore, etsi tertius adesset in diœcesi, qui haberet gratiam expectativam à Papa ad beneficium, quod jam vacat, vel proximè vacaturum est; uti constat ex *cap. licet unic. hoc tit. in 6.* Nisi permutatio instituta fuisset in fraudem habentis talem expectativam; nam si fraus commissa fuisset, ipse expectans potest prætendere unum ex permutatis beneficiis, ac si illud vacâsset per mortem, vel resignationem; uti colligitur ex *cit. cap.* Et habet Glossa Pirh. &c.

4. Nota tertiò: communiter omne beneficium Ecclesiasticum posse permutari cum alio; exceptis *sequenti notab.* afferendis: cum indefinitè beneficiorum Ecclesiasticorum permutationem inter se, servatis servandis, permittant. Imò & unum cum pluribus; & plura cum uno; dummodo illa plura sint compatibilia; ita ut citra dispensationem Apostolicam simul obtineri valeant; uti advertit Azor. & Garc. Quare permutari poterunt beneficia inæqualia in temporalibus, vel spiritualibus annexis; quatenus v. g. unum habet pinguiores redditus; vel annexam dignitatem. Item beneficia manualia, commendata perpetua, pensiones in titulum erectæ, &c. ùt habent Suar. Pirh. Azor. &c.

5. Nota

5. Nota quartò: non possunt autem commutari beneficia commodata ad tempus: nec beneficia unita alicui Ecclesiæ, vel Monasterio, vel alteri beneficio: nec beneficia reservata Papæ authoritate Ordinariorum possunt permutari: nec litigiosa cum aliis litigiosis. Nec beneficium cum alio Jure spirituali diversi ordinis v. g. jure patronatûs, aut decimarum permutari potest; uti habet Azor. Suar. & communis DD. nam Jure Canonico permutatio solùm permittitur inter beneficia; non autem eorum cum rebus diversi ordinis.

CAPUT III.

Quid de permutatione in Ordine S. Francisci.

1. Dico primò: Tametsi Fratres ipsi Minores Observ: & Reform: nequeant celebrare contractus formales permutationum rerum Ordinis sui; possunt tamē id præstare Syndici Apostolici Conventuum, in utilitatem Eorundem. Ita S. Bernardinus in *opusc. casuum propriet.* & cōmunis DD. Primum constat ex *cap. 1.* Regulæ, quod aufert à Fratribus Minoribus omnem proprietatem rerum, quam supponit contractus permutationis in permutante. Tum ex cap. *Exiit. 3. de verb. signif. in 6.* Secundum habetur in *eodem cap. 3.* & in Constit. General. modernis *cap. 4. §. 1. n. 2.* ubi dicitur; quòd *Syndici Apostolici tanquam Legitimi Procuratores Apostolici, juxta placitum Superiorum, oblata, & relicta, expendere, distrahere, & commutare possint pro necessitatibus Fratrum.*

TITULUS XX.

DE FEUDIS.

CAP. I.

De Quidditate, & Multiplicitate Feudorum.

1. Nota primò: inter speciales contractus refertur quoque à Papa Contractus Feudalis, seu Feudum, quem duobus duntaxat capitulis expedit; in Corpore verò Juris Civilis integris duobus libris, & pluribus titulis expeditur; ex quibus etiam nonnulla ad *hunc tit.* revocabo, ut completus evadat; & quia Feudorum distincta cognitio valdè etiam necessaria est Canonistæ. Ly *Feudum* ergo sic dicitur à *Fide*, seu *Fidelitate*, quàm Vasallus Domino suo præstare obligatur; uti dicitur *lib. 2. Feud. per quos fiat investitura.* Probabiliùs est, Feuda primitùs non à Romanis, vel Gallis; sed à Longobardis constituta fuisse; uti advertit Engel: unde etiam in *libris Feudor.* sæpiùs fit mentio eorundem Longobardorum, & Legum Longobardicarum; ùt *cap. 1. de Feudi cognitione.* Et *cap. 1 de contentione inter Dominum & Fidelem*: & propterea etiam plura vocabula Feudalia arguunt lingvam Longobardicam. Accipitur autem Ly *Feudum* tùm pro re, quæ in Feudum datur; tùm pro contractu Feudali; de eo ut est contractus quidam.

2. Dico primò: rectè describitur Feudum in ratione contractûs, quòd *sit contractus, quô dominium utile alicujus rei immobilis alicui benevolè perpetuò conceditur pro fidelitate, & servitio personali exhibendo Domino directo; remanente dominiô proprietatis apud infeudantem.* Ita constat ex *lib. 2. Feud. tit. 23. in quibus causis Feudum amittatur.* Ly *contractus est* genus; reliqua collocantur pro differentia. Dicitur *contractus, quô dominium utile alicujus rei*, ut Feudum distingvatur ab usufructu simplici, qui jure servitutis debetur, & quô non transfertur dominium utile, éstque servitutis personalis, quæ morte usufructuarii expirat; non sic autem Feudum, quod transit ad hæredes. Dicitur *rei immobilis*, ad ostendendum, rem mobilem non posse dari in Feudum; utì dicitur *tit. 1. lib. 2. de usibus Feudorum.* Veniunt autem hìc nomine *rei immobilis* non tantùm res corporales, ac adhærentes solo; ut castra, & prædia; sed etiam Jura incorporalia, quæ immobilibus annummerantur; ut jura piscandi, venandi, jurisdictionem exercendi, vectigalia accipiendi, & similia; imò & redditus annui, ac fructus pendentes; utì habet Glossa, Engel, Pirh. &c. Dicitur *alicui benevolè conceditur*, ad ostendendum Feudum esse speciem beneficii, & ordinariè gratìs dari à Domino, ut is pro suo honore conservando, vel augendo Vasallum sibi ad fidelitatem, & servitia obligatum habeat, *arg. cap. 1. de Feudo dato in vicem legis commissoriæ.* Non est tamen de substantia Feudi, ut merè gratuitò detur; nam etiam

etiam Feudum emi potest, *cap. unic. de natura Feudi* ; dummodò minori pretio ematur, quàm in se valeat. Et etiam aliquando aliquid solvi solet in recognitionem Dominii recti. Dicitur *& perpetuò conceditur*; nam villa v. g. quæ benevolè ad tempus tantùm conceditur alicui, non censetur esse Feudum in rigore ; uti observant interpretes Feudorum. Dicitur *pro fidelitate, & servitio personali exhibendo Domino directo*, ut ostendatur finis concessionis Feudi, qui est fidem, & obsequium personale quasi compensationis vice retribuere Domino directo. Additur *remanente Dominio proprietatis apud infeudantem*, ad ostendendum Feudatarium non accipere dominium proprietatis ; sed illud retineri ab infeudante.

3. Nota secundò : Feudum cum Emphyteusi in multis convenire ; in quibusdam tamen discrepare. Convenit cum Emphyteusi *primò*; quòd constituatur in re immobili, sicut Emphyteusis. *Secundò*; quòd in Feudo, sicut in Emphyteusi fit translatio tantùm ususfructûs in Vasallum, non Dominii : ùt dicitur *lib. 2. Feud. cit.* *Tertiò*; quòd Vasallus debeat investiri, & in possessionem mitti à Domino directo, sicut Emphyteuta ; ùt habetur *loc. cit. Tit. 26.* *Quartò* ; quòd Vasallus nequeat alienare Feudum sinè consensu Domini proprietatis : uti habetur *loc. cit. Tit. 52. de prohibita Feudi alienatione per Fridericum c. Imperialem.* *Quintò* ; quòd eò finitô sinè culpa Vasallus omnia melioramenta retineat; uti habetur *loc. cit. Tit. 28.* Differt verò Feudum ab Emphyteusi *primò* : quòd Emphyteuta debeat præstare Domino annuam pensionem realem : Vasallus verò solùm obsequium personale; uti habetur *loc. cit. 6. & 7.* *Secundò* ; quòd tam primus Vasallus, quàm ejus descendentes, & successores Domino proprietatis debeant præstare juramentum, & intra annum petere renovationem investituræ : quod pariter repetere debent apud successorem Domini proprietatis, si eum mori contingat ; uti habetur *loc. cit. C. 24.* quod non tenetur præstare Emphyteuta. *Tertiò*; quòd in Emphyteusi fiat successio, etiam à fœminis ; in Feudo verò à solis masculis. Quòd si extingvantur omnes masculi descendentes Vasalli, succedunt agnati Laterales, sinè restrictione ad ullum gradum septimum, vel ulteriorem ; ita habetur *loc. cit. Tit. 50.* unde extat Regula generalis in hac materia ; *Quòd ultimus agnatus primi acquirentis successor sit, etiamsi Feudum per mille manus transierit.* *Quintò* : quòd Emphyteusim adire possint nō tantùm Laicæ personæ ; sed etiam Ecclesiasticæ ; imò & Monachi nomine sui Conventûs ; modò hi statim vendant rem Emphyteuticam, & provideant Domino directo de solutione Laudemii ; Feudum verò adeunt solæ personæ Laicæ ; uti habetur *loc. cit. Tit. 26.* nam ùt dicitur *loc. cit. Tit. 21. Desinit esse miles sæculi, qui factus est miles Christi : nec beneficium pertinet ad eum, qui non potest gerere officium.* *Sextò*; in Emphyteusi sæculari succedere possunt omnes Filii naturales, & illegitimi ; non verò in Feudo ; ùt habet communis Juristarum.

4. Nota tertiò circa divisionem Feudi : illud *primò* partiri in novum, & antiquum. *Feudum novum* dicitur illud, quod noviter alicui conceditur, atque in persona talis investiti sumit initium. *Antiquum* est, quod jam per successionem à primo acquirente ad alios est devolutum. *Secundò* dividitur in personale, familiæ, & hæreditarium. *Feudum personale* dicitur illud, quod primum Vasallum non egreditur ; talia sund Feuda *Cameræ*, *Soldatæ*, & similia. *Feuda familiæ* (quæ & *Feuda ex pacto, ac providentia* dicuntur.) sunt illa, quæ concessa sunt in favorem & conservationem alicujus familiæ. *Hæreditaria sunt*, in quibus non solùm agnati primi Vasalli acquirentis ; sed etiam quicunque hæredes extranei, ab intestato, vel ex testamento venientes succedere possunt. *Tertiò* secatur in Ecclesiasticum, & sæculare. *Ecclesiasticum Feudum est*, quod constituitur à Prælato alicujus Ecclesiæ, ex bonis ad Ecclesiam pertinentibus. *Sæculare* est, quod constituitur à Principe, vel alio Domino sæculari ; vel etiam ab Ecclesiastico ; sed tamen ex bonis patrimonialibus, & temporalibus ; ubi non tam constituens Feudum ; quàm res ipsa temporalis in Feudum data attenditur. *Quartò* partitur in masculinum, & fœmineum. *Primum* est, quod ad mares tantùm transit. *Secundum* quod etiam ad fœminas devolvitur in defectu masculorum. Plures alias divisiones vide apud Engel, Azor. Fagn. &c.

CAP. II.

Variæ Resolutiones circa Feuda.

1. Dico primò : si contingat aliquem Feudatarium alicujus Ecclesiæ ob acceptam mutuò ab illa Ecclesia pecuniam, Feudum eidem oppignorare ; non tenetur Prælatus talis Ecclesiæ fructus illius pignoris computare in sortem, seu summam capitalem mutuò datam ; dummodo Vasallus interea sit immunis à servitio personali exhibendo, quod aliàs Ecclesiæ præstare obligabatur. Ita Abbas, Fagn. Pirh. &c. Et constat ex *1. hoc tit.* Et Ratio desumitur ex natura

natura seu conditione Feudi, quæ est, ùt fructus ex re oppignorata Domino directo debeant percipi ab ipso Vasallo, si exhibeat servitium; non autem si illud non exhibeat.

2. Dico secundò: quando Feudatarius Ecclesiæ moritur absque hærede masculo, & hac ratione Feudum revertitur ad Ecclesiam, potest Prælatus illud liberè seu pro suo arbitrio, & absque ullis solemnitatibus Juris alteri concedere, ac reinfeudare, si cum Ecclesiæ utilitate id fieri judicet. Ita Abbas, Rosenthal, Vallens. &c. Et habetur *cap. 2. hoc tit.* Quod procedit etiamsi Prælatus juràsset se illud de novo non daturum in Feudum inconsultô Romanô Pontifice; quia illud juramentum intelligi debet de iis rebus, quæ antea non sunt solitæ in Feudum dari; ùt notat Vallens.

3. Nota autem primò: conclusionem locum non habere, si illud Feudum reversum jam sit unitum, ac incorporatum mensæ Prælati; tunc enim cessat esse feudale; & consequenter alius in eo infeudari nequit absque consensu Capituli: imò & Romani Pontificis, quando Prælatus juravit, se nil alienaturum de rebus Ecclesiæ Papâ inconsultô; ùt notat Rosenthal. & Pirh. Item quando consvetudo specialis talis Ecclesiæ, vel conventio vetat novas reinfeudationes, absque consensu Capituli: quæ proinde erit observanda: ùt notant *cit. DD.*

4. Dico tertiò: si aliquis Vasallus illicitè, & sine consensu Prælati quà Domini alienet Feudum Ecclesiæ, ideóque illud reversum censeatur ad Ecclesiam; tunc poterit hoc casu Prælatus tale Feudum alteri dare, etiam filio, vel consangvineo Vasalli alienantis. Ita Vallens. Abbas, Pirh. &c. Et habetur *cap. 2. hoc tit.*

5. Dico quartò: similiter si quis Vasallus alienet Feudum Ecclesiæ citra voluntatem Domini infeudantis, & propterea illud revertatur ad Ecclesiam, sed tamen recuperatu difficile evadat ob potentiam illius, in quem alienavit; tunc Prælatus potest illud sine solemnitatibus, imò non obstante juramentô de non alienando res Ecclesiæ, alicui personæ potentiori cedere, ut eâ mediante Ecclesia Feudum recuperet; & talis potentior tenetur Ecclesiam recognoscere tanquam sui infeudatricem. Ita Abbas, Rosent. Vallens. &c. Et habetur *cit. cap. 2.*

6. Dico quintò: res spirituales, Religiosæ, & sacræ per se nequeunt in Feudum dari; uti nec bona Ecclesiastica temporalia ad fabricam Ecclesiæ, & mensam Prælati pertinentia, sine consensu Capituli, & Superioris authoritate. Ita Rosent. Pirh. Laym. &c. Ratio primi est; quia hæ non sunt in commercio hominum, ac in nullius bonis existunt, *arg. L. pacta 72. §. fin.* Dixi *per se*; quia accessoriè dari possunt in Feudum, scilicet unà cum re, cui cohærere censentur: v. g. Jus patronatûs cum castro, quod in Feudum solitum est dari. Secundum constat ex *lib. 1. Feud. tit. 6. Episcopum, Abbatem, &c. Feudum dare non posse.* Estque Ratio; quia concessio Feudi est species alienationis: adeóq; sicut hæc, ita & Feudum sine recensitis solemnitatibus Juris concedi nequit.

7. Dico sextò: si contingat Feudatarium Clericum committere delictum aliquod v. g. proditionis, vel parricidii; tunc Feudô privari potest, & debet, si Feudum illud sit patrimoniale, aut paternum, seu Privatum: si verò sit annexum Sedi Ecclesiasticæ, ac dignitati, quam tunc gerit talis Clericus Feudatarius; tunc Sedes Ecclesiastica non est privanda Feudô. Ita Rosent. Innoc. Pirh. &c. Primum sumitur ex *lib. 2. Feud. tit. 40. de Capitulis §. item si Clericus.* Secundum patet ex illa regula Juris 76. in 6. *delictum personæ non debet in Ecclesiæ detrimentum redundare.* Vivente tamen tali Clericô Feudatariô, etsi sit Prælatus administrationis, Feudum quoad communem fructuum perceptionem redit ad Dominum directum, etiam Laicum, & Prælatus illis privatur: eô verò mortuô, vel depositô, fructus revertuntur ad Successorem; uti habetur *cit. lib. & tit. Feud.*

8. Nota secundò: tametsi Jure communi Feudorum Clericus regulariter non possit succedere in Feudo, uti constat ex *cap. un. de Feudo fœminæ lib. 3. tit. 30.* cujus Ratio datur *lib. 2. Feud. tit. 36. in cap. unic. de Vasallo milite, &c.* eò quòd desiit esse miles sæculi, qui factus est miles Christi; nec beneficium pertineat ad eum, qui gerere nequit officium. Attamen Jure Canonico non tantùm Ecclesiæ, & Monasteria; sed etiam Clerici, ac Religiosi possunt possidere Feuda de novo; uti patet ex *cap. transmissa 6. & seq. de foro competenti.* Et *cap. unic. §. verum de stat. reg. in 6.* Quare Leges Feudales in hoc passu non sunt receptæ à S. Canonibus; nec valent, cùm disponant de rebus ad Ecclesias, vel Ecclesiasticas personas pertinentibus: in quas potestatem non habent, *cap. quæ Ecclesiarum 8. de Constit.*

9. Dico septimò: Feudatarius nequit alienare Feudum sine consensu Domini directi infeudantis; & alienatio aliter facta est nulla; & alienans amittit Feudum. Ita Clarus, Vallens. Zoësius, Rosent. &c. Et habetur *cap. Imperialem de prohib. Feud. alien. per Lotharium, lib. 2. tit. 52.* Et colligitur ex *cap. 2. hoc tit.* Intelligitur hìc nomine *alienationis* non tantùm ven-

venditio; sed quilibet alius contractus, & actus, quô transfertur Dominium reale in alium absq; consensu Domini directi; uti patet ex *unic. qualit. poter. olim Feudum alien. lib. 2. tit. 9.* Unde nequit Feudatarius Feudum uxori dare in dotem; nec testamentô relinquere alicui; nec donare inter vivos; nec mortis causâ; nec dare in Emphyteusim; nec locare ad longum tempus; nec permutare; nec oppignorare; uti habet Clarus, Pirh. Rosent. &c.

10. Dico octavò: Feudatarius tamen potest Feudum alienare cum consensu Domini infeudantis; uti & alterum subinfeudare, etiam sinè consensu Domini directi. Ita Vallens: Clarus, Rosent. Pirh. &c. Primum constat ex *cap. unic. §. etsi Clientulus, de alienat. Feudi lib. 2. tit. 13.* Secundum verò ex *cap. unic. §. si verò, in prin. qualiter etiam poter. Feud. alien. lib. 2. tit. 9.* Estq; Ratio; quia prior Vasallus, seu Feudatarius manet nihilominùs in solidum obligatus suo Domino; & subvasallus saltèm mediatè servire cogitur Domino superiori ex mandato subinfeudantis; uti advertit ex Rosenthal Pirhingus.

CAP. III.

Quibus modis acquirantur, & amittantur Feuda.

1. Nota primò: tribus modis acquiruntur Feuda, scilicet pactô cum investitura; præscriptione, & successione. *Pacti* nomine hìc venit contractus Feudalis, quô Dominus concedit alicui rem suã jure Feudi. Nomine *Investituræ* intelligitur introductio actualis in possessionem rei feudalis, v.g. castri: & hæc est investitura propria. Datur etiã impropria, fitq; in curia Domini, ubi Feudatario datur vexillum, hasta, sceptrum, aut aliquid simile, cum expressione verborum idoneorum, quòd hæc fiant intentione investiendi: Hæc investitura fit coram Paribus Curiæ, seu aliis Vasallis, saltèm duobus; aut si nulli tales adsint; vel nimiùm distent; aut Feudum sit Ecclesiasticum; quibus casibus peragitur Investitura impropria coram aliis testibus, *cap. 1. quid sit investitura.* Et *cap. un. si de investitura, &c.*

2. Nota secundò: *Præscriptione* acquiruntur Feuda, quando Vasalli per 30. annos rem tanquam feudalem possederunt, & se fideles exhibuerunt, ac servitia præstiterint, *cap. si quis per 30. si de Feudo defuncti &c.* Sed in Feudo Ecclesiastico requiruntur 40. anni, *arg. Anthent. quas actiones C. de SS. Ecclesiis.* Et *cap. ad aures, de prescript.* *Successione* acquiruntur Feuda, quando moritur Feudatarius, quo casu consanguinei illud acquirunt. Et quidem omnium primò succedunt *descendentes*, id est Filii, & Nepotes; habétq; hìc locum Jus repræsentandi; unde si adsit filius Vasalli defuncti; ex alio autem filio prædefuncto nepos: tunc hic nepos repræsentat Patrem defunctum, & unà cum filio succedit, *cap. 1. in prin.* & ibi DD. *de successione Feudi.* Debent autem Filii, qui ad successionem feudalem vocantur, esse naturales, & legitimi simul; id est ex justis nuptiis procreati. Unde

3. Nota tertiò, à Successione in Feudis excluduntur *primò*, filii naturales tantùm, id est progeniti ex concubina; uti dicitur *loc. cit. §. naturales. Si de Feudo defuncti controversia sit.* *Secundò* excluduntur filii adoptivi *cit. loc. §. adoptivus. Si de Feudo defuncti contentio sit.* *Tertiò* Filii muti, surdi, cæci, aut simili defectu Physico laborantes; uti dicitur *tit. an mutus vel imperfectus.* Et *§. mutus, tit. Episcopum vel Abba.*

4. Nota quartò: Ascendentes nimirùm Pater, avus, & cæteri regulariter non faciunt successionem in Feudis; nisi aliter in investitura ordinatum; vel consvetudine receptum sit, *cap. unic. in princ. de natura Success. Feudi.* Similiter in Feudis novis Collaterales, id est Fratres, vel alii consanguinei non succedunt regulariter; nisi & circa hos in investitura aliter cautum sit; vel consuetudo contrarium obtinuerit, *cap. unic. §. cum verò de his qui Feuda dare possunt.* Et *cap. unic. de successione Feudi.* In Feudis tamen antiquis etiam Collaterales agnati (non cognati nisi in casibus, in quibus fœminæ admittuntur) succedunt; & proximior excludit remotiorem: & computatur proximitas non respectu primi acquirentis; sed ultimi possessoris; ut ita frater defuncti patruum suum excludat, quamvis iste sit proximior primo acquirente, *cap. unic. §. si Capitanei.* Circa amissionem Feudorum

5. Nota quintò: ex quadruplici causa principali amittuntur Feuda, scilicet alienatione; investituræ renovationis omissione; refutatione; & delictô, seu feloniâ. *De alienatione* jam dictum est *priori cap. concl. 7.* Circa *omissionem renovationis investituræ* sciendum, Vasallũ esse obligatum, intra annum, & diem petere renovationẽ investituræ, quoties persona Domini directi, aut Vasalli per mortem, vel causã mutatur; aliàs amittitur Feudum, *cap. 1. quæ fuit prima causa &c.* Militibus tamen actu militantibus indulgetur annus, & unus mensis, ad petitionem investituræ instituendam, *cap. 1. qua tempore milites, &c.* Impuberes quoq; negligentes eam facere veniam merentur, *cap. 1. de prohibita Feudi alienatione per Fridericum.*

6. Nota sextò: circa causam amissionis Feudi per *refutationem* docetur communiter, Feudum istô modô amitti, si Feudatarius renunciat Feudũ agnato, vel extraneo sinè consensu Domini; uti tenet comun. DD. Circa quartam

causam

causam notandum, Feudum amitti, quando Vasallus committit *Feloniam* seu delictum in Dominum directum; uti patet ex *tit. quibus modis Feudum amittatur* Sunt autem delicta inducentia amissionem Feudi in triplici differentia: quædam enim patrantur *directè* in Dominum infeudantem; ut si Feudatarius ipsi injustè subtrahat servitia debita: vel Feudum abneget; vel si personam ejusdem, aut bona invadat: vel si ipsius secreta revelet; vel amicitiam cum hostibus illius ineat; vel si ipsum absque jussu Magistratûs criminaliter accuset; vel in eadem causa Advocatum aut testem agat; vel eundem Dominum suum in bello deserat, quando ei absque morali periculo mortis adesse poterat: ùt notant DD. Quædam verò delicta committuntur in Dominum infeudantem *indirectè*; ut si Vasallus cum uxore Domini, vel filia, vel nepte ex filio, vel uxore filii, aut etiam sorore Domini (quamdiu ipsa moratur in familia Fratris sui) peccaverit, vel peccare attentaverit, Vel si Feudo abutatur nimiam crudelitatem in subditos exercendo, eorum facultates plus solitò emungendo; aut nimis gravibus operis eosdem cruciando. Quædam verò delicta sunt, quæ quidem Dominum infeudantem nec directè, nec indirectè tangunt; Vasallum tamen graviter infamant, ita ut in curia sui Domini honestè stare nequeat, ac proindè Feudi incapax efficiatur; talia sunt, si Vasallus committat crimen læsæ Majestatis, vel parricidium, vel aliud grave delictum, ex quo gravissimam infamiam sibi inussit. De quibus omnibus lustra textum in *tit. quæ fuit prima causa beneficii.* Et *quibus modis Feudum amittatur.*

TITULUS XXI.

DE PIGNORIBUS, ET ALIIS CAUTIONIBUS.

CAP. I.

Quid, & quotuplex sit Pignus, Hypotheca, & Cautio.

1. NOta primò: posteaquam Papa absolvit tractatus perfectos, & principales; incipit tractare de accessoriis, quibus iidem tractatus solent muniri ad majorem eorundem securitatem; cujusmodi sunt Pignus, Cautio, Fideijussio, Promissio, &c. *Hoc tit.* agit de Pignore, & Cautione pignoritica potissimè. Dicitur autem *Pignus* à *Pugno*, eò quòd res pignori data tradatur manu, teste J. C. in *L. plebs. 238. ff. de V. S.* Et sumitur tùm pro re ipsa, quæ in pignus datur; tùm pro contractu, & obligatione pignoris; in qua acceptione.

2. Dico primò: rectè describitur Pignus, sumptum pro contractu, quòd *sit contractus, quò res aliqua mobilis obligatur Creditori in securitatem debiti, ut si debitor non satisfecerit, inde satisfieri possit.* Ita Hostiens. Sylv. &c. DD. Ly. *contractus est* genus; reliqua ponuntur pro differentia.

3. Nota secundò: tametsi Pignus, & Hypotheca distingvantur in rigore, per hoc, quod Pignus locum habeat in solis rebus mobilibus, quæ manu traduntur; cujusmodi sunt catenæ, annuli, vestes, vasa argentea, & similia: Et hypotheca locum habeat in rebus immobilibus, quæ non traduntur manu; sed remanent penes debitorem, obligatæ tamen creditori; cujusmodi sunt domus fundi, &c. Attamen plerumque hæc duo Pignus, & Hypotheca inter se confunduntur; & quoad effectum conveniunt; cùm per utrumque res sit obligata creditori in securitatem debiti; utì notat Vallens. Engel, Pirh. & communis DD.

4. Nota tertiò: Pignus seu Hypotheca dividitur *primò* in universale, & particulare. Pignus seu Hypotheca *Universalis* est, quâ oppignorantur omnia bona præsentia, & futura; ùt habetur *L. 1. & L. quæ nondum ff. de Pignore. Particularis*, quâ pars tantùm eorum subjicitur Hypothecæ. Rursùs utraque subdividi potest, in Prætorianam, Conventionalem, & Legalem. *Prætoriana* (quæ & *Judicialis* appellatur) est illa, quæ nascitur ex authoritate Prætoris, seu Judicis, mittentis Creditorem in possessionem bonorum Debitoris, posteaquam is in solvendo contumax extitit; de hac extat L. *A Divo Pio ff. de re judicata, & Tit. C. si causa judicata, &c. Conventionalis est*, quæ consistit in sola conventione, & pacto partium; unde ad eam non requiritur præsentia, vel traditio pignoris; ùt habetur L. *1. ff. de Pignore. Legalis* est, quæ ex disposi-

tione Juris ortum habet. Tandem Hypotheca alia est expressa, alia tacita. *Expressa* est, quæ perficitur expresso consensu partium. *Tacita*, quæ juxta Juris ordinationem contrahitur, etiam sinè consensu utriusque.

5. Nota quartò: plura esse genera bonorum, quæ tacitô Pignore, seu tacitâ hypothecâ oppignorantur, & hypothecantur. *Primò*: bona de quibus aliquid debetur Fisco, vel Principi; vel ob tributum non præstitum, hypothecantur Fisco L. *1. C. de Privilegio Fisci*; vel ex contractu cum eo initio, *L. 2. C. cit.* *Secundò*; bona omnia mariti sunt hypothecata uxori, pro restitutione dotis; & è contra bona uxoris, marito, pro præstatione promissæ dotis; L. *un. C. de rei uxoriæ act.* *Tertiò*; bona Tutoris vel Curatoris tacitè hypothecantur Pupillo, vel Minori pro administratione; *L. Pro officio, C. de administ. Tut.* *Quartò*; Proles legitimæ habent tacitam hypothecam in facultatibus Patris administrantis bona eorum adventitia, *L. ult. C. de Bonis, quæ Liberis.* *Quintò*; omnes res comparatæ pecuniâ Pupilli manent ei tacitè hypothecatæ; & quidem cum privilegio prælationis ante omnes habentes hypothecam in iisdem rebus; *L. idémque, ff. Qui potiores in pignore*, junctâ Gloss. ver. *Res fuerit.* Vide plura de aliis bonis, quæ tacitâ hypothecâ solent hypothecari, *ff. in quibus causis pignus*; & apud Less. Negusant. Gaill. Sylv. Tolos. & alios DD. Circa Cautionem

6. Nota quintò: *Cautio*, idem est quod *Securitas*; & afficit Pignus, Fidejussionem, & alia, quæ securitatis causâ adjiciuntur contractibus. & describi potest, quòd *sit securitas quædam contractui apposita, quâ creditor assecuratur de eo, quod sibi promittitur, vel debetur.* Cautio autem est multiplex juxta securitatis modos; nam alia est *simplex*, quæ perficitur solâ promissione: alia *juratoria*, quæ perficitur præstitô juramentô de re aliqua danda vel facienda: alia *fidejussoria*, quæ peragitur assignatione certorum fidejussorum: alia *hypothecaria*, seu *pigneraticia* (de qua potissimè hìc tractat Papa) quæ fit cum interventu hypothecæ, vel pignoris alicujus: & sic de pluribus aliis.

CAP. II.

Quæ res possint, vel non possint oppignorari, seu hypothecari.

1. DIco primò: omnes res oppignorari, & hypothecari possunt, quæ in commercio hominum sunt, & alienari possunt, quæque & aliàs sunt in Dominio, vel quasi Dominio debitoris; quæ verò non sunt in commercio, & alienari prohibentur, nec etiam oppignorari valent. Ita Glossa, Vallens. Engel, & communis DD. Et ita colligitur ex L. *1. ff. quæ res Pign. oblig. non poss.* Et *L. ult.* junctâ Gloss. ver. *vel hypothecam C. de rebus alien. vel non alien.* Estque Ratio: quia oppignoratio est species quædam alienationis, cùm in ea transferatur jus pignoris: unde eôdem modô de ea discurrendum est, quô de alienatione quoad possibilitatem hypothecandi. Ex his

2. Inferuntur sequentia corollaria: *primò*, res sacras, sanctas, & Religiosas; ut Ecclesias, Capellas, Monasteria, &c. regulariter non posse oppignorari; cùm hæ in commercio hominum non sint; nec regulariter alienari possint; uti constat ex L. *3. C. quæ res pign. dari non poss.* Et L. *3. C. de religios. & sumpt. funer.* *Secundò*, hypothecari nequeunt res pretiosæ mobiles Divino cultui dedicatæ; ùt vasa sacra, Calices, Patenæ, Vestimenta Sacerdotalia, Libri Ecclesiastici, seu Missalia, & similes; nisi adsit justissima causa necessitatis, v.g. redemptionis captivorum, vel similis; utì habetur *cap. 1. hoc tit.* Aliàs si Rector Ecclesiæ aliquod simile pignori dederit, etiam pro propria necessitate, vel utilitate; poterit Ecclesia vel repetere, & vindicare Pignus à possessore; vel cogere hæredem talis Rectoris, ut eam redimat, & restituat Ecclesiæ; *cap. 3. hoc tit.* *Tertiò*, oppignorari nequit per se jus patronatûs; cùm per se non cadat in commercium hominum. Unde si oppignoretur aliquod castrum, cui annexum est jus patronatûs; manet ejusmodi jus penes oppignorantem seu priorem Dominum. *Quartò*, liber homo pariter nequit in pignus dari; utì constat ex *cap. lator 2. hoc tit.* Estque Ratio; quia homo liber pariter non est in commercio hominum. Procedit autem hæc conclusio, quando liber homo bonis cedere vult: nam si vel fugam attentet; aut solvere nolit, capi & detineri potest in carcere quasi pignoris locô; utì habet communis DD. *Quintò*, etiam res penitùs aliena non potest pro Pignore dari; utì patet ex L. *2. si aliena res pign. data sit.* *Sextò*, sed neque res pupillorum; minorum; litigiosæ; publicæ, ut fora & instrumenta rustica, ac ad cultum agrorum pertinentia; nec servitutes prædiorum tam urbanorum, quàm rusticorum, oppignorari debent; item res fideicommisso subjectæ; præmium futuræ victoriæ; ac feudum absque consensu Domini directi, oppignorari non possunt; utì habet Vallens. specul.

CAP.

CAPUT III.

De Effectibus, Pactis, Actionibus, & Dissolutione Pignorum.

1. NOta primò: Pignus habet duos Principales effectus. *Primus* est, quòd afficiat rem ipsam; & propterea potest creditor rem Pignori obligatam repetere à quocunque possessore per actionem hypothecariam; seu ùt loquitur §. *item Serviana, Instit. de act. per actionem Servianam, vel quasi.* Verumtamen non competit actio, adversùs tertium possessorem; quàm si debitor, & fidejussor ejus excussus fuerit, iique solvendo non fuerint, *Authent. hoc si debitor C. de Pignor.* Item si debitor sciente, & consentiente creditore pignus alienaverit, censebitur creditor obligationem Pignoris remisisse; & emptor erit securus, L. 2. *C. de remiss. Pignoris.* *Secundus* effectus Pignoris est: quod creditores hypothecarii præferantur personalibus, seu chyrographariis creditoribus, quando debitor ob nimium æs alienum cedere debet bonis; vel moriatur obæratus, & ibi concurrant plures creditores.

2. Nota secundò: Contractui Pignoris solent apponi pacta varia, conditio, ac dies *L. si convenerit ff. de pignorat.* non tamen omnis generis pacta licitè recipit: cum quædam sacris Canonibus, & Legibus adversentur: quare de ejusmodi pactis statuo sequentes resolutiones. *Primò*, pactio de lucrandis fructibus ex pignore ultrà sortem, sub specie ac pallio revenditiones, tanquam usuraria reprobatur, per *cap. 4. hoc tit.* *Secundò*, improbatur etiam à Jure Canonico (non autem à Civili) tanquam usurarium, pactum antichrisios *cap. 6. hoc tit.* quô creditor Pignoris, quod tantùm in securitatem debiti datum fuit, fructus lucratur salvâ sorte: cùm ratione dilatæ solutionis fructuum lucrum percipiat. Quare mandant Canones fructus perceptos ex Pignore in sortem imputari, & ubi sortem æquaverint, teneatur creditor nulla alia solutione expectata pignus restituere *cit. cap. 6.* *Tertiò*, pactum quoque legis commissoriæ non est licitum *cap. 7. hoc tit.* per quod convenitur inter partes, ut si Pignus non solvatur intra certum tempus, illud sit commissum, id est creditori cedat. Ejusmodi enim pactum vergit in grave detrimentum debitoris; nam cùm res oppignorata plerumque longè pluris valeat, quàm sit ipsum debitum: unde si valeret, tale pactum legis commissoriæ, graviter damnificaretur debitor perdendo Pignus longè majoris valoris, quàm erat debitum. Permittitur tamen hujusmodi pactum, si expressè à principio conventum sit hôc modô; ut si debitum intra constitutum tempus, non fuerit solutum, ipsum Pignus sit emptum; aut in solutum datum creditori pro justo pretio, quod boni viri arbitriô æstimandum erit; utì constat ex *L. fundus 16. ff. hoc tit.*

3. Nota tertiò: ex Pignore constituto oritur duplex actio, una Pignoraticia, altera hypothecaria. *Pignoraticia* rursùs alia est directa, alia contraria. *Actio Pignoraticia directa* datur debitori persoluto debito adversùs creditorem, ut is sibi restituat rem oppignoratam unà cum fructibus, ac resarciat omne damnum, culpâ vel dolô ejus causatum; quod intelligendum est de culpa gravi, & levi; ex qua obligatur creditor; non autem ex levissima; sicut nec ex vi majori, & casu fortuitò; *arg. L. si ea res ff. de actio. empti.* Hæc autem actio non datur citiùs debitori, quàm probet Pignus sic traditum creditori; nascitur enim ex interventu rei, *Instit. quibus modis re contrah. oblig.* *Actio Pignoraticia contraria* datur creditori adversùs debitorem, ad id, quod sibi Pignoris nomine abest; ut si forsitan sumptus in rem pignoratam fecerit: aut res aliena sibi fuerit oppignorata. Et hujusmodi actio datur, etiamsi ipsi non fuerit traditum Pignus; ùt notat Vallens. & Negusant. *Actio hypothecaria* datur creditori ad vindicandum Pignus à quocunque possessore debitô non solutô, ut ita rei pignoratæ incumbens, si non solvatur debitum, possit eam distrahere, & ex ejus pretio, quod sibi debetur decerpere. Hæc actio differt à Pignoraticia, quod Pignoraticia sit personalis *L. fin. C. de distrah. Pignor.* Hypothecaria verò sit realis, seu in rem *L. Pignoris 18. C. de Pignor.*

4. Nota quartò: Pignus dissolvitur variè: puta integrâ persolutione debiti, remissione, oblatione, consignatione, & depositione *L. 1. C. qui potiores in Pignor. hab.* Item rei interitu; mutatione debitoris; novatione voluntaria; dominii impetratione; tempore; sententiâ, vel jurejurando; ut si juratum, vel judicatum sit, Pignus non esse oblatum; item re avocata per remedium *legis 2. C. de rescind. vend.*

CAP. IV.

Quid de Pignoribus in Ordine Minoritico.

1. DIco primò: prohibitum est Minoribus libros, vel alias res Conventûs, & Ordinis Pignoris locô dare. Ita S. Bernardinus in *opusc. casuum propr.* relato *4. pag. Firmam. pag. 178.* Estque Ratio; quia Oppignoratio, & Hypothecatio supponit in oppignorante, & hypothecante dominium rei oppignoratæ, & hypothecatæ; quô carent Fratres Minores, ex *cap. 1.* Regulæ. Et cap. *Exiit. 3. de verb. signif. in 6.*

TITULUS XXII. DE FIDEJUSSORIBUS.

CAP. I.

De Quidditate Fidejussorum, & Fidejussionis.

1. NOta primò: alterum accessorium, quô contractus solent muniri ad majorem eorum securitatem, est Fidejussio; de qua proinde *hoc tit.* agit Summus Pontifex. Dicitur autem *Fidejussor* secundùm Ethimologiam quasi *fide sua jubens*, & intercedens, ut alteri credatur: & in larga acceptione nomine Fidejussoris venit omnis ille, qui alterius obligationem in se suscipit, & sua fide jubet pro altero; sivè sit mandator; sivè constitutor; sivè expromissor. In stricta verò acceptione, prout de ea hic, Fidejussor dicitur is, qui per stipulationem pro alio accessoriè se obligat.

2. Nota secundò: Ejusmodi Fidejussor differt à constitutore per hoc, quòd constitutor possit constitere etiam pro se; Fidejussor autem tantùm pro alio. A mandatore differt, quòd mandator nudo consensu constituatur; etiam absens: Fidejussor verò non, nisi per stipulationem, & præsens *L. 12. C. hoc tit.* Ab Expromissore distingvitur, quòd Expromissor tametsi obligetur pro alio, ita tamen obligatus est, ut reum principalem liberet; unde per expromissionem fit novatio; non item per Fidejussionem; cùm principalis maneat obligatus.

3. Dico primò: benè describitur Fidejussor, quòd *sit illa persona, quæ fidem propriam pro principali debitore interponit, ac obligationem ejus solvendi in se suscipit, principali nihilominùs manente obligatô.* Et Fidejussio sic, quòd *sit contractus, quô quis fide propriâ interpositâ pro principali debitore de aliena obligatione solvendi securitatem præstat.* Utraque descriptio deducitur ex *Instit. de Fidejussor.* Et L. *Grac. ff. eod.* Ly *persona*, & *contractus* in præmissis descriptionibus ponuntur pro genere: reliqua pro differentia.

CAP. II.

Varia circa Fidejussores resolvuntur.

1. DIco primò: pro Fidejussoribus admittuntur regulariter omnes, qui talis sunt conditionis ut se, & sua obligare valeant; quique rectum usum rationis, & liberam rerum suarum administrationem habent; ac speciali lege non prohibentur fide jubere. Ita Vallens. Engel, & communis DD. Et colligitur ex *Instit. de Fidejuss.* & alii LL. Ex his

2. Infertur primò; milites actuales non posse esse Fidejussores; hi enim à Fidejussione prohibentur per specialem L. *milites 31. C. de locato.* *Secundò*; nec fœminas; utì patet ex *toto tit. ff. & C. ad senatus consultum Velleianum*; unde si tales defactò fidejusserint, contra creditorem exceptio indulgetur; & si insuper solverint, soluti condictio ex præfato senatûs consulto Velleiano conceditur L. *2. §. 1. Et* L. *quamvis 8. §. interdum 3. cit. ff.* quod concessum est propter sexûs imbecillitatem, & imprudentiam, quâ inducuntur de facili fœminæ ad commiserationem, & hâc ad Fidejussionem, quâ finaliter periculum damni incurrunt. *Tertiò*, servis quoque non permittitur fidejubere. *Quartò*, etiam Religiosis non habentibus propria bona patrimonialia interdicitur Fidejussio, *cap. penult. hoc tit.* Et *cap. 2. de solut.* Unde si talis præstiterit aliquam Fidejussionem, monasterium eâ non obligatur; nisi consensus Prælati, & majoris partis Capituli intervenerit. *Quintò*, etiam Clericus sæcularis prohibetur frequentatè fidejubere; ne se obruat ære alieno; & cum dedecore statûs Clericalis, atque damno Ecclesiastici officii, ac reddituum Ecclesiasticorum in non pios usus convertendorum, ad curias trahatur, perpetuísque litibus occupeturr, *cap. 1. hoc tit.* Et *novel. Justin. 123. cap. 6.* Et *novel. Leonis 86.*

3. Nota

3. Nota primò: Clericis tamen permitti fidejubere pro aliis Clericis *cap. 2. hoc tit.* imò & pro Laico, ob urgentem necessitatem, vel aliam justam causam; puta si laicus sit egens, & destitutus omnibus aliis Fidejussoribus; hoc enim permittit, & suadet officium charitatis, & misericordiæ: uti notat Panorm. Abbas, Glossa, &c. Item pro suis Ecclesiis ex pia causa, & non in magna quantitate, & sine detrimento Ecclesiæ fidejubere potest pro alio; ùt habet Engel, &c. Episcopus etiam, vel alius Prælatus sivè sæcularis, sivè regularis potest ex pia causa, & non in magna quantitate, & absque detrimento Ecclesiæ fidejubere pro alio ex redditibus mensæ suæ, etiam non requisito consensu Capituli, vel conventûs: Ratio est; quia sic fidejubere est opus charitatis, quod ab Ecclesiastico Prælato non debet esse alienum; uti notat Sylv. Sanch. Laym. Similiter Religiosus beneficiatus pro utilitate sui Conventûs potest fidejubere; ac etiam pro alio cum facultate sui Prælati, & ex rationabili causa: uti habet Navar. Pirh. &c.

4. Dico secundo: Fidejussores adhiberi possunt in omni genere obligationum, quôcunque modô contractarum; sivè ex civiles tantùm sint; sivè naturales tantùm; sivè civiles & naturales simul: sivè Prætorianæ: sivè principales; sivè accessoriæ. Ita Vallens. & alii DD. Et habetur *§. 1 Instit. hoc tit.* Et L. *1. 2. 9. §. 1.* Et *L. 26. ff. eod.* Estque Ratio; quia cùm omne genus obligationum periclitari possit circa solutionem præstandam; ideò cuivis in securitatem apponi potest Fidejussor.

5. Nota secundò: Fidejussoribus Jure competere duo beneficia seu exceptiones. *Primum* est exceptio, seu beneficium Ordinis, sivè excussionis: nam Jure novo si quis ex Fidejussoribus conveniatur à Creditore, isque petat debitum, potest contra eundem excipere, quòd non teneatur solvere; nisi priùs excusso debitore principali notoriè constiterit, ipsum non esse solvendo, sivè in totum, sivè in partem; *Authent. præsent. C. hoc tit.* *Secundum* est beneficium divisionis: nam si plures pro eodem debito fidejusserint, etsi singuli in solidum obligentur, & conveniri possint; ita ut creditor à quolibet eorum debiti solutionem petere valeat; attamen competit eis exceptio ex *Epistola Adriani Imper.* ut obligatio debiti in portiones dividatur; & tunc quilibet à Fidejussoribus nonnisi pro virili parte conveniri possit, *§. si plures; Instit. hoc tit.* in fine. Quòd si quis Fidejussorum tempore talis divisionis non esset solvendo, reliqui obligantur, & cogi possunt ad solvendum totum debitum; imò etiam unicus, qui solus esset solvendo, *cit. loc.* Est autem tali solventi salva actio contra debitorem, quâ petat ab eo sibi refundi, quod ejus nomine solvit.

6. Nota tertiò: tres extare casus, quibus Fidejussor, etiam antequàm solvat pro principali debitore, possit agere adversùs eundem debitorem, ut ipsum liberet ab obligatione contracta Fidejussionis; qui enumerantur *cap. cum 5. & ult. hoc tit.* his verbis; *si is, qui se pro aliquo Fidejussorio nomine obligavit, diu in obligatione stetit; quia debitor diu solvere cessavit: aut dissipare bona sua cœpit; vel si ipse Fidejussor ad solvendum à Judice condemnatus fuit, Jure potest convenire debitorem, & petere, ut se à Fidejussione liberet.*

7. Nota quartò: Fidejussio hodie non solùm per solemnem stipulationem, uti fiebat olim; sed etiam per quodcunque pactum, sponsionem, nuntium, vel epistolam (saltèm ex generali, præsertim Germaniæ consvetudine) rectè fieri potest; uti notat Engel. Imò in *L. cum ostendimus 4. §. fin. ff. de Fidejussor. tutorum* deciditur, quòd si quis in judicio nominatus Fidejussor patiatur nomen suum in acta publica referri, perinde teneatur, acsi verbis expressis fidejussisset.

CAP. III.

Quid de Fidejussoribus Minoritis.

1. DIco primò: Nemo Minorita Observans, vel Reformatus potest agere Fidejussorem formalem, in causis bona temporalia concernentibus, ùt pecunias, villas, &c. Ratio est; quia Fidejussio in causa temporalium bonorum supponit proprietatem aliquorum bonorum temporalium, ratione quorum fidem suam interponit pro principali debitore, ac obligationem ejus solvendi ex dictis bonis in se suscipit: Fratres autem Minores Observantes, & Reformati non habent ullorum bonorum temporalium proprietatem, in quibus fundare possent suam Fidejussionem, & obligationem solvendi pro principali debitore in causa temporali; adeóque nec fidejubere possunt in causa temporali. Præterea Frater Minor non habet suum proprium velle; sed est sub obedientia suorum Superiorum plenissimè constitutus; adeóque nequit spondere, stipulari, vel fidejubere pro aliquo in causa temporali.

TITU-

TITULUS XXIII.

DE SOLUTIONIBUS.

CAP. I.

De quidditate Solutionis; ubi etiam de Mutuo.

1. NOta primò: posteaquam Papa absolvit titulos de duplici specie cautionum, scilicet Pignoris, & Fidejussorum, quæ solent contractibus apponi in securitatem solutionis debiti; consequenter *hoc tit.* tractat de ipsa solutione debiti. Usurpatur autem solutio in sensu generali, & speciali. *In generali* comprehendit omnem liberationem, & satisfactionem quocunque modò factam, & in hoc procedit *L. solutionis 176. ff. de V. S.* *In sensu speciali*, & prout de ea hìc potissimùm agitur, significat redditionem illius, quod debetur; & in hoc procedit *L. solutam 49. ff. hoc tit.*

2. Dico primò: rectè describitur solutio specialis, de qua hìc, quòd *sit totius debiti idonea præstatio, seu satisfactio idonea, creditori facta per debitorem locò, & tempore convenienti.* Colligitur ex *L. solutum*, & eam tenet Engel, &c. Ly *præstatio*, seu *satisfactio* est genus; reliqua ponuntur pro differentia. Quia autem hæc solutio specialis versatur circa debitum, quod ex contractu Mutui dati, & accepti contrahitur; idcircò nonnulla de contractu Mutui hìc præmittam. Dicitur autem *Mutuum* quasi ex *meo tuum*; ùt habetur *Instit. mox citanda.* Unde

3. Dico secundò: Mutuum, quod respicit solutio specialis, rectè describitur, quòd *sit contractus, quô cum dominii translatione gratuitò in mutuatariū traditur res aliqua consistens in numero, pondere, & mensura; cum obligatione, ut similis in genere, & bonitate restituatur.* Ita colligitur ex *Instit. quibus modis contrah. oblig.* Et *L. 2. ff. si certum petetur.* Ly *contractus* est genus: reliqua formant differentiam. Per Ly *cum dominii translatione* differt Mutuum à Commodato, Deposito, Locato, & Pignore; in quo non transfertur dominium rei accomodatæ in accipientem. Dicitur *gratuitò*; quia in Mutuo nullum lucrum debet intervenire juxtà illud Luc. 6. *Mutuum date nihil inde sperantes*; aliàs esset usura. Dicitur *traditur res aliqua consistens in numero, pondere, & mensura*; ut exprimatur materia, circa quam versatur Mutuum, quæ sunt res fungibiles, id est, quarum unâ fungi potest vice alterius, seu substitui; quales sunt res constantes pondere, mensura, & numero, quæ videlicet numerari, & ponderari, & mensurari possunt; ùt est pecunia numerata, aurum, aromata, vinum, &c. utì habetur *Instit. & ff. cit.* Ly *cum obligatione ut similis in genere, & bonitate restituatur*; indicat debitum, & onus, quod vi mutui contrahit Mutuatarius; ùt videlicet pro re mutuò data, alia ejusdem generis (id est speciei seu naturæ specificæ, ùt loquitur Physicus) & bonitatis (id est perfectionis Physicæ) reddatur v. g. pro una urna vini Hispanici, reddatur alia ejusdem qualitatis, & bonitatis.

4. Dico tertiò: Mutuum possunt contrahere omnes, qui possunt inire alios contractus, & qui lege speciali non prohibentur. Ita Herincx, Gomez, Castropalao, &c. Ratio est; quia cùm Mutuum involvat speciem contractûs; consequenter habiles ad alios contractus incundos, possunt etiam Mutuum contrahere.

5. Dico quartò: speciali lege prohibentur Mutuum contrahere filiifamilias, minores 25. annis, & Prælati Ecclesiarum nomine earundem. Ita cit. DD. Primum de filiis familias constat ex *ff. & C. ad S. C. Macedonianum*; quô etiam absolvuntur filiifamilias ab obligatione solvendi Mutua, si quæ contraxerint. Circa quod tamen vide nonnullas exceptiones in *tom. 4. Scholæ meæ Theolog. tract. de Virt. Card. dist. 12. q. 6.* Secundum de Minori 25. constat ex *L. 3. C. quando eo facto.* Tertium de Prælatis Ecclesiarum habetur *cap. 2. hoc tit.* ubi etiam dicitur; quòd Ecclesia non teneatur ad solutionem Mutui à Prælato ejusdem contracti; & Prælatus contrahens Mutuum ab administratione est suspensus ipso Jure.

6. Nota tamen secundò: potest tamen Prælatus Ecclesiæ nomine Ecclesiæ contrahere Mutuum pecuniarium secundùm facultates redditnum, quibus rursùs possit solvi tale Mutuum, si adsit necessitas Ecclesiæ; & accedat consensus Capituli; ùt habet Abbas, Molina, &c. Et in tali casu Prælatus successor tenetur præfatum debitum solvere; utì constat ex *cap. 1. hoc tit.* Similiter potest Prælatus Ecclesiæ ex redditibus Ecclesiæ superabundantibus dare Mutuum aliis indigentibus pecuniâ; dummodo sors, sive summa Capitalis assecuretur per pignora, vel fidejussores: hoc

hoc enim est pietatis, & misericordiæ; & Ecclesia ex eo non gravatur ; uti notat Abbas, Laym. Pith. &c.

CAP. II.

Variæ Resolutiones circa Solutiones.

1. Dico primò: tametsi Clerici debitores non minùs quàm laici solvere teneantur debita contracta; attamen Clericis inopibus, qui non sunt solvendo, datum est privilegium speciale *competentiæ*, vigore cujus ob debita civilia non debent excommunicari, nec aliter molestari possunt; neque ad cessionem bonorum compelli; neque conveniri coram creditoribus suis; sed solùm solvere tenentur tantum deductis alimentis honestis, quantum solvere possunt ; quoad aliam verò partem debitorum sufficit præstare idoneam cautionem, quòd scilicet solvere velint, dum ad pinguiorem, melioremque fortunam pervenerint. Ita Covarr. Farin. Abbas, Engel, &c. Et constat ex *cap. Odvardus 3. hoc tit.* Ratio est; quia inanis est actio, quam inopia debitoris excludit L. *nam is, 6. ff. de dolo.* Et *cap. olim 16. de restit. spoliat.* Quare in hoc Clericus gaudet eôdem beneficiô, quô miles, qui dum solvendo non est, non potest incarcerari *L. miles 18. ff. de re judic.*

2. Dico secundò: Solutio potest à debitore fieri creditori, etiam invito; dummodò polleat rerum suarum administratione; & solutio fiat in loco, & tempore competenti: & si creditor talis refutet acceptare solutionem sic factam; pecunia deponi potest apud Magistratum; sicque debitor liberabitur ab usuris. Ita Engel, & communis DD. Et constat ex *L. obsignatione 9. C. hoc tit.* Dixi *si polleat rerum suarum administratione*: quia solutio pupillo, vel minori absque authoritate tutoris, vel curatoris facta, non liberat debitorem, quin pecuniâ forsitan malè perditâ denuò possit conveniri; ùt notat Engel. Si tamen pecunia adhuc extaret, vel conversa fuisset in rem pupilli, daretur exceptio doli contra tutorem, vel pupillum, bis idipsum, quod habet, repetentem, *L. Pupillo 15. ff. hoc tit.*

3. Dico tertiò: debitor nequit compelli, ut Mutuum pecuniarium in illa specie monetæ solvat, in qua accepit v. g. in imperialibus vel scutis ; nisi præcessisset specialis de hoc conventio. Ita Engel, Bart. &c. Ratio est; quia pecunia recipit functionem in genere; & regulariter magis attenditur quantum; quàm species monetæ, quâ solvitur, *arg. L. 1. §. 1.* Et *L. Titiæ 35. ff. de auro, & argento legato.*

4. Nota primò: non potest tamen debitor pro pecunia reddere aliud corpus, aut speciem, v. g. equum, vel domum : vel è contra pro corpore, aut specie pecuniam ; & si tale quid offerat creditor non tenetur illud acceptare. Ratio est; quia ejusmodi solutio haberet speciem emptionis; nemo autem invitus emere, vel vendere tenetur *L. invitum 11. C. de contrah.*

5. Nota secundò: si contingat monetam ex dispositione Principis supremi mutari *intrinsecè*, id est in materia, & substantia; ùt si aurei cudantur, ex auro cronico, seu mixtionem habente; tunc est sententia Bart. Castrens. Covarr. & subscribit communis DD. sensus, solutionem præstandam esse in moneta veteri non mutata ; si debitor talem habere possit: sin minus, solutio fieri poterit in moneta nova; sed cum additione & suppletione tali, quæ adæquet quantum mutui in moneta intrinsecè bona concessi. Si verò moneta mutetur tantùm *extrinsecè*; id est si valor, & æstimatio tantùm extrinseca augeatur vel minuatur; tunc censet Laym. Covarr. Abb. &c. quod attendenda sit principaliter conventio partium; contractus enim ex conventione legem accipit, juxta *reg. Juris 85. in 6.* Tres autem attendi possunt modi conventionis; *primus* est; si conventio fiat nominatim, ut certa species monetæ, & certô numerô reddatur, v. g. centum aurei in specie : hoc casu superveniens mutatio extrinseca monetæ lucro, vel damno creditoris cedit ; qui proinde solvere debet tot corpora, quot in pactum sunt deducta; sivè valor eorum auctus sit, sivè diminutus. *Secundus modus* est, si conventio fiat quidem de quantitate in genere solvenda ; sed sinè certa specie, & numero monetæ ; hoc casu commodum, & damnum probabiliùs ad debitorem pertinet; unde solutio fieri debet secundùm novam æstimationem monetæ; utì habet Engel, Laym. &c. *Tertius modus* est, ut conventio quidem fiat de certa moneta v. g. scutorum, vel imperialium; sed nihil apponitur, an in specie, vel in æstimatione restitui debuerat: hoc casu pariter commodum, & damnum censetur esse debitoris ; utì notant *cit. DD.*

6. Nota tertiò: creditor non tenetur acceptare dimidiatam solutionem, v. g. ex tribus millibus florenorum hôc annô mille, & reliquum aliis subsequentibus annis ; ùt habet Engel, & alii DD. Ratio est; quia dimidiata solutio solet plerumque secum ferre multa in-

commoda; quæ subire non tenetur creditor; nisi circa hoc pactum præcessisset.

7. Nota quartò: qui errore ductus existimans debitū esse, solvit id, quod nullô modô erat debitum; potest id condicere, id est repetere; ùt constat ex *L. 1. & seq. ff. de condict. indeb.* Sed quid si solvens instituat actionem, & dicat, se per errorem solvisse indebitam pecuniam; cuinam incumbit probatio, eam indebitam solutam fuisse? Respondetur in *cap. 4.* & *ult. hoc tit.* Sic; si creditor fateatur sibi solutam esse pecuniam; sed neget fuisse indebitam; tunc solventi incumbit probatio talem pecuniam indebitam solutam fuisse: probatio namque illi incumbit, qui agit; contráque actorem est præsumptio Juris; cùm nemo præsumatur jactare suum, *cap. super hoc 5. de renunc.* Nec verisimile sit, quenquam tam esse supinum in rebus suis, ut solvat aliquid, quod non debet. Sin verò creditor neget sibi solutum esse; & actor, seu solvens hoc probet; tunc creditoris quà rei erit probare, debitam fuisse pecuniam, quæ soluta est; hoc enim casu præsumptio Juris est contra reum creditorem propter mendacium, *L. cùm de indebito 25. ff. de probat.*

8. Nota quintò: si aliquod debitum solvendum sit contractum in diem; tunc etiam antè talis diei fluxum illud solvi potest. Ratio est; quia dies in favorem debitoris adjectus censetur; cui proinde renunciare potest *L. stipulatio ista §. inter 16.* Et *L. continuus 137. §. 2. ff. de V. S.*

TITULUS XXIV.
DE DONATIONIBUS.

CAP. I.
De Quidditate, & Divisione Donationis.

1. NOta primò: post discussos contractus onerosos agit Papa de contractibus gratuitis; inter quos recésetur tanquā species præcipua Donatio; sic dicta à *dono* quasit *doni datio*, L. *Senatus 35. §. 1. ff. de mort. caus. donat.* Ipsum autem donum describitur esse, *datum gratuitum, quod neque ex justitia debitum est, neque alteri vicissim obligationem imponit*; ùt notat Engel *hoc tit.*

2. Dico primò; rectè describitur Donatio, quòd *sit rei propriæ, & non prohibitæ donari, nullo jure cogente datio liberalis, facta verbis, vel factis.* Colligitur ex L. *donari 29. ff. hoc tit.* Et *L. donari ff. de R. I.* Ly *datio* est genus; reliqua ponuntur pro differentia.

3. Nota secundò: Donatio dividitur primò in Donationem inter vivos; & Donationem causâ mortis; uti habetur in *principio Instit. hoc tit.* *Donatio inter vivos* est illa, quæ fit absque ulla cogitatione, aut suspicione mortis, *cit. Instit. §. alia autem*; & eâ intentione, ut res donata illicò fiat donatarii, nec ullo casu ad donantem revertatur; ùt notat Vallens. *hic.* *Donatio causâ mortis* est illa, quæ fit propter suspicionem mortis; ita videlicet, ut donans significet se rem talem donare causâ mortis.

4. Nota tertiò: Donatio inter vivos fieri potest duobus modis, videlicet vel purè, absolutè, & simpliciter, ita ut res statim evadat donatarii, nec possit temerè revocari; & Donatio sic facta vocatur *perfecta, & propria Donatio*, de qua potissimè hic titulus procedit. Vel sub conditione, aut modo, aut ad certum tempus, aut ob causam; & hæc vocatur *imperfecta, ac impropria.* *Donatio sub conditione* esset hæc: dono armillam Petronillæ, si Petrus ex bello Turcico superstes redierit. Hujusmodi donatio conditionata suspendit effectum. *Sub modo* esset ista, dono tibi centum aureos ut hi impendantur in altaris constructionem. Hujusmodi donatio valet, & statim obligat. *Donatio ad certum tempus* esset hæc, dono tibi equum, qui sit tuus post meam mortem. *Ob causam* esset Donatio dotis causâ, quam faceret uxor marito pro sustinendis oneribus Matrimonii, L. *pro oneribus*: Item Donatio ob nuptias, quam vicissim faceret maritus uxori in vicem securitatis dotis. Talis etiam esset Donatio remuneratoria, quæ fieret in vicem præstiti beneficii, vel obsequii. Hæc irrevocabilis est, *L. Aquilius*; & *L. si Pater 34. ff. hoc tit.*

5. Nota quartò: Donatio pariter mortis causâ fieri potest duobus modis. *Primò* quando donans nullo metu periculi mortis præsentis perculsus, sed solâ cogitatione mortis aliquando futuræ, absolutè donat rem aliquam pro tempore, quô mortuus fuerit, *L. 2. ff. de mort. caus. don.* *Secundò* quando donans perterritus periculô imminentis mortis, vel gravis ægritudinis, aut periculosæ navigationis rem donat, *cit.* L. 2. Quo casu si rem ità donet, ut statim fiat donatarii, sed tamen morte non secutâ velit rem donatam sibi restitui; tunc morte non secutâ eandem sibi potest vendicare, repetere, & revocare *L. si mortis*

29. ff

29. ff. de mort. cauſ. don. Si verò rem ità donet, ut non ſtatim fiat donatarii; ſed demum ſecutâ morte; tunc morte non ſecutâ Donatio expirat ipſo Jure, & ſinè ulla revocatione; ut habet Gloſſa, Pirh. &c.

CAP. II.

De perſonis potentibus donare.

1. DIco primò: Omnes, & ſoli illi poſſunt facere Donationes inter vivos, qui habent dominium formale, & liberam adminiſtrationem ſuorum bonorum, cum poteſtate alienandi. Ità Vallenſ. Herincx. Leſſ. &c. Et conſtat ex variis Legibus, poſtulantibus ad Donationem dominium formale, adminiſtrationem liberam bonorum cum poteſtate alienandi, & non ſit inhabilitas in perſona donante; & defectu horum inhabilitantur complures perſonæ ad poſſe donare; uti patebit ex mox dicendis. Unde

2. Dico ſecundò; nequeunt donare validè impuberes, minores 25. annis, prodigi, quibus bonis interdictum eſt; furioſi, & filiifamilias. Ita communis Canoniſt. & Juriſt. Primum de *impuberibus* ſtatuitur in *L. fin. C. de teſtam. milit.* De *minoribus* patet; quia hi necdum habent expeditum dominium requiſitum ad validam Donationem. De *Prodigis* pariter patet; quia hujuſmodi perſonæ, quibus bonis interdictum eſt, ſunt ſub Curatore cum ſuſpenſione omnis diſpoſitionis in eiſdem; adeóque nec donare poſſunt. De *furioſis* inde conſtat, quòd & his bonorum diſpoſitio vetita ſit propter furioſum exitum. De *Filiisfamilias* Ratio eſt; quia tametſi hi de caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi peculio donare poſſint; de aliis tamen bonis adventitiis, & profectitiis donare nequeunt abſque conſenſu Patris, cui præjudicatur, L. 7. *ff. hoc tit.* De ejus tamen conſenſu hi non tantùm inter vivos; ſed & mortis causâ donare valent, *cap. pen. verb. quamvis, de ſepultur. in 6.*

3. Dico tertiò: neque conjuges ſibi invicem facere poſſunt Donationes; nec parentes filiis nondum emancipatis, nec uxor de bonis mariti, & dotis. Ita communis DD. Primum habetur L. 3. *ff. de donat. inter vir. & uxor.* Et *L. ſed interim ff. eod.* Et *cap. ult. extra, tit. eod.* Secundum conſtat ex *L. cum de bonis 11.* & L. *ſinè emancipatis 17. C. hoc tit.* Tertium inde patet; quòd uxor non ſit domina formalis cum adminiſtratione bonorum mariti, & dotis; Poteſt tamen hæc facere aliquas eleemoſynas moderatas ſecundùm ſuum ſtatum; imò & donationes aliquas remuneratorias, neceſſarias ſplendori, atque æſtimationi ſui ſtatûs.

4. Nota primò: Donationes tamen liberales inter Conjuges factas convalidari morte donantis, ſi priùs revocatæ non fuerint; & donatarius adhuc ſupervivat; uti habet L. *cùm hic ſtatus ff. de donat. inter virum, & uxorem.* Similiter juramentô donantis, de non repetendo donato; ùt habet Covarr. Gom. Sanch. &c. Præterea ſequentibus caſibus ſtatim ſunt validæ tales Donationes. Primò, quando Conjuges ſibi invicem donantes, ſunt Perſonæ Auguſtæ *L. 26. C. de donat. inter Virum, & Uxorem.* Secundò, quando Conjunx in domo Conjugis gratis habitare permittitur, vel ejus ſervis, aut veſtibus uſus fuerit L. *ſi Vir Uxoris ff. de donat. inter Virum, & Uxorem.* Tertiò, quando Vir promiſſam dotem remittit Uxori *L. ſi conſtante C. de donat. ante nuptias.* Quartò, quando Uxor ideò donat Marito, ut is altiores dignitates, vel honores ſibi procurare valeat, *L. 40. ff. eodem.* Quintò, quando ex Donatione Conjunx donans non ſit pauperior, *L. ſi ſponſus ff. eodem.* Sextò, quando donatarius non ſit ditior, etſi donans ſit pauperior, v. g. ſi Vir Uxori locum ſepulturæ donet; tali enim ſepulturâ Uxor non ſit ditior; cùm ſepultura ſit Religioni dicata, *L. cit. ſ. conceſſa.* Septimò, quando Donatio exercetur inſtar remunerationis; v. g. ſi Vir annoſus, vel civilis, juvenculæ, vel nobili uxori aliquid donet; utì colligitur ex *L. 7. ff. de donat.*

5. Nota ſecundò: ſimiliter tenent Donationes liberales Patris factæ Filio, ſi mors vel juramentum Patris ante revocationem ſuperveniat; nam tunc convalidantur ejuſmodi Donationes: quemadmodum etiam ſi Pater Filio non emancipato donet aliquid, pro dote matrimoniali poſtea applicandum; vel diſcedenti ad bellum det arma, equos, &c. Vel lecturo aliquam Facultatem tradat libros; vel uſumfructum bonorum adventitiorum eidem concedat; vel titulô remunerationis, pro impenſis particularibus obſequiis, aliquod peculium tradat; & tandem in omnibus fermè caſibus, quibus Conjuges validè ſibi donant; quos paulò antè adduxi; utì cenſet Navarr. Leſſ. Herincx, & Laym. Et deducitur ex diverſis Legibus.

6. Dico quartò: etiam Tutores, Curatores, Procuratores, & ſimiles habentes tantùm adminiſtrationem rerum ſinè dominio, nequeunt donationes facere, abſque ſpeciali mandato. Ita communis DD. Et eſt Ratio; quia

quia donare est quasi perdere *L. Filius familias 7. ff. de donat.* memoratæ autem personæ nequeunt perdere; sed potiùs debent res suorum Principalium facere meliores, *cap. 3. de offic. Vicarii in 6.* Et L. *tutor. 22. de administratione Tutorum*; Ergo pariter nequeunt donare. Præfatæ personæ tamen possunt facere donationes remuneratorias, correspondentes meritis, & servitiis in principales collatis, *arg. L. cùm plures 2. §. 3.* & habet Glossa, Barbos, &c.

7. Dico quintò: Superiores Regulares pariter non possunt facere donationes de rebus Monasterii sui. Ita communis DD. Estq; Ratio; quia hi habent solam administrationem rerum sui Monasterii. Possunt tamen tales dare eleemosynas, & facere Donationes remuneratorias moderatas, *arg. can. si quis, 12. q. 2.* Et maximè ubi consuetudo loci id permittit, *cap. 3. hoc tit.*

8. Dico sextò: similiter Prælati Ecclesiastici, & Ecclesiarum Rectores nequeunt facere immoderatas donationes de rebus ad suas Ecclesias pertinentibus. Ita communis DD. Et constat ex *cap. 2. hoc tit.* Estq; Ratio, quia & hi non sunt Domini suarum Ecclesiarum; sed potiùs Procuratores. Hi verò possunt facere donationes moderatas in pauperes de redditibus Ecclesiasticis, in sustentationem Clericorum ordinatis; & hoc juxta proportionem reddituum Ecclesiasticorum, ac consuetudinem loci; ùt notat Engel; & constat *arg. cap. 1. hoc tit.* Similiter facere possunt Donationes remuneratorias, ac ad pias causas, *arg. cap. 3. hoc tit.* Et *can. aurum 12. q. 2.* Possunt pariter similes Donationes facere de rebus Ecclesiæ suæ, *arg. ejusdem cap. 3.*

9. Dico septimò: Regulares degentes extra claustra in beneficiis possunt de redditibus Ecclesiasticis, quorum liberam habent administrationem, aliquas moderatas facere Donationes, & dare eleemosynas, sinè consensu Prælatorum suorum; non verò illi Religiosi, qui in Monasterio sub obedientia Prælatorum degunt, nullam habentes administrationem bonorum. Ita Molina, Laym. &c. Ratio primi est; quia hujusmodi Regulares æquiparantur Ecclesiasticis sæcularibus beneficiatis, qui possunt moderatè donare de redditibus suis Ecclesiasticis. Secundum constat ex *cap. cùm ad Monasterium 6. de statu Monach.* Et *can. non dicatis 11. cau. 12. q. 1.*

10. Dico octavò: Hospitalarii possunt se, & hospitale suum donare, ac subjicere alteri Ecclesiæ, vel loco Religioso. Ita communis DD. Et habetur *cap. inter dilectos 8. hoc tit.*

CAP. III.

De Quantitate, & Revocatione Donationis; deq; modo perficiendi, & interpretandi Donationes.

1. Dico primò: Donatio liberalis in quantitate excedens 500. solidos, id est aureos, Jure Cæsareo est invalida; si fiat absque insinuatione apud Magistratum. Ita Clarus, Vallens. & communis DD. Et habetur *L. pen. C. de donat.* Et *Instit. eod.* Motivum harum Legum fuit, ne homines excessivis Donationibus in egestatem dejiciantur, cum præjudicio Reipublicæ. Excipiunt tamen Leges quosdam casus, in quibus subsistit Donatio excedens 500. aureos. Primò, si Donatio fiat Ecclesiæ, vel ad causam piam; ùt deducitur ex *L. illud. C. de Sacrosanctis Ecclesiis.* Et *L. Sancimus C. de donat.* eò quòd Leges Civiles Ecclesiasticis causis nullum præjudicium afferre possint. Secundò, si à privato fiat Principi, *L. sancimus C. de donat.* Tertiò, si à Duce Exercitûs de proprio peculio, vel prædis, fiat militibus, *L. pen. C. eodem.* Quartò, si fiat ob considerabile motivum, v. g. belli, nuptiarum faciendarum, redemptionis captivorum, reparationis fabricarum flammis absumptarum, *L. cit.* Quintò, si fiat locô remunerationis, ob præstita singularia obsequia, *L. si Pater ff. de donat.* Sextò, si fiant duæ reciprocæ Donationes, in quantitate grandi; ùti habet Baldus in *L. sancimus C. de donat.*

2. Dico secundò: Donatio universalis inter vivos, quâ omnes facultates præsentes, & futuræ liberaliter donantur, à fortiori invalida est. Ita Covarr. Clarus, Less. Mol. Laym. Herincx, Abbas, & communis Juristarum. Et constat ex decisione *L. stipulatio hoc modô concepta; ff. de verb. obligat.* Motivum hujus Legis est; quia ejusmodi universalis Donatio privat hominem liberâ testandi facultate, quod Jure communi censetur esse indecorum, & Reipublicæ præjudiciosum.

3. Ex his infert Covarr. Clarus, & Less. si fiat Donatio tantùm præsentium facultatum, non futurarum, subsistere Donationem; quia remanet potestas testandi de futuris. Item si donans sibi reservet usumfructum rerum omnium donatarum; vel si donet causâ mortis; quia adhuc poterit instituere hæredem, qui possit ex re donata Falcidiam, id est quartam detrahere.

4. Dico

4. Dico tertiò: Non poteſt revocari Donatio liberalis, niſi vel ob ſupervenientem inſignem ingratitudinem Donatarii, vel ob natam novam prolem; vel ſi ſit inofficioſa liberis. Ita Gomez, Clarus, Leſſ. Sylv. Covarr. Tiraq. &c. Primum patet ex *L. ult. C. de revocand. donat.* ubi dicitur, *Generaliter ſancimus, omnes donationes, lege confectas, firmas, illibatásque manere.* Secundum habetur *eádem L.* ubi recenſentur quinque ſpecies inſignis ingratitudinis, tanquam cauſæ ſufficientes revocandi Donationem: ſcilicet injectio violenta manuum Donatarii in Donantem; Effuſio atrocis contumeliæ ejusdem Donatarii in Donantem; Damnificatio gravis ejuſdē in bonis Donantis; Inſidiarum vitæ Donantis molitio; Negatio Donatarii adimplendi appoſitas conditiones Donationi. Tertium conſtat ex *L. ſi unquam. C. de revocand. donat.* Et quia nemo cenſetur, alienos poſteritati ſuæ præferre velle. Quartum habetur *L. 1. & ſequent. C. de inofficioſis donat.* Cenſetur autem eſſe inofficioſa Donatio liberis, ſi Pater donando, liberis paternorum bonorum legitimam, id eſt debitam portionem adimat, vel minuat, contra officium pietatis paternæ.

5. Nota autem primò: ſecundùm Laym. Clarum, &c. inſignem ingratitudinem Prælati, vel Capituli, non ſufficere ad revocandam Donationem Eccleſiæ factam. Ratio eſt; quia ejusmodi Donatio non proceſſit ex affectu erga Prælatum, vel Capitulum, ſed ex pietate erga DEUM. Neque ſufficit ad eandem Donationem elidendam prolis nova inſperata ſuſceptio; ſed tunc ſola legitima liberorum ab ea ſuccidi poteſt; nam Eccleſiæ cauſa non minùs favorabilis eſt, quàm filiorum; ſicuti deducitur ex *Auth. Si qua mulier. C. de Sacroſanctis Eccleſiis*: Sed ſi Filio priùs genito Donatio facta ſit, quæ inofficioſa poſteriùs natis appareat, ſola legitima eorum ab ea reſcindi poteſt, per *L. ſi totas.* Et *L. ſi Mater C. de inofficioſis Donat.* Ergo idem dicendum hìc. Circa tertium punctum hujus Capituli

6. Nota ſecundò: Jure veteri Donationes inter vivos factæ non perficiebantur nudô pactô, ſeu conſenſu; ſed traditione rei donatæ. At verò Jure novo Juſtinianæo hoc correctum eſt, ità ut ſolo conſenſu, ſeu voluntate quôvis modô manifeſtatâ perficiantur, & habeant in ſe neceſſitatem traditionis; etiamſi fortaſſis donatarius non fuiſſet ſtipulatus rem ſibi tradi, L. *ſi quis argentum C. eod.* Circa quartum punctum

7. Dico quartò: circa Donationes latiſſima facienda eſt interpretatio in favorem donatarii. Ita communis DD. Et conſtat ex *cap. cùm dilecti 6. hoc tit.* Et quia mens donantis non debet excludi, nec impediri liberalitas. Niſi tamen Jus commune obſtet; aut jus tertii lædatur.

CAP. IV.

Quid de Donationibus Franciſcanorum.

1. Dico primò: FF. Franciſcani de Obſerv: & Reform. nequeunt facere formales Donationes de rebus ſuæ Religionis. Ita Sorbus, Sanctor. & alii DD. Ord. Seraphici. Et conſtat primò ex Conſtit. general: modernis *cap. 7. §. 2.* ubi in tabella caſuum Reſervatorum Generali, & Provinciali etiam refertur iſte 13. *Religionis dona extra Ordinem dono dantes*; quod de Donatione formali prohibita, & reſervata intelligendum eſt. Et ex Conſtit. Papalibus Julii II. *cap. 4. part. 11.* ubi redditur ratio Concluſionis, & dicitur; *quia Fratres Ordinis* (ſcilicet Minorum) *nullius rei dominium, vel proprietatem habent; ideò nihil intra vel extra Ordinem dare poſſunt, ſine licentia eorum, quibus authoritate Apoſtolica committitur.*

2. Dico ſecundò: Poſſunt tamen Prælati, & maximè Miniſtri dictorum FF. non quidem authoritate ſuâ, ſed veluti Eleemoſynarii, vel Commiſſarii Summi Pontificis ſubditos ſuos Minoritas ad aliquid largiendum, vel dandum intra, & extra Ordinem pietatis, aut devotionis intuitu, cum multa tamen diſcretione, licentiare. Ita Ximenes, Sanctor. Sorb. &c. DD. Et conceditur tùm in citatis ſtatutis Papalibus Julii II. Tùm in Decretali Nicolai III. *§. quia verò*, ubi habentur ſequentia verba; *de rebus mobilibus, & parum valentibus liceat ex noſtra præſenti conſtitutione Fratribus pietatis, ſeu devotionis intuitu; vel pro alia honeſta, & rationabili cauſa, obtentâ priùs ſuper hoc ſuorum Superiorum licentiâ, juxta quod Fratres in Generali, & Provincialibus Capitulis tam de rebus ipſis vilibus, ſeu parum valentibus, & earum valore, quàm præfata licentia, &c. elargiri.* Et Ratio eſt; quia præfatæ largitiones Minoriticæ non habent rationem Doni, vel Donationis formalis; cùm deſit Dominium; ſed fundatur in commiſſione duntaxat Papæ, qui eſt Dominus; & Fratres Minores ſunt ejus Eleemoſynarii, ſeu dantium diſpenſatores. Ex his

3. Infertur *primò*: Franciſcanos de Obſerv. & Reform. non poſſe facere dona ampla, ſeu amplas largitiones, ſinè grandi cauſa; uti dicitur in *cit. Statutis Papalibus.* *Secundò* eosdem tamen poſſe de licentia ſuorum Superiorum facere tales largitiones amplas de oblatis Religioni, ex cauſa v. g. pro conſervatione Sacrorum locorum Terræ S. *Tertiò* eosdem poſſe ſuos Prælatos majores, vel alios inſignes Patres

Patres, vel Principes aliquando lautiùs excipere cibis, maximè in solemnitatibus, utì advertit Sanctor. scribens in *cap. 7.* statut. General. *Statuto 5.* quæ exceptio honorifica habet rationem cujusdam largitionis; & quasi donationis de rebus Religioni oblatis. *Quartò* eosdem posse distribuere leviora esculenta, & poculenta; & ad devotionem pertinentia munuscula; utì observat Politius, Ximenes, &c. *Quintò*, possunt quoque Superiores succurrere pauperibus Parentibus Fratrum; his enim de Jure naturæ tenentur opitulari ipsi filii Fratres: utì & infirmos in Conventu curandos adducere, ac medicamenta pro ipsis dare, quando alibi curari nequeunt. Item incidentem in manus latronum, vel aliud mortis periculum adjuvare rebus Conventûs; si aliter juvari non possit. Item redimere Christianum reductum in potestatem infidelium. Item Virgini castitatis jacturam subituræ, ob necessitatem cibi, vel vestis, quando aliunde ei provideri nequit, providere; in his enim, & similibus actibus virtus, ac causa honesta concedunt Minoritam facere moderatas largitiones; utì habet Sanctorus.

TITULUS XXV.

DE PECULIO CLERICORUM.

CAP. UNICUM.

De Varietate Peculii Clericorum; & ejus dominio.

1. Nota primò: Hunc titulum *de Peculio* rectè hic proponit S. Pontifex, ut ostendat qualitatem, seu conditionem illorum bonorum, de quibus Clericus possit donationes & testamentorum dispositiones facere; cum Peculium Clericum coalescat ex multiplici specie bonorum. Dicitur autem *Peculium*, quasi *pusilla pecunia L. deposui 5. ff. de pecul.* quam servus, vel filiusfamilias à rationibus domini, vel patris ejus permissu separatam habet; cum qua similitudinem habent bona Clericorum, quæ separatim à bonis immediatè ad Ecclesiam pertinentibus possident: & propterea etiam rectè à Papa *Peculium Clericale* appellantur.

2. Nota secundò: triplicis differentiæ Peculium reperitur apud Clericos beneficiatos, utì habet communis DD. nempe Peculium bonorum patrimonialium; Peculium quasi patrimonialium, seu quasi castrensium; & peculium purè Ecclesiasticorum. *Patrimonialia bona* sunt, quæ ad Clericos Beneficiatos devolvuntur vel Jure testamentario, vigore cujus succedunt in aliquam hæreditatem; vel titulo donationis; vel ex personali industria; aut quæ alio modo à Jure permisso ipsis adveniunt. *Quasi Patrimonialia* sunt, quæ Peculio Clericorum accrescunt, ex ministeriis Clericalibus absque beneficio: hujusmodi sunt pensiones præstitæ propter Conciones, Missarum celebrationes, Vicariatus, Psalmodias Chorales, Sacramenti Pœnitentiæ administrationem, & similia, quæ immediatè ex beneficio Ecclesiastico non nascuntur. *Purè Ecclesiastica* sunt, Fructus omnes, qui proficiscuntur immediatè ex beneficio Ecclesiastico; puta ex Canonicatu, Decanatu, & similibus Præbendis beneficialibus.

3. Dico primò: In sæcularibus Clericis residet verum Dominium omnium bonorum Patrimonialium, & quasi Patrimonialium. Ita Navarr. Less. Herincx, Covarr. & communis DD. Primum colligitur ex *cap. Quia nos, 9. de Testam.* Estque Ratio; quia nullo Jure apertò spoliantur Clerici sæculares Dominiô bonorum Patrimonialium; adeóque in Clericis talibus non minùs, quàm in aliis Laicis residet verum Dominium bonorum Patrimonialium. Secundum patet; quia operarius omni Jure fit Dominus verus stipendii sibi dati pro justo labore: Ergo pariter Clericus sæcularis fiet Dominus bonorum quasi Patrimonialium, quæ instar stipendii, pro impenso labore Clericali, v. g. Missa celebrata, Concione declamata, Cantu Chorali persoluto, & Vicariatu præstito, ei dantur.

4. Nota tertiò: circa bona Clericorum purè Ecclesiastica: quædam ex eis esse necessaria, utpotè spectantia ad congruam, & Beneficiario decentem sustentationem; cujusmodi essent v. g. ex 400. aureis, annuè obvenientibus alicui Canonico aurei 200. in annuam alimentationem, & alias necessarias expensas expendendi; quædam verò esse superflua; qualia essent reliqui 200. aurei, ultra debitam alimentationem, & alias necessarias expensas, remanentes.

5. Dico secundò: in Beneficiatis pariter residet verum Dominium bonorum purè Ecclesiasticorum, quoad eam partem, quæ congruæ, & decenti eorum sustentationi necessaria est

ria est (quæ in indivisibili non cõsistit, sed prudentis arbitrio relinquitur) vi cujus pro arbitrio suo liberè de eis disponere possunt, & applicare ad quoscunque honestos usus, quidquid ex eis moderatè vivendo sibi subtraxerint. Ita Covarr. Abulensis, Less. Gerson, Sotus, & communiter Canonistæ. Ratio est, primò: quia in Trid. *sess. 24. c. 12. de Ref.* ordinatur, ne Beneficiarius curam animarũ suscipiens, & non emittens Professionem Fidei intra duos menses, faciat fructus suos. Et in Bulla 138. Pii V. quæ incipit, *ex primo*, declaratur, quòd non recitans Divinum Officium, pariter non faciat fructus suos: Ergo supponit Concilium, & Papa, quòd Beneficiarii aliàs faciant fructus suos, & eorum efficiantur veri Domini; saltèm quoad eam partẽ, quæ congruæ sustentationi necessaria est. Ratio est secundò, quia Bona purè Ecclesiastica quoad partem fructuum spectantium ad sustentationem obveniunt Beneficiatis tanquam stipendium debitum Ministro Ecclesiæ; neque apparet ex quo capite oriatur obligatio particularis in ipsis, tales facultates potiùs, quàm Patrimoniales, vel quasi Patrimoniales in pauperes erogandi; ùt benè observat hic Covarr. ergo hujusmodi bonorum verum habent Dominium.

6. Dico tertiò: Probabilior tamen est sententia asserens, Beneficiatos regulariter non habere absolutum Dominium bonorum purè Ecclesiasticorum, quantùm ad alteram partem fructuum superfluorum congruæ, ac debitæ sustentationi; sed quòd teneantur ex Justitia eos in pauperes erogare. Ita Anton. Richar. Dionys. Carthus. Sylv. Armilla, Navar. Hostien. Rosella, & communior Theologorũ Moralist: & Canonist: contra Sotum, Lorcam, Covarr. Less: Herincx, &c. Et constat *primò* ex ordinatione S. Trident, Synodi *sess. 25. c. 2. de Refor.* hujus tenoris; *Sancta Synodus omninò interdicit Episcopis, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiarésque augere studeant* (quod utique possent, si eorum absolutum haberent Dominium) *cùm & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ DEI sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, eis ut pauperibus distribuant*: & paucis interpositis prosequitur; *quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solùm in quibuscunque beneficia Ecclesiastica, tam sæcularia quàm Regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione observari; sed & ad S.R.E. Cardinales pertinere decernit*. Canon verò Apostolicus ad quem se revocat *Trid. cit.* est 39. in ordine, hujus tenoris; *Omnium rerum Ecclesiasticarum curam Episcopus gerito; & non liceat ei ex iis aliquid omninò contingere, aut cognatis suis elargiri, quæ DEO sunt dicata; quòd si pauperes sint, tanquam pauperibus subministrato*, ergo &c.

7. Dices: Hæc solùm intelligi de redditibus ipsius Ecclesiæ, quorum Episcopus est merus administrator; non verò de iis, qui ipsi Episcopo applicati sunt; cujusmodi sunt fructus superflui beneficii Ecclesiastici. Respondeo Neg. Ant. nam communis sensus DD. habet, citatam Constitutionem intelligi etiam de fructibus merè superfluis ipsorum Episcoporum, resultantibus ex beneficio Ecclesiastico: & hunc intellectum etiam intendisse Concil. Trident. testati sunt plures DD. qui eidem Concilio interfuêre, dum punctum hoc discuteretur; quare hi etiam postea in editionibus suis sententiam istam ùt communem tradidêre; utì observat Card. Lugo hìc, *disp. 4. sect. 2.*

8. Constat *secundò* eadem conclusio tertia ex SS. PP. & Summis Pontificibus, qui in suis Canonibus appellant bona, redditus, & fructus Ecclesiæ, *Patrimonium Christi*; *Res DEI*; *Bona pauperum*; *& Clericos tantùm esse dispensatores, & procuratores bonorum Ecclesiæ*; uti habetur *caus. 12. q. 1. & 2.* Similiter multi Canones mandant, ut fructus resultantes ex redditibus Ecclesiæ, & obligationibus Fidelium, in quatuor partes dividantur; quarum prima tribuatur Episcopo, utique tantùm pro ejus sustentatione; altera Clericis; tertia fabricæ; quarta pauperibus: ita disponitur *Can. de redditibus* Et *Can. vobis.* Et *Can. Concessio.* Et *Can. Quatuor, caus. 12.* & alibi, quæ omnia indigitant, non omnes fructus transire sub Dominium Beneficiatorum: maximè modernis temporibus, cùm quarta pars pauperum, post divisionem bonorum Ecclesiasticorum inter Episcopum, & Clerum, tempore Simplicii Papæ circa an. 470. facta, commixta manserit cum fructibus Beneficiati; quæ proinde ex superfluis refundi debet ex Justitia: divisis enim bonis inter Episcopum, & Clerum, divisa quoque est obligatio pauperibus portionem erogandi; quam obligationem Ecclesia nunquam voluit extinguere, per erectionem Beneficiorum Ecclesiasticorum, & bonorum divisionem; utì patet ex Trident. *sess. 25. c. 1. de Reformat.* Constat etiam *tertiò* per plura Juris Canonici capitula, quibus interdicitur Clericis testari de bonis Ecclesiasticis; etsi in quibusdam Provinciis contrarium invaluerit consuetudine, vel lege diœcesanâ: ergo signum est eos non habere Dominium, saltèm in superflua: alioquin de eis possent testari. Ant. patet ex *cap. Relatum 12.* Et *cap. ad hæc 8. de Testam.* & alibi.

9. Ratio etiam est pro eadem conclus. quia Ecclesia erigendo beneficia Ecclesiæ, & assignando Canonicis, ac aliis Beneficiis redditus, eâ intentione illos assignavit, ut superflua in usus pios erogarent: ergo horum non efficiuntur Domini; sed tenentur ex Justitia

ſtitia illos applicare uſibus piis. Probatur Antecedens: niſi Eccleſia habuiſſet talem intentionem, profectò contra debitum Chriſti bona diſtribuiſſet; imò diſſipâſſet; nam non video quô motivô ſe excuſare poſſet Eccleſia à diſſipatione, & profanatione, dum ex Patrimonio Chriſti, & redditibus DEO conſecratis (inquit Lugo cit.) deputantur v. g. Archidiacono Toletano triginta millia aureorum in annos ſingulos, de quibus ad libitum poteſt diſponere, in omnes uſus, etiam profanos, ſicut de proprio Patrimonio, & hæreditate paterna: ergo cùm præſumendum ſit, Eccleſiam bona Chriſti, & Eccleſiarum non diſſipare, ſed ſanctè diſtribuere Patrimonium Chriſti, & res ſacras, in erectione Beneficiorum, & aſſignatione redditúum, intentionem habuit, ut Beneficiatus ſuperflua teneatur ex Juſtitia, in pios uſus erogare.

10. Nota quartò ex his Corollaria ſequentia: *Primò*; Beneficiatum mortaliter peccare, ſi expendat illam portionem redundantem fructuum in uſus profanos; v. g. in recreationes, curioſa veſtimenta, & ſimilia procuranda; item in convivia, fabricas ſuperbas faciendo, &c. item pro ditandis amicis, vel familiaribus ſuis domeſticis, aut aliis: uti habet Sarmiento, Leſſ. & communis DD. Secundò eosdem Beneficiatos, in profanos uſus expendentes ſuperfluos beneficii fructus, obligari ad reſtitutionem; uti habet Major, Roſella, Palud. Sylv. & communior DD. cùm enim horum tantùm ſint adminiſtratores; adminiſtrator autem bona ſibi commiſſa diſſipans, vel aliter contra Juſtitiam expendens, ad reſtitutionem obligatur: ſequitur etiam Beneficiatos in profanos uſus expendentes ſuperfluos beneficii fructus, obligari ad reſtitutionem Eccleſiæ, vel pauperibus, vel piis locis faciendam.

11. Dico quartò: Clerici ſæculares Beneficiati, non habent Dominium bonorum immobilium Eccleſiarum; neque Supellectilis Eccleſiaſticæ; ſed ſolam adminiſtrationem. Ita Leſſ. Herincx, Adrian. Navarr. & communis DD. Et conſtat ex Juribus Canonicis docentibus hujusmodi bona, vel fundos, villas, Jus decimarum, & ſimilia immobilia, quæ ſunt purè Eccleſiaſtica; item Calices, Apparamenta, &c. non poſſe alienari ab ullo; uti habetur in tit. *De rebus Eccleſiæ alienandis, vel non alienandis.* Et in *6. Decret. tit. eod.* poſſent autem alienari à Clericis ſæcularibus, ſi eorum Dominium haberent. Itaque ſimilium bonorũ Dominium, reſidet penes ipſam Eccleſiam; ſeu cœtum Eccleſiaſticorum cujúsque Eccleſiæ, quemadmodum bona alicujus Conventûs, vel Monaſterii, penes cœtum Regularium, vel Monachorum; uti habet Herincx, Leſſ. cum aliis AA.

12. Dico quintò: ſi contingat Beneficiatum augere bona ſui beneficii emendo v. g. villas novas, ſi is à tempore promotionis fuiſſet pauper; tunc præſumendum eſt, eas pertinere ad peculium purè Eccleſiaſticum talis Clerici Beneficiati, & emptas ex ipſis redditibus Eccleſiaſticis. Ita Gloſſa, Abbas, &c. Et conſtat ex *cap. inveſtigandum. 1. hoc tit.* Et *can. 1. cauſ. 12. q. 3.* Ex his ulteriùs

13. Dico ſextò: ſingula bona, quæ à Prælatis Eccleſiaſticis, & Rectoribus Eccleſiarum, vel aliis Beneficiatis emuntur ex meris redditibus Eccleſiaſticis, vel intuitu Eccleſiæ acquiſitis, cenſentur Pertinere ad Peculium purè Eccleſiaſticum, & Eccleſiæ eſſe relinquenda. Ita Gloſſa, Pirh. & communis DD. Et habetur *cap. unusquisque 3. hoc tit.* Et *can. fixum cauſ. 12. q. 5.*

TITULUS XXVI.

DE TESTAMENTIS, ET ULTIMIS VOLUNTATIBUS.

CAP. I.

De Quidditate, Solemnitatibus Teſtamentorum; & perſonis potentibus teſtari, ac inſtitui hæredes.

1. NOta primò: in *prioribus tit.* actum eſt de diſpoſitionibus Peculii Clericorum inter vivos: in *hoc tit.* verò agit Papa de diſpoſitione ejusdem Peculii ſolita fieri per ultimam Voluntatem. Ultimæ porrò Voluntates ſunt illæ diſpoſitiones, quas homines faciunt circa fienda poſt ſuam mortem; cujusmodi ſunt Teſtamentum, Codicillus, Legata, Fideicommiſſum, & Donatio causâ mortis *Teſtamentum* ſecundùm Juſtinianum *Inſtit. de Teſtam. Ordin.* eſt quædam *teſtatio mentis*; & differt à Codicillo (ſic dicto quaſi *parvus codex*, ſeu ſcriptura.) quòd Teſtamentum neceſſariò

cessariò postulet ad sui valorem institutionem hæredis; non verò Codicillus; qui est tantùm quædam vel expositio, vel explicatio, vel mutatio, vel additio, vel subtractio dispositionum factarum in Testamento; nec requirit ad sui subsistentiam tot solemnitates, quot Testamentum. *Legatum* est delibatio quædam hæreditatis, seu detractio alicujus portionis ex massa hæreditatis particulari personæ relictæ, ab hærede extradendæ. *Fideicommissum* fermè coincidit cum Legato; & in hoc solo differt, quòd non directè detur Fideicommissario, sicut datur Legatum Legatario, sed indirectè, & mediante hærede, vel quandoque mediante Legatariô. De Donatione causâ mortis jam dixi suprà *Tit. 24. c. 1. Notabili 2.*

2. Dico primò: Bene definitur Testamentum, quòd *sit voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod post mortem suam fieri velit, cum hæredis institutione.* Ità Ulpianus in L. *1. ff. de Testam.* & Juristæ omnes. Ly *justa sententia voluntatis* est genus; & importat idem, quod dispositio legitima voluntatis in terminis, exceptis ultimis illis particulis: *cum hæredis institutione*: Ly *de eo, quod quis post mortem suam fieri velit*, ponitur pro differentia Testamenti ab aliis pactis inter vivos. Additur tandem ly *cum hæredis institutione*; & distinguit Testamentum à Codicillo, & aliis piis voluntatibus.

3. Nota secundò: Testamentum aliud esse scriptum, seu clausum; aliud nuncupativum. *Primum* est, quod perficitur scripturâ, & certis solemnitatibus à Jure communi, vel particulari Provinciali, necessariò adhibendis. *Nuncupativum*, quod caret scripturâ Testatoris; sed solâ voce coram testibus hæres ejus instituitur, & nuncupatur à Testatore.

4. Dico secundò: Ut validum sit Testamentum scriptum personæ sæcularis ad causam profanam de Jure communi; debet continere Institutionem hæredis scriptam; item manu propriâ Testatoris, vel alienâ esse conscriptum, à septem Testibus masculis, puberibus, liberis, ad id rogatis seu vocatis, unô eodémque tempore, simul subscribentibus, & sigillantibus, ipsóque Testatore si sciat scribere, aliàs ab alio octavo subscriptum, & nullius prolis exclusionem, nisì justè exhæreditatæ, continere. Ità DD. comuniter. Et constat ex L. *Hac consultissimâ C. de Testam.* juncto *§. sed cùm paulatim*; & sequent. *Instit. eadem.*

5. Nota tamen tertiò: Quòd præfatas solemnitates omnes non necessariò petat Testamentum à Patre, Matre, vel alio ascendente conditum inter liberos; ùt dicitur *L. ult. C. Famil. Herciscundæ.* Similiter Testamentum Militis actualis, & positi in expeditione; ùt habet *L. 1. ff. de Testam. milit.* Præterea Testamentum confectum in præsentia Principis, vel apud Acta; ùt dicitur *L. 19. C. cit.* Et Rusticorum Testamentum, ad quod sufficiunt quinque testes: L. *fin. C. de Testament. & quemadmodum ordinatur.* Imò in plerisque jam Provinciis Imperialibus, numerus Testium est moderatus, & ad ternarium reductus.

6. Dico tertiò: Ut subsistat Nuncupativum Testamentum personæ sæcularis, & ad profana legata, Jure civili debent septem testes, vel pauciores, juxta particulares Provinciarum Constitutiones, vocari à testatore, qui simul audiant, & intelligant Testatoris voluntatem scriptô, vel voce prolatam. Ita communis DD. Et ordinatur in L. *hac consultissima.* Et *L. Jubemus.* juncta L. *Quoniam indignum. C. de Testam.*

7. Dico quartò: Quando Testamentum conditur ad causam piam, ad ejus valorem necessariò non requiruntur prædictæ solemnitates Juris. Ita Abb. Bart. Navarr. Herincx, Sylv. & Canonistæ communiter. Ratio est, quia Jus Canonicum in favorem causarum piarum, derogavit Juri Cæsareo communi, quoad dictas solemnitates: eò quòd Jura sæcularia causis Ecclesiasticis, ad spiritualem finem collimantibus, scilicet salutem, non possint præjudicare nisi approbante Papa; ùt habetur *cap. Ecclesia, de Constit.* solemnitates autem prædictæ à Jure Civili invectæ non sunt approbatæ à Papa, uti patet ex *cap. Relatum 1. de Testam.* adeóque ad valorem Testamenti conditi ad causam piam, necessariò non requiruntur præfatæ solemnitates.

8. Nota quartò ex his sequentia Corollaria. *Primò*; licèt ex dispositione *L. Jubemus C. de Testam.* declaratio hæredis, solis nutibus facta non subsistat; subsistit tamen legatum pium, solô Testantis nutu, vel aliô signô declaratum: ùt habet Clarus, Abb. Gloss. Laym; &c. Ratio est; quia Jure Gentium, ac naturali tale censetur esse validum. *Secundò*; validum etiam est Testamentum ad causas pias principaliter conditum, & in conscientia obligans hæredes, si ab ipsomet Testatore verè conscriptum sit; etsi à nullo teste subscriptum; ùt docet Covarr. Mol. Laym. Tiraq. &c. Neque obstat *cap. Relatum 1. hoc tit.* postulans duos, vel tres testes; quia hi non tam ad authenticandum Testamentum, quàm probandam mentem Testatoris ibidem assignantur; si aliæ probationes desint. Imò etsi principaliter condi-

conditum esset ad causas profanas, continens tamen etiam aliquas causas pias, validum erit quoad causas pias insertas ; licèt quoad alias corruat, defectu testium subscriptorum ; uti patet ex *cit. capite 1.* *Tertiò*; valet Testamentum inceptum, sed non finitum ob mortem supervenientem, quoad causas pias, jam in eo expressas ; uti tenet Bart. Abbas, Covarr. Laym. Tiraqu: Et deducitur ex *cap. 1. & penult. de success. ab intest.* *Quartò*; subsistit pariter Testamentum ad pias causas, quæ ab alio debent primò determinari ; ùt dicit Less: Molin. Laym. Clarus, &c. Et colligitur ex *cap. cùm tibi, de Testament.*

9. Dico quintò : si contingat Testamentum ad causam profanam esse invalidum in foro Civili defectu requisitarum solemnitatum ; in foro tamen conscientiæ probabilius est illud adhuc fortiri valorem, & retineri posse omnes facultates, vi ejusdem acceptas titulô Legati, vel hæreditatis, Ita Clarus, Less. Jason, Tab. Sylv. & plurimi alii utriusque Juris DD. asserentes ex tali Testamento oriri obligationem naturalem ; & consequenter valorem ejus in foro conscientiæ : contra Covarr. Lug. Hetinx, Baldum, &c. Ratio est ; solemnitates Testamenti v. g. numerus testium, &c. à Jure ideò introductæ sunt ad valorem Testamenti, ut præcludatur via fraudibus, deceptionibus, & solitis dolis, qui in condendis Testamentis obrepere possent ; & testantium voluntates evertunt in foro externo ; uti patet ex *L. Quæstionum C. de Fideicommiss.* ergo si in foro conscientiæ certò constet de veritate Testamenti, & carentia omnis doli, fraudis, vel deceptionis ; & quòd reverà sit ibi expressa voluntas Testantis, validum erit in conscientia tale Testamentum carens debitis solemnitatibus. Præterea, valor hujus Testamenti minùs solemnis clarè deducitur ex *L. Etsi inutiliter. C. de Fideicommiss. & Instit. de Fideicommiss.* Imò ex ipsa æquitate naturali, quæ postulat, ut dum justis de causis, deliberatè, & seriò quis facultates suas in alium in Testamento transfert, cum vero dominio ; ob solum defectum solemnitatum Legalium, per ignorantiam, vel impotentiam omissarum, hujusmodi voluntas sua ultima non pereat : unde etiam dixit Imperator *Authent. de Nupt. Coll. 4. c. 46. ubique custodire volumus morientium Voluntates* : Et Ratio dictat, finem non esse evertendum, ut serventur media ; quod sanè contingeret, si ultima Voluntas Testatoris, quæ est finis Testantis, irrita fieret defectu solemnitatum, quæ sunt media ad tuendas Ultimas Voluntates.

10. Dico sextò ; Omnes alii homines testari possunt, præter amentes ; surdos & mutos simul à natura ; Prodigos ; Mancipia ; Usurarios manifestos ante restitutionem, vel cautionem ; Filiosfamilias de aliquibus bonis ; Impuberes ; Captivos ; vel obsides actuales ; Damnatos ad mortem naturalem, vel civilem ; Professos Religiosos ; Criminosos infames ; & Beneficiarios de redditibus purè Ecclesiasticis, sustentationi superfluis. Ita Legistæ, & Theologi communiter. Primum constat ex L. *1. C. de Sacrosanctis Ecclesiis* ; ubi dicitur ; *Nihil est, quod magìs hominibus debeatur, quàm ut supremæ Voluntatis (post quam jam aliud velle non possunt) liber sit stylus : & licitum, quod iterum non redit arbitrium.*

11. Reliqua membra conclusionis etiam probantur : & primò de Amentibus ; quia hi Jure naturæ defectu usûs rationis repelluntur à testando. De simul Surdis & Mutis ; quia his vetitum est Testamentum facere per L. *Discretis C. qui Testamenta facere possunt.* De Prodigis interdictis à bonis, patet ex *Instit. Qui Test. facere possunt. §. item Prodigus.* De Mancipiis habetur L. *Filiusfamil. ff. de Testam.* De Usurariis resolvitur in *cap. Quamquam, de Usuris in 6.* De Filiisfamilias ; quia hi de bonis adventitiis, etsi consensum Patris haberent, prohibentur testari ad causas profanas, L. *Qui in potestate 6. ff. Qui testamenta.* Et L. *Nemo, C. eodem.* non tamen ad causas pias cum consensu Patris ; ùt habetur *cap. Licèt, de sepulturis in 6.* Neque de adventitiis acquisitis post Clericatum ; quia de his eôdem modô, quô de Castrensibus, & quasi Castrensibus, etiam sinè consensu Patris possunt testari ; ùt habetur *Auth. Presbyteros C. de Episcopis & Clericis.* De Impuberibus habetur L. *A qua ætate. ff. Qui Testamenta.* De Obsidibus patet ex L. *Ejus qui.* Et L. *obsess. C. qui testamenta facere possunt.* Horum tamen Testamentum ante captivitatem factum subsistit per L. *Cornelia ff. de Testam. & qui Testam. facere possunt.* De damnatis ad mortem colligitur ex L. *Ejus ff. de Testam.* Et L. *Qui ultimo supplicio ff. de pœnis.* De Professis Religiosis deducitur ex *Can. Non dicatis, caus. 12. qu. 1.* Novitii tamen Testamentum ante Professionem factum validum manet post Professionem ; uti habet Navar. Less: Clarus, & communis. De criminosis ; id est iis, qui patrârunt crimen Jure graviter puniendum, patet ex L. *Is cui 18.* Et L. *Cum Lege 26. ff. qui Testament.* Tales criminosi censentur esse, insectatores, percussores, & captivatores alicujus Cardinalis ; item ad hæc cooperantes ; ùt dicitur *cap. Felicis, de Pœnis in 6.* Item Hæretici L. *Manichæos. C. de Hæreticis.* Item Hæreticorum receptores, defensores, & fautores, *ff. qui Testam.* uti habetur *C. Excommunicamus 1.* De infamibus habetur

betur L. *Is cui §. si quis.* De Beneficiariis deducitur ex *C. Quia nos.* Et *C. Relatum 2.* nisi privilegium, vel consuetudo aliud obtinuisset, uti in Germania.

12. Dico septimò: Omnes alii hæredes in Testamentis possunt institui, præter illos, qui *priori conclusione* à Juribus prohibentur testari; & præterea Collegia sinè auctoritate publica erecta; item spurii; hostium Civitates; Judæorum communitates; hæredes fieri nequeunt. Ita communis Theologorum, & Juristarum. Primum colligitur ex L. C. *de Sacrosanctis Ecclesiis.* Secundum patet; quia ita ordinant diversa Jura, adducta in probatione prioris conclusionis. De hostium Civitatibus habetur L. *Omnium ff. ad S. C. Trebellianum.* De Judæorum Communitatibus L. *1. C. de Judæis. cap. de V. S.* De Collegio habetur *L. Collegia ff. de illicitis Collegiis.* Excipiuntur tamen Collegia, & Confraternitates pietatis causâ erectæ, etiam absque facultate Superioris; uti dicitur L. 1. *ff. eodem.* De spuriis, ex coitu damnato, & punibili genitis, habetur in *Auth. Licèt in fine C. de Natural. lib.* Item *Auth. Quibus modis naturales.* Et *Auth. Ex complexu C. de incest. nupt.*

CAP. II.

Alia circa Testamenta, & alias Ultimas Voluntates resolvuntur.

1. Dico primò: Omne Testamentum potest licitè mutari, imò cassari, ac revocari contrariô factô, vel formatione novi validi, cum alterius hæredis institutione; si Juramento firmatum excipias. Ità Ulpianus, Covar. Molin. & communis Juristarum. De mutatione constat ex illo Ulpiani *L. 4. ff. de adim. Legat. Ambulatoria est Voluntas defuncti, usque ad vitæ supremum exitum.* De cassatione per contrarium factum, puta si cancelletur hæres, vel ex industria rumpatur scriptura, vel sigilla deponantur, vel similis solemnitas auferatur, patet ex L. *Si unus de septem.* Et *L. Nostrum C. de Testam.* De formatione novi Testamenti, habetur *Instit. quibus modis Testamenta infirmentur.* Tandem de confirmat. Juramento Ratio est; quia Juramenta sinè dispendio salutis possibilia servatu adimplenda sunt; ùt dicitur *cap. Quamvis de Pactis in 6.* adeóque & Testamentum juratum: tametsi testamentum posterius factum adhuc teneat, cùm actûs naturam juramentum non mutet.

2. Dico secundò: In Testamentis licitè fieri possunt substitutiones, seu designationes hæredis in locum instituti primô gradu, si is non foret hæres. Ita Laym. Herincx, Gom. Con. Mol. & communis Jurisperitorum. Et constat ex *ff. de vulg. & pupill. substitut.* Et *Instit. de pupill. substit.* Sunt autem variæ species substitutionis; Vulgaris scilicet, Pupillaris, Exemplaris, Fideicommissoria, Reciproca, & Compendiosa. *Vulgaris* est; quam quivis testans applicare potest; fitque sub conditione hac, vel simili forma; *Si Plato recuset, vel nequeat esse hæres, sit Plautus hæres.* *Pupillaris* est, quando filio impuberi alius substituitur hæres, si ante annos pubertatis eum mori contigerit. *Exemplaris* est; in qua, exemplô substitutionis Pupillaris puberi furioso, mente capto, imò etiam declarato prodigo filio alius hæres substituitur. *Fideicommissaria* est, quâ hæres directè institutus est gravatus, ut portionem massæ hæreditariæ alteri det. *Reciproca* est, in qua plures hæredes instituti, sibi invicem substituuntur, hoc tenore; *Instituo hæredes Platonem & Plautum; & alterutri ex his priùs morienti, alterum substituo.* *Compendiosa est*; quæ ratione diversorum temporum pertinet ad diversas institutiones; talis esset ista, *Instituo Platonem Filium meum hæredem, eique quandocunque mortuus fuerit, substituo Plautum.*

3. Dico tertiò: si Filius hæres Fideicommissô, vel Legatis in Testamento factis, sentiat se nimiùm gravatum, potest ex eis detrahere suam legitimam Trebellianicam, & Falcidiam. Ita Clarus, Raynultius, Molin. Sylv. &c. Jurisperiti omnes. Est autem *Legitima* Jure novo Triens, id est tertia pars bonorum; vel si plures liberi sint hæredes, media pars, juxta *Novellam 18. c. 1.* Falcidia à Cajo Falcidio Tribuno plebis tempore Augusti sic dicta, est quarta pars bonorum, quam hæres gravatus à Legatis potest detrahere. *Trebellianica* instar Falcidiæ est introducta per S. C. Trebellianum, & est pariter quarta pars bonorum, quam hæres gravatus potest à Fideicommissis factis detrahere. Primum de Legitima constat *cap. Raynutius.* Et *cap. Raynaldus, de Testam.* Et *ex Novellâ cit.* Secundum patet *ex ff. & C. ad S. C. Trebellian.* Et *Instit. de Fideicomm. hæredit.* Tertium ex *C. ad L. Falcidiam*, & alibi. Sed

4. Nota primò secundùm Covarr. Gomez, Clarum, &c. Testatorem posse prohibere in Testamento detractionem Falcidiæ, & Trebellianicæ; uti patet *Authen. sed cùm Testator C. ad L. Falcidiam.* Similiter nequit subtrahi Falcidia,

cidia, vel Trebellianica à Legatis, & Fideicommissis factis ad pias causas; uti constat ex *Auth. similiter C. ad L. Falcidiam.* Et ex *Auth. de Ecclesiasticis Titulis. §. si hæres.* Potest tamen & in his causis fieri Falcidiæ, & Trebellianicæ subductio, si tam ipsemet hæres institutus, quàm Legatarius, vel Fideicommissarius sit quædam causa pia; uti docet Abbas in *C. In præsentia. de Probat.* Ratio est; quia dum privilegium concurrit cum privilegio, cassatô utrôque servatur Jus commune.

5. Nota secundò circa Codicillos sequentia: *Primò*, ad eorum valorem Jure communi requiri quinque Testes, etsi hi non debeant esse rogati, nec soli Mares. Ita habetur *L. ult. C. de Codicillis.* junctâ Gloss. *Quinque Testes.* Sed juribus particularibus Provinciarum, huic numero passim est derogatum. *Secundò*; formari possunt plures Codicilli, & tunc posterior derogat priori, *L. Divi ff. de Jure Codicilli. Tertiò*; Codicilli fieri possunt tam à decedentibus ab intestato, quàm à Legitimo Testatore; hoc etiam ante factum Testamentum, & cum ipso Testamento, *Instit. de Codicillis.* Et *L. conficiuntur ff. eodem. Quartò*; Codicilli fieri possunt sicut Testamenta, vel in scriptis, vel sinè scriptis per nuncupationem. Vide plura *Instit. de Codicillis.* Et *ff. de Jure Codicilli. Quintò*; Codicillos potest facere solus ille, qui potest testari, L. *Dicti ff. de Jure Codicilli.*

6. Nota tertiò circa Legata, seu Fideicommissa particularia sequentia: *Primò*; quòd Legatum sit donatio quædam à defuncto relicta, & ab hærede præstanda; ùt loquitur *Instit. de Legatis. Secundò*; Legare potest omnis ille, qui potest testari. *Tertiò*; Legata, & Fideicommissa fieri possunt solis illis, qui hæredes institui possunt; uti habetur *Instit. cit. Quartò*; Legari possunt bona propria Testatoris actualia, & potentialia seu in spe; Jura, & actiones. Item res alienæ, ut eas hæres redimat, & præstet; vel si redimere nequeat, æstimationem det; uti habetur *Institut. de Legatis.* Et *C. eodem.*

7. Nota quartò circa renunciationes hæreditatum sequentia. *Primò*, Renunciationem, quam facit necessarius hæres de successione futura hæreditatis, nullius roboris esse; ita dicitur L. *Qui superstites. ff. de acquir. hæred.* Et pluribus aliis Legibus. Subsisteret tamen, si fieret in ipso actu testandi, vel post conditum Testamentum, in quo hæres esset præteritus; ùt deducitur ex L. *Non putavit ff. de bonorum Possess. contra tabulas.* Item si hæres necessarius vivente Testatore, integram portionem suam accepisset, renunciando remanentibus portionibus hæreditatis; ùt docet Bart. Abbas, Laym. Clarus, &c. Item si Renunciatio esset stabilita Juramentô; uti dicitur *cap. Quamvis pactum; de pactis in 6.* Nec obstat Tridentinum *sess. 25. c. 16. de Reg.* irritans Novitii revocationes sinè Episcopi licentia factas inter duos menses proximos ante professionem, etiam juramentô firmatas; quia non loquitur de renunciationibus hæreditatum causâ mortis vi Testamenti, vel Codicilli possidendarum; sed de renunciationibus beneficii Ecclesiastici, & similibus intuitu professionis emittendæ factis, inducentibus obligationem renuncianti, & spoliantibus Novitium bonis, ita ut necessariò deinde profiteri debeat.

8. Nota quintò circa Executionem Testamentorum, cæterarúmque Voluntatum ultimarum sequentia: *Primò*; si in Testamento, vel Codicillo nullus exprimatur Executor; Executio dispositionum Testatoris spectat ad hæredes, etiam quoad Legata pia. Ita deducitur ex *cap. Nos quidem.* Et *cap. Si hæredes; de Testam.* nisi Legata pia ordinata essent pro Redemptione Captivorum; vel eleemosynis pauperum, quæ quà talia Ordinarius loci, veluti communis egenorum Pater distribuere debet, deficiente determinatô Executore Testamenti; uti habet *Auth. de Eccles. tit. & Nulli C. de Episcop. & Cleric. Secundò*; Possunt à Testatore ordinari plures Testamenti Executores; sive hi sint ipsimet hæredes; sive alii; ita Laym. Lugo, &c. etiam Mulieres; uti deducitur ex *C. Nos quidem.* Et ex L. *à Filio ff. de alimentis Legatis.* Similiter Clerici, & Religiosi cum licentia sui Prælati; uti habetur *cap. Tua nobis.* Et *cap. Joannes, de Testament. Tertiò*; Executores Testamenti post aditam hæreditatem, & Inventarium confectum, sunt obligati illicò Legata exequi, & solvere; nisi contingat eos legitimè impediri. Ita habetur L. *Si hæredes, de Testam.* In casu autem iniquæ moræ, & tardationis Judex tam Ecclesiasticus, quàm sæcularis, Executores compellere potest ad solutionem Legatorum: de sæculari hoc tenet communis DD. Juris sæcularis. De Ecclesiastico patet ex *C. super quibusdam, de verb. signif.* ubi dicitur; Judicem Ecclesiasticum debere subvenire miserabilibus personis, carentibus auxiliô; qualis est defunctus in hac sua causa: unde authoritas compellendi negligentes Executores est fori mixti, & datur præventioni locus; ùt benè advertit Abbas, & alii DD.

CAP.

CAP. III.

Quid de Testamentis quoad FF. Minores.

1. DIco primò: Nullus Frater Minor professus de Observ: & Ref. in Ordine constitutus potest testamentum condere de ulla re temporali. Ità communis DD. Et deducitur ex *can. non dicatis, caus. 12. q. 1.* Estq; Ratio; quia conditio seu confectio testamenti supponit in testante proprietatem, & dominium illius rei, de qua testatur; nullus autem Frater Minor Observans, vel Reformatus constitutus in Ordine habet ullius rei temporalis proprietatem, & dominium; utì patet ex Regula Seraphica *cap. 1.* & ex Extravag. Nicolai III. & Clementis V. ac Constitutionibus generalibus *cap. 4. §. 1.* & aliis; adeóque talis nequit testari de ulla re temporali.

2. Dico secundò: Fratres Minores Observantes, & Reformati nequeunt institui hæredes formales in Testamentis. Ita communis DD. Ordinis nostri. Et constat ex *cap. Exiit qui seminat 3. de V. S. in 6.* Et Clement. *Exivi, de verb. sig.* His tamen possunt relinqui pia legata, sub modificatione puræ Eleemosynæ; utì dicitur *ibidem.* Ad ea autem exigenda nequeunt Fratres institui Procuratores formales; utì habent Constit. general. modernæ *cap. 6. §. 5.*

TITULUS XXVII.

De Successionibus ab intestato.

CAP. I.

Quot sint Ordines Succedentium: ubi specialiter de Ordine primo *Descendentium.*

1. NOta primò: *Priori titulo*, qui agit de Successione testamentaria, apposìtè Papa subjungit hunc de successione ab intestato, quam Leges & Canones tunc deferunt certæ personæ, quando habens aliquam hæreditatem discedit ab intestato; quæ vocatur successio legitima, *L. Legitimam 8. ff. de petit. hæred.* Dicitur autem *ab intestato discedere* ille, qui vel omnino non condidit Testamentum; vel aliquod quidem condidit; sed non Jure, id est non cum debitis solemnitatibus, quas Jura requirunt: vel cujus testamentum ex postfacto ruptum, irritúmque factum est; vel denique ex cujus Testamento nullus extitit hæres, *Instit. de hæred. quæ ab intestato.*

2. Nota secundò: Quinque possunt assignari Ordines succedentium in hæreditate ab intestato discedentis, primus est *descendentium*, id est liberorum. Secundus est *ascendentium*, id est parentum. Tertius *collateralium*, id est Fratrum, & aliorum consanguineorum. Quartus *Conjugum inter se.* Quintus deniq; *Fisci.*

3. Dico primò: Ad successionem ab intestato primò vocantur descendentes seu liberi defuncti intestati, sive hi Laici sint, sive Clerici. Ita communis DD. Et constat ex *L. cùm ratio ff. de bonis damnat.* Et quia parentes malunt sua bona devolvi potiùs ad filios, quàm extraneos. Et quia id æquitas, & jus naturale poscit, ut ex bonis paternis liberi alimenta consequantur.

4. Nota autem tertiò: liberos esse in multiplici differentia; alii enim sunt spirituales, alii affines, alii legitimi tantùm, alii legitimi & naturales simul, alii naturales tantùm: qui rursus dividuntur, ita ut alii sint propriè naturales; alii spurii, alii ex damnato concubitu, alii legitimati.

5. Nota quarto: *liberi*, seu *filii spirituales* sunt, quos in baptismo, vel confirmatione tenuimus: & hi nullam habent successionem; ùt habet communis DD. *Liberi*, seu *filii affines* sunt privigni: & hi vitrico non succedunt L. *3. & 7. C. communia, de success.* *Legitimi* tantùm sunt adoptivi: hi quàm diu durat adoptio Patri adoptivo ab intestato succedunt; si verò ipso vivente fuerint emancipati, cessat successio. *Liberi legitimi, & naturales simul* sunt, qui ex justis ac legitimis nuptiis procreati sunt; dicuntur *naturales*; quia secundùm naturam, & conjunctionem carnalem geniti sunt à parentibus: *Legitimi* verò; quia hujusmodi conjunctionem parentum Lex approbat per legitimum Matrimonium. Hujusmodi liberi hodierno Jure succedunt suis parentibus in bonis allodialibus sinè distinctione, masculi sint, an fœminæ, sui juris, an patriæ potestati subjecti: in bonis verò feudalibus hodie attenditur differentia sexûs; & fœminas, atque ex his genitos excludunt à successione Jura, *tit. de Feudis.*

6. Nota quintò: *Liberi naturales tantùm* dici possunt omnes illi, qui extra Matrimonium nascuntur; propriè tamen sunt illi, qui nati sunt ex concubina, domi locô Uxoris retentâ; qui concubinatus olim quidē fuit toleratus *ff. & C. de concubinis*; hodie tamen tam in foro sæculari, quàm canonico ex Trid. *sess. 24. de Refor. c. 8.* contra ejusmodi concubinarios proceditur. Filii autem tales naturales tantùm, de Jure, non extantibus aliis liberis ex legitimo Matrimonio natis, neque uxore legitimâ, succedunt Patri, unà cum sua Matre in sextante, seu duabus unciis (id est duabus partibus hæreditatis, si ea in duodecim dividatur) æqualiter inter eos distribuendis: avo autem paterno non succedunt; neque patri, quando supersunt liberi ex justis nuptiis procreati, aut legitima uxor; debentur tamen ipsis alimenta ex hæreditate patris arbitriô boni viri, *Nov. 18. cap. 5.* Et *Nov. 89. cap. 12.* Matri autem illustri, & omnibus ascendentibus per lineam maternam unà cum justis liberis hi naturales succedunt, *Auth. Si qua illustris C. ad S. C. Orficianum.* *Spurii* licet etiam communi vocabulo dici possint omnes illegitimi; propriè tamen tales vocantur illi, qui ex muliere publica passim suum corpus prostituente generati sunt. Hi præsumuntur habere patrem incertum L. *nullo concepti 23. ff. de stat. homin.* & ideo successionem non habent in hæreditate paterna. Matri verò (quæ semper est certa) succedunt cum liberis ex justo Matrimonio natis: nisi fuerit illustris, in qua talis publica libido magìs reprobatur; de quo consule textum, & interpretes ad *tit. Instit. de S. C. Orfic.* Et L. *Si qua illustris C. eod.*

7. Nota sextò: *ex damnato concubitu nati* dicuntur illi, qui procreati sunt ex tali copula, quam damnat Lex, & afficit pœnâ gravi mortis v. g. tales sunt adulterini, & incestuosi, id est generati à consanguineis, vel affinibus in gradibus prohibitis. Hujusmodi liberi non habent ullam successionem, nec paternam, nec maternam: nec Jure civili ulla alimenta ipsis debentur, *Auth. ex complexu C. de incestis nuptiis.* Ex Canonibus tamen videntur ipsis assignanda alimenta juxta parentum facultates, per textum in *cap. cùm haberet 5. de eo, qui duxit.* *Legitimati* dicuntur illi, qui per subsequens Matrimonium, etiam in articulo mortis legitimantur. Hi æquiparantur quoad omnia natis legitimis §. *quibus, de hered. quæ ab intest.* ac proinde succedunt parentibus unà cum legitimis. Extant & alii *legitimati* per rescriptum Principis; sed hi non succedunt patri; nisi quando nulli extant liberi legitimi, *Auth. §. illud tamen, cap. 9.*

CAP. II.

De Ordine *Ascendentium* in Successionibus ab intestato.

1. DIco primò. Ad Successionem ab intestato secundo loco, scilicet deficientibus Descendentibus vocantur Ascendentes, seu parentes; servatâ tamen gradûs prærogativâ, ità scilicet, ut proximiores excludant remotiores v. g. Pater Avum paternum, & maternum, & similiter mater avum paternum, & maternum. Ita Covarr. Valens. Engel, & communis DD Et constat ex *Auth. de hered. ab intestato venientibus.* Et *cap. 2. coll. Nov. 118.*

2. Nota primò: succedunt autem Pater & Mater, aliique Ascendentes sive paternæ sive maternæ lineæ (si paris gradûs sint) æqualiter in bonis defuncti ab intestato; sive ea à Patre, sive à Matre ad Filium devenerint, utì tenet Baldus, Cynus, Pyrh. & probabilior DD. contra Bart. nam & Justinianus in *Auth. de hered. ab intest. venient. cap. 2.* generaliter & indistinctè loquitur, nullâ factâ distinctione bonorum; utitur enim vocabulô *hæreditatis*, quod omnes jus defuncti complectitur *L. hæreditas 62. ff. de R. I.*

3. Nota secundò: si unà cum Patre, aut Matre adsint Germani Fratres, vel Sorores, sive ex utraq; parte defuncti conjuncti: tunc hi unà cum illis succedunt in capita, sive æqualiter; ita ut Parentes, & Fratres defuncti accipiant æquales partes hæreditatis, *cit. Auth. de hered. cap. 2.* Et *Auth. defuncto, cap. 2.* Imò superstites Fratres, & Sorores defuncti non tantùm cum Patre, & Matre defuncti; sed etiam his deficientibus cum avo, & avia, & ulterioribus Ascendentibus succedunt in capita: Similiter & avus, & avia per tales Fratres à successione non excluduntur; utì habet Gloss. Covarr. &c. DD. Parentes autem succedunt soli liberis suis ab intestato defunctis, quando adsunt Fratres non utrinque, sed ex Patre tantùm, vel Matre tantùm conjunctis; utì colligitur ex *Authent. cit. de hered.* Et *Auth. defuncto cap. 2. §. Si verò.*

4. Nota tertiò: circa Parentes naturales tantùm Jura Successionum sunt correlativa; quare sicut Filii naturales tantùm succedunt Patribus in duabus unciis; ità vicissim eisdem Patres, & sicut iidem filii succedunt Matri in universum; ità vice versa Mater talibus liberis, *Auth. licèt, C. de natural. liber.* Similiter sicut spurii non succedunt Patri; utì nec nati

nati ex damnato concubitu Patribus, nec Matribus; ita è contra spuriis non succedunt Patres, seu allegantes se Patrem: & damnatis nec Patres, nec Matres L. *Si spurius ff. unde cognati.* Et *Auth. ex complexu C. de incest. nuptiis.*

CAP. III.

De Ordine Collateralium in succedendo ab intestato.

1. NOta primò: illi vocantur *Collaterales*, quos quidem non genuimus; nec nos sumus generati ab ipsis; trahimus tamen propaginem ex eodem sanguine; quare etiam dicuntur nostri *Consanguinei.* Hi autem sunt in duplici differentia; quidam enim appellantur *agnati*, & sunt illi, qui ex paterna linea sanguine nobis conjuncti sunt: quidam *cognati* vocantur; & sunt illi, qui ex linea materna nobis conjunguntur: & ambo *Consanguinei* nostri appellantur.

2. Dico primò: Ad Successionem ab intestato tertiô locô, deficientibus scilicet hæredibus Descendentibus, & Ascendentibus, ad defuncti hæreditatem vocantur ejus Collaterales, salvâ prærogativâ gradûs. Ita communis DD. Et constat ex *Auth. de hæred. ab intestato cap. 3. in princ. coll. 9. Nov. 118.* Et *Auth. itaque C. communia, de success.* Et

3. Nota secundò: quòd primô locô vocentur, & succedant Fratres, aut Sorores ex utroque Parente sibi conjuncti; si adsint, exclusis Fratribus, & Sororibus Consanguineis, qui ex solo Patre, & uterinis, qui ex sola Matre juncti sunt; uti constat ex *cit. Legibus.* Secundô locô vocantur filii, vel filiæ Fratris utrinque conjuncti, si adsint, etiam mortui; vel etiam Sororis; & hi unà cum Fratribus, & Sororibus utrinque defuncto conjunctis, patruis, vel amitis ipsorum succedunt in stirpes; hoc est, eam tunc filii, vel filiæ fratris præmortui, quotcunque fuerint, accipiunt hæreditatem, quam Parens eorum, si viveret, accepisset. *cit. Auth. de hæred. ab intest. cap. 3.* Et hi excludunt Fratres ex uno tantùm latere conjunctos defuncto, sublatâ omni differentiâ sexûs, & emancipationis, *Auth. Cessante C. de legit. hæred.* Iidem excludunt à successione patruum adhuc superstitem defuncti Fratris, id est, fratrem sui patris, & sororem Patris, & sororem Matris *Auth. cit. de hæred. cap. 3.* Tertiô locô si non extent Fratres utrinque conjuncti, nec filii horum; tunc vocantur Fratres defuncti ex uno duntaxat latere conjuncti; ita tamen ut uterinis materna, consanguineis paterna bona deferantur, *Auth. post Fratres 1. C. de legit. hæred.* Quartô locô præfatis omnibus deficientibus succedunt reliqui cognati Collaterales gradu propinquiores, exclusis remotioribus; & quidem non in stirpes; sed in capita, ita ut hæreditas dividatur inter eos æqualiter, *Authent. post Fratres 2. C. de legit. hæred.* Et protenditur hæc successio propinquioris cognati usque ad decimum gradum; uti habet Glossa.

CAP. IV.

De Ordine Conjugum, & Fisci in succedendo; ac de Successione in hæreditate relicta ab Ecclesiasticis, & Religiosis personis ab intestato.

1. DIco primò: Ad successionem ab intestato quartô locô, deficientibus nimirum descendentibus, ascendentibus, & Collateralibus, admittuntur Conjuges, ita ut vir succedat Uxori, & è converso; etsi aliàs Conjuges de Jure communi regulariter (secluso pacto dotali, consuetudine, vel statuto loci) sibi invicem non succedant. Ita Engel, Pirh. Vallens. &c. Primum habetur *L. unica, C. unde vir & uxor.* Secundum constat ex *L. non tacitè 4.* junctâ Gloss. *ver. ex nuptiis, ff. de gradibus affinit.* Dixi *secluso pacto dotali, consuetudine, vel statuto loci*; quia in quibusdam Regionibus maximè Germania, teste Mynsing. permittuntur ut valida pacta dotalia, quibus Conjuges paciscuntur, ut si unus eorum moriatur sine liberis, alter superstes omnia, vel certa saltem bona hæreditet exclusis consanguineis.

2. Dico secundò: demum ad successionem quoque quintô modô admittitur Fiscus, deficientibus scilicet consanguineis ultra decimum gradum, & uxore, aut maritô. Ita communis. DD. Et habetur *L. 1. & L. vacantia 4. C. de bon. vacant. lib. 10.* Et quidem sæcularis Fiscus, si defunctus erat laicus; Ecclesiasticus verò, si erat Clericus, *cap. 1. hoc tit.*

3. Nota primò: si peregrinus in locis remotis moriatur intra hospitale, omnis cura adhiberi debet, ut ejus bona relicta mobilia deveniant ad manus hæredum: si verò nullus hæres indagari possit, ejus bona ab Episcopo loci in pias causas sunt distribuenda, *Auth. omnes peregrini C. communia, de success.*

4. Dico tertiò: ad Successionem Bonorum patrimonialium, industrialium, & parsimonialium, quæ aliquis Clericus ab intestato reliquit, succedunt primô locô consanguinei defuncti,

functi, juxta ordinem *cap. 3.* expressum. Ita communis DD. Et habetur *Can. 1. caus. 12. q. 4.*

5. Dico quartò: si Clericus ab intestato defunctus nullos habuerit consanguineos, in præfatis bonis succedit Ecclesia, cui inservivit tempore mortis: idem dicendum de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis Clerici. Ita Glossa, Engel, Pirh. &c. Et constat ex *cap. 1. hoc tit.* Quòd si defunctus Clericus habuerit plura beneficia in diversis Ecclesiis, tunc bona ejus diversis illis Ecclesiis pro rata distribuantur, *cap. relatum 12. de Testam.*

6. Nota autem secundò: quòd nomine *Ecclesiæ* juxta *cap. cit. 12.* aliquando veniat Episcopus, vel Parochus, si hic sit successor in beneficio: aliquando verò Collegium Clericorum, vel Capitulum, si ejus successor sit aliquod totum Collegium Clericorum, vel Canonicorum; quibus proinde duobus successoribus consignanda sunt bona Clerici ab intestato mortui; ùt notat Engel.

7. Nota tertiò: si constet massam hæreditatis relictam à Clerico ab intestato mortuo, compositam esse tum ex bonis patrimonialibus, tum ex industrialibus, tempore beneficii Ecclesiastici acquisitis; tunc ea dividi debet in quatuor partes, quarum unam Episcopus, alteram Ecclesia, tertiam pauperes, & quartam consanguinei capient, *cap. 2. hoc. tit.*

8. Dico quintò: Religiosorum in Religione bonorum incapace professorum bona, de quibus ante professionem nihil disposuerunt, statim cadunt ad hæredes eorum, secutâ professione. Ita Less. Pirh. &c. Ratio est; quia tales Religiosi secutâ professione censentur mortui ab intestato, non minùs, quàm si morte naturali obiissent. Et quia se per professionem privant omni dominiô, & possessione bonorum suorum; ex alio capite etiam Religio quam profitentur non est capax eorundem.

9. Dico sextò: Religiosorum verò in ordine bonorum capace professorum, imò & Novitiorum bona, de quibus nihil disposuerunt ante professionem, secutâ professione devolvuntur ad Ordinem. Ita Azor. Sanch. Pirh. &c. Et constat ex *Auth. ingressi.* Et *Auth. Si qua mulier C. de SS. Ecclesiis.* Estque Ratio; quia tales Religiosi æquiparantur secutâ professione defunctis ab intestato, ob mortem spiritualem, quâ moriuntur mundo.

TITULUS XXVIII.

De Sepulturis.

CAP. I.

De loco Sepulturæ.

1. Nota primò: annumerantur quoque bonis Clericorum (de quibus agit hic tertius Decretal.) Jura sepulturarum; utì & alia Jura, de quibus in *sequentibus tit.* Quare S. Pontifex hunc titulum subjicit de sepulturis. Ly autem *sepultura* variè sumitur etiam in Jure; nimirum aliquando pro sepulchro, id est loco quodam concavo, cui inferuntur cadavera, vel ossa mortuorum; hæc usurpatio habetur *can. aurum, caus. 12. q. 2.* Aliquando pro Jure sepeliendi; & de hac acceptione procedit etiam *cap. 1. hoc tit.* Aliquando pro actu, seu officio, quod inhumandis ac sepeliendis corporibus impeditur; & in hoc sensu agit de sepulturis *can. præcipiendum 15. caus. 13. q. 2.* Et *cap. non satis, de Simonia.*

2. Nota secundò: diversus erat locus sepulturarum apud veteres, & modernos Christianos: nam *cit. can. præcipiendum* prohibitum fuit, ne Christiani tumularentur in Ecclesiis; & *L. mortuorum 12. C. de Religiosis*; *& sumpt. funer.* Et *L. 3. de sepul. viol.* ne planè in urbibus sepelirentur; sed extra urbes, & oppida more Græcorum; nisi defunctæ fuissent insignes personæ, ut Episcopi, Abbates, &c. *arg. can. nullus 18. caus. 13. q. 2.* Verùm apud modernos Christianos mos obtinuit, & Canones concedunt, ut Christi Fideles tum in Ecclesiis, tum in cœmeteriis urbanis possint inhumari; utì constat ex *can. cùm gravia 17. cit. caus. & q.* ubi etiam adducuntur motiva hujus concessionis. Et *cap. ex parte 5. & seq. hoc tit.* Cœmeterium autem quod est deputatum pro loco sepulturæ, debet esse locus à cæteris profanis locis distinctus, & per Episcopum designatus, ac juxta Ecclesias, vel intra ejus confinia situs, *can. sicut, caus. 17. q. 4.*

3. Dico primò: ii, qui constitutum habent sepulchrum Majorum extra propriam Parochiam, in eo tumulandi sunt; nisi sponte alibi sibi elegissent sepulturam. Ita communis DD. Et habetur *cap. 1. hoc tit.* Et *cap. 1. eod. in 6.* Et pro hoc extat exemplum Abraham, Isaac, & Jacob Patriarcharum, qui petierunt tumulari in sepulchro Majorum suorum. Dicuntur autem *Majores*, Pater, Avus & alii Ascendentes

tes L. *Jurisconsultus 10. ff. de grad. affinit.* Dixi *nisi sponte alibi sibi elegissent sepulturam*; quia hujusmodi electio fieri potest licitè; ùt dicetur infrà: & patet exemplô Christi, qui natus in Bethlehem, & nutritus in Nazareth, Sepulturam habuit in Jerusalem in Sepulchro Joseph: constátque ex *cap. nos instituta 1. hoc tit.*

4. Dico secundò: illi qui carent Sepulchrô Majorum, regulariter sepeliri debent in Ecclesia Parochiali, vel ejus cœmeterio, in qua receperunt Sacramenta, & audierunt Divina. Ita communis DD. Et habetur *cap. 1. & 10. hoc tit.* Et *1. is qui, eod. in 6.*

5. Nota autem tertiò: si contingat aliquem habere domicilia in duabus Parochiis, in quibus æquè habitavit, Sacramenta percepit, & Divina audivit; tunc locus erit præventioni, ita ut sepeliri possit in illa Ecclesia, quæ prævenerit, *arg. cap. duobus, de rescriptis, in 6.* divisâ Quartâ inter dictas Ecclesias, *cap. cum quis 2. in 6.* Si autem neuter Curatus Parochiæ præveniat; aut lis oriatur de cadavere tumulando; tunc Episcopo incumbit eos componere, & judicio ejusdem erit standum; uti ex Molina, & Vallense advertit Pirhingus.

6. Nota quartò: quòd si verò contingat quempiam possidentem domum stabilem in Urbe quandóque ad villam exire recreationis duntaxat causâ, vel ad ruralia exercenda: & is ibidem moriatur, non electâ ibi sepulturâ; tunc non in Parochia talis villæ; sed in Urbana, vel Sepulchro Majorum sepeliendus est; dummodo absque periculo eò possit transportari, *cap. is qui 3. hoc tit. in 6.*

7. Nota quintò: peregrini, & advenæ defuncti deferendi sunt ad Sepulchra Majorum, vel ad Parochiam propriam, si id commodè fieri possit: sin minùs sepeliendi sunt in Parochiali Ecclesia, in cujus circulo sunt defuncti; nisi elegissent sepulturam alibi; uti habet Abbas, Sylv. Vallens. &c. Idem dicendum de Scholaribus, & damnatis ad mortem; ùt notat idem Vallens. nisi consuetudo localis aliud obtinuisset: ac de famulis conductitiis Dominorum; uti habet Pirh. &c. DD.

8. Nota sextò: Superiores Religiosorum debent tumulari in propriis Ecclesiis, quibus præfuêre; ùt habet ex Archid. Vallensis. Similiter & Religiosi subditi defuncti extra Claustrum, in Ecclesiis, cœmeteriis, vel locis suæ Religionis sepeliendi sunt, si commodè transferri possint; sin minùs, in Parochia, ubi obiêre, *can. 1. caus. 16. q. 1.* Item Clerici in Ecclesia, ubi beneficium obtinent; hi namque censentur ibi habere domicilium, *cap. 3. de temp. ordin.* Maximè Prælati, qui habentur pro viris ac conjugibus Ecclesiarum, *can. si vir, caus. 7. q. 1.*

9. Nota septimò: Uxor effecta vidua, tumulanda est non in Sepulchro Majorum, sed Mariti; si non elegisset aliam Sepulturam, *can. 2. in fine caus. 13. q. 2.* Et quidem si plures habuerit viros in Sepulchro ultimi recondenda est, *cap. is qui, §. mulier, hoc tit. in 6.* Si verò uxor ante maritum moriatur, sepelienda erit vel in Sepulchro Majorum; vel ubi elegerit ipsa.

CAP. II.

De Electione, & Jure Sepulturæ.

1. DIco primò: regulariter quivis Christianus, à Canonibus specialiter non prohibitus potest neglectô Sepulchrô Majorum, vel Parochiali eligere sibi Sepulturam in aliena Ecclesia, vel cœmeterio. Ita Glossa, Sylv. Mol. & communis DD. Et constat ex *cap. 1. hoc tit.* Et *cap. is qui 3. eod. in 6.* Dixi *à Canonibus specialiter non prohibitus*; nam quædam personæ prohibentur sibi eligere Sepulturam; ùt Religiosi; cùm velle & nolle non habeant; unde hi in Monasteriis suis sepeliri debent, nisi eò nequeant commodè transferri; nam & tunc jus sibi eligendi sepulturam habent, *cap. Religiosi, 5. & ult. hoc tit. in 6.* Similiter filii impuberes ob defectum judicii non eligunt sibi Sepulturam; sed Patres eorum; vel inferuntur in Sepulchrum Majorum, vel in Parochia tumulantur, *cap. pen. hoc tit. in 6.* Item per sententiam adjudicati morti; uti habet Vallens. &c. licèt valeat percipere Sacramenta, *Clement. 1. de pœn. & remiss.* Item nec furiosus, *arg. cap. fin. de success. ab intest.*

2. Ex Conclusione sequitur *primò*: Uxorem etiam invitô maritô posse eligere sibi Sepulturam, & vice versâ, *cap. 7. hoc tit.* *Secundò*, similiter filiúmfamilias puberem liberè sibi posse eligere tumulum, absque patris consensu, *cap. 4. hoc tit. in 6.* *Tertiò*, Servus Sepulchrum eligendi potestatem habet; cessat enim in spiritualibus dominica potestas, *cap. 1. de Conjugio servorum.* *Quartò*, etiam Episcopum habere potestatem deligendi sibi tumulum extra suam Cathedralem; uti & Prælatum Religiosi Ordinis extra monasterium suum, si Superiorem in Ordine non habeat, v. g. si sit Generalis; uti habet Abbas, Pirh. Franc. Sylv. &c. quia hi in multis habent velle, & nolle. Prælati

lati tamen Religiosi subditi, v. g. Provinciales nequeunt eligere Sepulturam; utì notat Pirh. &c. *Quintò*, etiam Novitiis Ordinum manet jus eligendi sibi Sepulturam alienam; cùm hujusmodi electio solis professis sit prohibita, *cap. ult. hoc tit. in 6.*

3. Nota primò: omnes potentes eligere Sepulturam, possunt eandem eligere etiam in loco minùs religioso, v. g. in capella, ubi rarissimæ fiunt Missæ, aut alia Divina, vel preces publicæ, *cap. cùm quis, 2. hoc tit. in 6.* Imò in electione Sepulturæ quis potest variare usque ad extremum vitæ articulum; quamvis priùs alibi ordinâsset suam Sepulturam, *cap. 1. hoc tit. in 6.*

4. Nota secundò: in *cap. 1. hoc tit. in 6.* universis Religiosis, ac etiam Clericis sæcularibus cujuscunque statûs, vel conditionis existant, in virtute S. Obedientiæ, ac sub interminatione maledictionis æternæ districtissimè prohibetur, ne aliquos ad vovendum, jurandum, aut fide interpositâ, seu aliàs promittendum inducant, ut apud eorum Ecclesias Sepulturas eligant, vel jam electam ulteriùs non mutent: & electio aliter facta nullius firmitatis decernitur; jubetúrque defunctus deferri ad illum locum, in quo aliàs sepeliendus erat.

5. Dico secundò: de Jure communi competit solis Ecclesiis curam animarum habentibus annexam, jus sepeliendi. Ita Abbas, Sylv. Molin. Pirh. &c. Ratio est, quia sicut ad Pastores Ecclesiarum curatorum pertinet ministrare Sacramenta, & prædicare; ita & officium Sepulturæ præstare.

6. Dico tertiò: ex privilegio tamen speciali Apostolico jus funerandi, & sepeliẽdi etiam competit Ecclesiis, & cœmeteriis Religiosorum. Ita Vallens. Rodriq. Pirhing. Brugnoli, &c. Et constat ex *Clement. Dudum 2. hoc tit.*

CAP. III.

De Portione Canonica Parochiali, & Episcopali à Sepulturis debita.

1. Dico primò: si contingat Parochianum extra suam Ecclesiam sortiri Sepulturam, dum scilicet in Sepulchro Majorum tumulatur; vel eligit tumulum in aliena Ecclesia; tunc de omnibus quæ illi loco, seu Ecclesiæ, in qua tumulum elegit, per ultimam dispositionem eveniunt, vel occasione funeris deferuntur, Canonica portio solvi debet Ecclesiæ Parochiali, in qua defunctus alioquin tumulandus fuerat. Ita communis DD. Et constat ex *cap. 1. ac pluribus aliis hoc tit.* Et Rationem dat *cit. cap. 1.* quia æquum est, ut consolationum sint socij, qui fuerunt passionum, juxta dictum Apostoli. In pluribus autem locis hujusmodi Portionis Canonicæ solutio ampliùs non viget.

2. Nota autem primò: quòd hæc Portio ideo dicatur *Canonica*, quia debita est ex ordinatione SS. Canonum. Est varia, aliquando solet esse quarta pars bonorum, quæ defunctus relIquit Ecclesiæ, in qua, vel juxta quam sepelitur, *cap. cùm super 8. hoc tit.* Aliquando est tertia pars eorundem bonorum, *cap. 1. hoc tit.* Aliquando dimidia *cap. relatum 2. hoc tit*, ideoque quantitas ejus est definienda secundùm consuetudinem cujuscunque loci; uti constat ex *cap. certificari 9. hoc tit.*

3. Nota secundò: hæc Portio Canonica Parochialis non debetur, nec detrahitur ex illis legatis, quæ defunctus alijs Ecclesiis, aut pijs locis distinctis à loco sepulturæ reliquit pro ornamentis, casulis, calicibus, fabrica, luminaribus, anniversario, septimo, vigesimo, aut trigesimo die, ut habet Abbas, Glossa, Vallens. &c. & constat ex *cap. ult. de testam.* Nec detrahitur ex rebus Ecclesiæ donatis inter vivos, utì observat ex Hostien. Vallensis. Neque de equis, & armis, quæ indulta sunt militibus Hierosolymitanis in subsidium terræ S. *cap. in nostra 2. hoc tit.* Neque de rebus relictis pro incertis ablatis; utì notat idem Vallens. Sed hodiè debetur & detrahitur tantùm de ijs bonis, quæ Ecclesiæ, in qua quis sepelitur, directè relinquuntur occasione funeris. Et dum Sepultura fit in Ecclesijs Regularium, Quarta funeralis detrahenda est tantùm de ijs, quæ cum funere processionaliter deferuntur; cujusmodi sunt ceræ, & similia, utì declaravit Benedictus II. in Extrau. *inter cunctas, de Privileg. in 6.* Et Pius V. in Bulla, *Etsi Mendicantium*: & propterea hujusmodi Portio Canonica Parochialis vocatur passim, etiam à Trident. *Quarta funeralis.*

4. Dico secundò: similiter Episcopo debetur quædam Portio Canonica Episcopalis, ex bonis relictis alicui Ecclesiæ, & bonis relictis à Clerico ab intestato. Ita Glossa, Vallens. Pirh Piasec, &c. Primum habetur in *cap. conquerente, de Offic. Ordinarii.* Et *cap. Officii cum seq. de Testam.* Secundum ex *cap Sancto*, junctâ Glossâ *in ver. morientium de Successf. ab intestato* Etiam hujus Quartæ Canonicæ Episcopalis usus in multis locis interiit per consuetudinem contrariam; quod fieri potuit *arg. cap. de quarta, de praescript.*

CAP.

CAP. IV.

Varia circa Sepulturas resolvuntur.

1. DIco primò; nemini deneganda est Sepultura Ecclesiastica, seu in loco sacro; iis exceptis, qui ex Juris Canonici dispositione eâ privantur. Ita Glossa, Vallens. & communis DD. Et constat ex *can. nullus, 18.* junctâ Gloss: *caus. 13. q. 2.* Et *can. Ecclesiam, 28. de Conserat. dist. 1.* Et fundatur in illo S. Scripturæ *Eccles. 7. mortuo non prohibeas gratiam, sciens quoniam omnes morimur.* Unde & ipsi Ethnici Romani tumulationes faciendas gravissimis sancierunt Legibus, & hæreditate indignum judicârunt illum, qui mortuo non exhibuisset debitam Sepulturam, L. *hæreditas, ff. de hæred. petit.* Et L. *militis, C. eod.*

2. Nota primò: ex Juris tamen dispositione subtrahenda est Sepultura Ecclesiastica variis defunctis; & *primò*, Paganis, ac infidelibus, *can. Ecclesiam, 26. & seq. de Consecrat. dist. 1. Secundò* Judæis, *ibidem. Tertiò*, Hæreticis, ac eorum fautoribus, *cap. excommunicamus, 13. de hæret.* tametsi dogmata eorum hæretica primò post mortem manifestata fuissent, *can. sanè, 6. caus. 24. q. 2.* Infidelibus annumerantur etiam infantes Christianorum, decedentes absque baptismo; uti observat Pirh. &c. DD. *Quartò*, omnibus notoriè excommunicatis excommunicatione majori *can. 1.* nam quibus non communicamus viventibus, nec mortuis communicare debemus, *cap. ex parte.* Et *cap. Sacris, hoc tit.*

3. Nota secundò: præterea Sepultura Ecclesiastica pariter neganda est Suicidis, id est, illis, qui seipsos occidunt spontè malitiosè, *can. placuit, 12. caus. 23. q. 5.* Secùs si casu, aut fatuitate, aut ob imminens proximum malum se occideret, v.g. præcipitando se per fenestram, vel in flumen cum intentione, ut evadat sui combustionem in domo; vel si puella fugiens volentes se violare sese dejiciat in amnem, *cap. ex parte, 11. hoc tit.* Item privandi sunt Sepulturâ Ecclesiasticâ interfecti in formali duello, juxta Tridentinum *Sess. 25. cap. 19. de Reform.* Item publici peccatores decedentes sinè pœnitentia, *can. quibus, caus. 13. q. 2.* Item Religiosi manifesti proprietarii; id est, qui cum peculio sinè licentia Superioris, defuncti sunt, *cap. 2. & 4. de statu Monach.* Item voluntariè intermittentes semel in anno proprio Sacerdoti confiteri, & tempore Paschali S. Eucharistiam sumere, *cap. omnis 12. de pœnit. & remiss.* Item manifesti raptores non pœnitentes, & sinè satisfactione decedentes *cap. 2. de raptor.* Item latrones in flagranti crimine occisi; secùs si priùs confessi Sacerdoti ex vulnere accepto obierint, *can. fures, & latrones, caus. 13. q. 2.* Et *cap. 2. de furtis.* Item nominatim interdicti, *Clem. 1. de Sepultur.* Item manifestè usurarii; nisi priùs pœnituerint, & satisfecerint; vel idoneam cautionem satisfaciendi præstiterint, *cap. 3. de usur.* Et *cap. 2. eod. in 6.* Item exenterati, seu quorum ossa sunt nudata, & separata à carne, alio transferenda *cap. 1. de Sepul. in Extravagg. comm.*

4. Nota tertiò: Qui scienter, & malitiosè aliquem ex enumeratis personis à Jure prohibitis in loco sacro præsumpserit sepelire, more Ecclesiastico in Ecclesia, vel cœmeterio; is ipsô factô incidit in excommunicationem, *Clem. eos. 1. hoc tit.* à qua excommunicatione non est absolvendus, nisi priùs ad arbitrium Diœcesani, eis, quibus fuit aliqua injuria irrogata, satisfecerit, *ibidem.* Et Ecclesia, vel Cœmeterium polluitur per ejusmodi Sepulturam, reconciliarique debet, priusquam alii ibidem tumulentur fideles, *cap. consuluisti, de Consecrat.* Et ossa eorum, si discerni possint, inde exhumari, *cap. Sacris, 12. hoc tit.*

5. Dico secundò: Sepelientes alienum Parochianum, quem Jure sepelire non poterant, tenentur restituere cadaver tumulatum unà cum omnibus, quæ occasione talis tumulationis acquisierunt. Ita cõmunis DD. Et habetur *cap. ex parte 5. hoc tit.* Idem dicendum de rapientibus violenter cadaver illius, qui alibi elegerat sibi sepulturam, *cap. cùm liberum, 6. hoc tit.*

6. Dico tertiò. Violatores Sepulchrorum, civiliter, & criminaliter puniendi sunt. Ita communis DD. Et statuitur in L. 3. Et L. *de Sepulchro ff. de Sepulchro violato.* Violatur autem Sepulchrum variè: puta si Sepulchrum demoliatur: vel si in Sepulchrum alterius inferatur cadaver alienum ipso invito: vel dolo ex eo habitaculum construatur: si ossa tumulata ex eo aliò transferantur, absque debita licentia: suppositò quòd ossa illa ibidem tumulata fuerint animo perpetuò ibidem subsistendi: nam si tantùm ad tempus deposita ibidem fuerint, ut postea aliò transferantur, absque violatione Sepulchri hujusmodi translatio fieri poterit.

7. Dico quartò: terra profana, seu non sacra potest pretiô emi, & vendi absque labe Simoniæ, eo fine, ut in Cœmeterium convertatur, & consecretur; at semel sic conversa, & consecrata nequit absque Simonia vendi, aut emi, ita ut pretium detur, vel accipiatur ratio-ne

ne Consecrationis. Ita communis DD. Primum habetur *can. aurum, cauſ. 12. q. 2.* Secundum extat *cap. abolendæ, 13. hoc tit.* Et *cap. Suam nobis, de Simonia.*

8. Nota tamen quartò: Conſuetudine poſſe introduci (& paſſim introductum eſt, laudabili pia fidelium conſuetudine) ut aliquid Eccleſiis detur pro loco Sepulturæ; & populus ad illius obſervationem cogi poteſt ſaltèm officio Judicis *cap. ex parte 18. de cenſibus.* Et *cap. cùm in Eccleſia 9. de Simon.* Et habet Vallens. Riccius, Abbas, Sylv. &c.

9. Nota quintò: Clerici etiam quibus cura ſepeliendi ratione beneficii incumbit, pro ipſo officio Sepulturæ, ut pro exequiis, & deductione funeris, aliquid petere, & acceptare poſſunt; conſuetudo viget aliquid petendi, & dandi: quod à fortiori fieri poteſt ab aliis, curam ſepeliendi ratione beneficii non habentibus; uti notat Gloſſa, Abbas, Sylv. &c.

CAP. V.

Reſolutiones variæ circa ſepulturas in Eccleſiis FF. Minorum.

1. DIco primò: Sæculares poſſunt relictâ ſuâ Parochiâ, & ſepulchrô Majorum, ſibi eligere ſepulturam in Eccleſiis, clauſtris, ac Cœmeteriis FF. Minorum; nec non aliorum Regularium. Ita Sorbus, Brugn. &c. Et conſtat ex privilegio, ac conceſſione ſpeciali Innocentii VI: Et Clementis IV. Et Sixti IV, Et Martini IV, Et Julii II: Clementis V. ac Bonifacii VIII. quas refert Sorbus ver. *ſepelitio.* Et poteſt ejuſmodi electio ſepulturæ etiam fieri ab hæredibus, vel curatoribus funeris, ſi eam defuncti non elegiſſent; uti conceſſit Pius V. in Bulla *ad hoc nos DEUS.* Et Leo X. Et Clemens VII. aliique Pontifices.

2. Dico ſecundò: Sæculares poſſunt ſepeliri in habitu S. Franciſci; ſed eundem nemo dare poteſt, niſi Guardianus illius Conventûs; vel alii majores ſuperiores; vel illi, quibus ab his demandatum fuerit. Ita Sorbus &c. DD. Ordinis. Et habetur in conceſſione Sixti IV. quam refert Sorbus in *Compend. Privil. Ord. FF. Min.* Et idem Papa ſtatuit, quòd corpora volentium cum prædicto habitu ſepeliri, deferantur ad ſepulturam ſinè alio tegumento ſuper impoſito. Item quòd FF. Minores tempore interdicti poſſint corpora Fratrum decedentium ejuſdem Ordinis publicè ſepelire; uti refert *cit.* Sorb.

3. Dico tertiò: ſæculares eligentes ſepeliri in Eccleſia Franciſcana cum habitu S. Franciſci, lucrantur plenarias Indulgentias. Ita Rodriqu. in Bullar. Et conſtat ex conceſſione Leonis X. quam refert Caſarub. *in Compend. Privileg.* ver. *Indulgentia.* Quòd ſi autem in aliena Eccleſia ſepeliantur cum memorato habitu, nullas lucrantur Indulgentias; uti conſtat ex Bulla aurea pro Ordine S. Franciſci emanata. Idem dicendum, ſi cadaver induatur habitu S. Franciſci inconſulto ſuperiore FF. Minorum; uti habet Brug. & alii DD.

4. Dico quartò: In Eccleſiis Franciſcanis, ac aliorum Ordinum, etiam Monialium exemptarum, nemo poteſt ipſis invitis ſepeliri; nec in eis facere benedictiones, proceſſiones, officia mortuorum, aut exequias celebrare, vel alia divina peragere, abſque expreſſa licentia Superioris Franciſcani, aut alterius Regularis, ad quem ſpectat ſimilia officia peragere, non verò ad Curatos. Ita Brugn. Sorb. Caſarub. &c. Et habetur in conceſſione Clement. IV. Bulla *virtutute conſpicuos*; Et alia Julii II. Et reſolvit etiam S. Congregatio an. 1588. die 22. Aprilis; uti habet Bordonus *tom. 2. Conſtit.*

5. Dico quinto: Domeſtici famuli, & famulæ Ord. S. Franciſci, ac etiam aliorum Mendicantium, & Monialium iis ſubditarum poſſunt licitè in Eccleſiis, ac Cœmeteriis Ordinis Franciſcani, ac aliarum Religionum memoratarum, etiam invitô Parochô loci tumulari, ſi hi moriantur intra ſepta Monaſterii Minoritici, vel aliorum Ordinum Mendic. Ita Rodriqu: Sorb. Pirh. Molin. &c. Et Primum patet ex privilegio Clement. IV. quod habetur *in compend. Privileg. Ordinis Minorum*, & refertur à Rodriqu. *tom. 2. q. 61. n. 2.* Secundum patet ex privilegio Societati JESU conceſſo, quod refert Pirhingus, *ex compend. Privil. Societ.* verb. *Familiaris.* Tertium conſtat inde; quod Moniales ſubditæ Mendicantibus communicent in privilegiis ipſorum Mendicantium; & conſequenter in præfato privilegio de libera ſepultura ſervorum & ſervarum: ſic Moniales S. Claræ ac quæcunque aliæ ſub obedientia FF. Minorum conſtitutæ gaudent omnibus Privilegiis, exemptionibus, & gratiis conceſſis Fratribus Minoribus; uti habetur in conceſſione Bonifacii VIII. Et alia Leonis X. quas refert Sorb. & Caſarub. ver. *Communicatio Privileg.*

6. Dico ſextò: Fratres Minores, & complures alii Regulares ſunt exempti à ſolutione

ne quarta funeralium. Ita Cæsar. Sorb. Rodriqu. Brug. & alii DD. Regular. Constat ex privilegio Gregorii XI. Et Martini V. Et Eugenii IV. Et Sixti IV. in Bulla *Regimini*, qui Juri communi circa Quartam funeralium derogarunt: Et in specie derogarunt Clementinæ *Dudum* (quâ pro se utuntur Parochi) & exemerunt tres Ordines FF. Minorum; ac Prædicatores à solutione quartæ funeralium. Idem fecit Leo X. in constit. *Exponi nobis*; ubi etiam sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præcipit, ne Parochi contra Privilegia dictorum Fratrum, à Fratribus occasione quartæ funeralium aliquid extorqueant; vel defunctorum parentes, aut hæredes inquietent. Idem concessit Paulus IV. in constit. *Ex clementi.* ubi revocat constit. Bonifacii VIII. *super Cathedram.* Et Clementinam *Dudum*, aliàs pro Parochis emanatas.

7. Nota autem primò: ad tollendas Controversias, quæ fortassis adhuc erant inter Parochos, & Regulares, Tridentinum *sess. 25. c. 13. de Reform.* fecit sequens Decretum Anno 1563. 4. Decembris; *Decernit S. Synodus quibuscunque in locis jam ante annos 40. Quarta, quæ Funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ solita esset persolvi, ac postea fuerit ex quocunque Privilegio, aliis Monasteriis, hospitalibus, aut quibuscunque locis piis concessa; eadem posthac integro Jure, & eadem portione, quâ antea solebat Cathedrali seu Parochiali Ecclesiæ persolvantur, non obstantibus concessionibus, gratiis Privilegiis, in Mari Magno nuncupatis, aut aliis quibuscunque.*

8. Ex quo Decreto sequitur *primò*; Quòd loca fundata post annum 1523. quô hoc Decretum fuit publicatũ, & quæ in dies ædificantur, non teneantur Parocho solvere Quartam Funeralium. Et ita post Tridentinum declaravit Pius V. in Constit. *Etsi Mendicantium.* Et S. Congregatio Concil. Trid. quam adducit in terminis Brugnoli. *Tract. 5. c. 14.* Sequitur *secundò*; quòd Parochi ab illis solis Regularibus exigere possint vi Tridentini Quartam Funeralem, qui 40. annis ante promulgationem Tridentini Concilii habuerunt consuetudinem solvendi; non verò ab iis, apud quos non fuit consuetudo; uti declaravit citatus Pius V. Quo circa cùm consuetudo quoad nos Minores vix probari possit de Quarta tali soluta ante Trident. quia habuimus Privilegia semper cum expressa derogatione Clementinæ *Dudum*; ac etiam post Trident. currente præscriptionis tempore confirmata, quæ consuetudinem impediebant, ideo præsumendum est, quòd nulla fuerit Juridica consuetudo quoad nos Minores solvendi præfatam Quartam; adeoque nec modò in ullo loco solvere tenemur.

9. Dico septimò: Parochi non possunt plus recipere ab hæredibus in sepulturis, quæ fiunt in Ecclesiis Fratrum Minorum, aut aliorum Regularium; quàm in eis, quæ fiunt in propriis, seu aliorum Clericorum. Patet hoc ex determinatione Urbani VIII. in Decreto, *Cùm sicut Dilectus &c.* Et Paulus V. in Bulla *Expositum nobis &c.* prohibet sub excommunicationis pœnâ Papæ reservatâ, ne Parochi aliquid ultra Quartam Funeralium à Regularibus exigant, qui eam soliti fuerunt dare ante Trident. & modò dant; etsi ad hoc haberent consilium, vel mandatum, vel consensum Episcopi; quam ipsô factô incurrunt contravenientes. Et ex Bulla 21. Urbani VIII. *Dilectis Filiis &c.* tales Parochi possunt denunciari Tribunali S. Officii, & ab Inquisitoribus adversùs hæreticam pravitatem contra ipsos, ut suspectos de hæresi potest procedi. Accessit alia gravissima prohibitio nuper Clem. X. edita Romæ An. 1672. die 18. Januarii.

10. Dico octavò: Nec Fratres Minores; nec alii Regulares possunt prohiberi associare corpora defunctorum: nec Curati possunt cogere hæredes defunctorum celebrari facere Missas in suis Ecclesiis Parochialibus. Ita constituit Urbanus VIII. in Constitutione *Nuper pro parte &c.*

11. Dico nono: Cadavera defunctorum in Ecclesiis FF. Minorum, & aliorum Regularium sepelienda ab ædibus defunctorum ad Regularium Ecclesias rectô tramite possunt deferri; monitô tamen priùs, & expectatô Parochô propriô; quô venire expresse recusante, possunt iidem Regulares, etiam ipsô invitô cadavera ad suas Ecclesias transportare. Ita resolvit S. Congregatio die 14. Januarii An. 1639. pro nobis Minoritis. Decretum per extensum habetur apud Brugnoli *Tract. 4. c. 15.*

12. Dico decimò: Cadavera Minoritarum, & aliorum Regularium, decedentium extra claustra, possunt à Franciscanis, & aliis Regularibus defuncti Religiosi irrequisitô Parochô, & eô inconsultô, ad Regulares Ecclesias deferri. Ita decrevit S. Congregatio, die & Anno mox citato.

13. Dico undecimò: Quando cadavera sepelienda sunt in Ecclesiis FF. Minorum, aut aliorum Regularium, spectat ad nos, & alios Regulares declarare, an per Civitatem, vel rectam viam, sint exportanda. Ita S. Congregatio declaravit die 22. Aprilis Anno 1588. Consuetudo tamen obtinuit in his Germaniæ Provinciis, ut hæredes defuncti iter declarent.

TITULUS XXIX.

De Parochiis; & alienis Parochianis.

CAP. UNICUM.

De Quidditate Parochiæ, & requisitis, ac Juribus Ecclesiæ Parochialis; ac aliis.

1. NOta primò: Quoniam *priori tit.* actum fuit de quodam Jure speciali Ecclesiæ Parochialis, videlicet funerandi ibidem; ideò Papa consequenter *hoc tit.* tractat generaliter de aliis quoque ejus Juribus, de quibus dubia incidere possent. Diversas autem facit Vallens. & alii DD. derivationes hujus vocis *Parochia*: probabilior est, quòd origineturà Græco Παροικία, id est, *vicinia*; eò quòd Parochia sit quædam vicinia sacra, in qua Parochiani, id est, vicini, seu incolæ ejusdem habitant, & Sacramenta ibidem percipiunt ab uno Parocho, seu Præposito talis viciniæ. Ly *Parochia* etiam varias habet usurpationes; sed proùt de ea hic agitur

2. Dico primò: rectè describitur Parochia (seu Parœcia, quod idem est) quòd *sit certa aliqua Diœcesis, habens populum, certis limitibus distinctum, cum potestate fori pœnitentialis, & subditis Sacramenta administrandi.* Ly *Diœcesis* est genus; reliqua ponuntur pro differentia. Ex his, & variis Canonibus

3. Nota secundò: Varia requiri ad hoc, ut aliqua Ecclesia censeatur verè esse Parochialis; nam *primò*, debet esse authoritate Episcopi erecta, & fundata, qui designet fines, plebem seu populum constituat, ac Parochialem nominet, *can. nullus omninò, caus. 16. q. 7.* *Secundò*; ut ejus Rector habeat curam fori pœnitentialis, seu potestatem ligandi, & solvendi in foro conscientiæ, ùt habet Zerola, Barbosa, Vallens. *Tertiò*; authoritatem administrandi Sacramenta populo intra certos limites distincto; utì habent Gonzales, Chokier, Vallens. &c. *Quartò*, ut habeat fontem baptismalem, & cœmeterium, seu jus Sepulturæ; uti habet Pirh. Vallens. Barbosa, &c. *Quintò*, debet esse dotata competenter, *cap. 1. de preb. in 6.* *Sextò*, debet habere specialem Rectorem Sacerdotem, qui in ea baptismum, & reliqua Sacramenta administret populo, *cap. 1. & aliis hoc tit.* curámque animarum exerceat non alieno, sed proprio nomine.

4. Nota tertiò: complura referuntur in Canonibus Jura Ecclesiæ Parochialis; *primum* est, quòd Parochiani in ipsa baptismum, ac alia Sacramenta teneantur recipere, uti habet Innoc. Abbas, Hostiens. &c. *Secundum*, ut ibidem diebus Festis Parochiani Divina audire debeant; utì habetur *cap. ut Dominicis 2. hoc tit.* Sed hodie non obstante ejusmodi Jure Parochiani satisfaciunt obligationi audiendi Divina, & Missas, si Dominicis, & Festis diebus ea audiant in Ecclesiis Regularium; utì constat ex Bulla Leonis X. *Intelleximus.* Et alia Pii V. *Etsi Mendicantium.* Et Tridentinum, quod *sess. 22. de celeb. Miss.* videtur docere oppositum, est tantùm de consilio; non de præcepto intelligendum; utì declaravit S. Congregatio apud Zerolam; unde utitur tantùm terminis illis *Moneant Episcopi*: *Tertiò*, ut nuptiæ in tali Ecclesia solemni ritu celebrentur, & nubentes benedicantur; utì habet Pirh. Innoc. Abbas, &c. & patet ex Trident. *Sess. 24. c. 1. de Reform.* *Quartò*, ut defuncti sepeliantur ibidem; nisi elegerint sepulturam, vel habeant Sepulchrum Majorum, *cap. 1. de Sepult. in 6.* *Quintò* ut Parochiani decimas, oblationes, & primitias tali Ecclesiæ solvant, & præstent *cap. transmissa, 23. hoc tit.*

5. Nota quartò; Rectorem Parochiarum, seu Parochum ratione officii sui habere complures graves obligationes; quas vide relatas *tom. 1. hujus operis lib. 1. tit. 31. cap. 11. n. 4.*

6. Nota quintò: sicut limites seu fines Provinciarum, ac Diœcesium secundùm Jura nequeunt præscribi; ità nec limites Parochiarum, & ea, quæ finibus cohærent, *cap. Super ea, 4. hoc tit.* Parochi qui suis Parochianis non administrant spiritualia, non debent ab illis exigere temporalia; quippe quæ dantur, & debentur Ministris Ecclesiæ propter spiritualia; utì constat ex *cap. ult hoc tit.*

7. Nota sextò: Originem Parochiarum provenire primitùs ab Evaristo I. Papa, qui videns Romæ augeri populum Christianum, constituit Sacerdotes per singulas Urbis Curias, qui præberent Sacramenta, aliáque Divina populo; & hæ Curiæ seu partes Urbis deinde dictæ sunt Parochiæ. Rursùs Anno 266. Dionysius Papa aliam fecit distributionem Parochiarum per totum mundum Christianum; assignando Parochis Decimas, quæ extant intra limites Parochiæ cujuslibet, eò fine, ut ali possint; & unus alterius jus non invaderet.

TITU-

TITULUS XXX.

De Decimis; Primitiis; & Oblationibus.

CAP. I.

De Quidditate; Divisione; ac Obligatione Decimarum.

1. NOta primò: Quoniam *priori tit.* de Parochiis sermo fuit, quæ Jura Decimarum reddendarum Rectoribus earundem annexa habent; propterea Summus Pontifex rectè *hunc* addit *tit.* de ipsis Decimis, ac aliis solitis dari Parochis, aut aliis personis Ecclesiasticis Jus Decimarum habentibus. Est autem *Decima* in genere decima pars bonorum eorum, ex quibus pendi solet Principibus, vel sacerdotibus; utì constat ex *L. 2. §. 2. ff. de pollicit.* *Hoc* autem *tit.* accipitur præcisè pro decima parte bonorum, quæ pendenda est personis Ecclesiasticis. Utuntur Canones hoc nomine plerumque in plurali numero (quamvis etiam in singulari rectè usurpari possit.) ex eo, quod plerumque plurium rerum decima pars simul solvatur, v. g. agrorum, vinearum, tritici, hordei &c. Ex his

2. Dico primò: rectè describuntur Decimæ, quòd *sint pars decima omnium bonorum mobilium, seu fructuum justè quæsitorum, Ministris Ecclesiæ quotannis solvenda.* Ita Hostiens. Azor. &c. Ly *pars* est genus; reliqua ponuntur pro differentia.

3. Nota secundò: Decimæ aliæ sunt prædiales, aliæ personales, aliæ mixtæ. *Prædiales*, seu *reales* dicuntur illæ, quæ Ministris Ecclesiæ penduntur ex prædiis, seu bonis immobilibus; puta ex agris, vineis, hortis, sylvis, ædibus elocatis, obventionibus molendinorum, &c. *Personales* dicuntur eæ, quæ iisdem Ministris dantur ex rebus industriâ hominum acquisitis, *cap. ad Apostolicæ 20. hoc tit.* videlicet ex negociatione, militia, artificio, vel alia professione; item ex piscatione, venatione, & similibus. *Mixtæ* dicuntur illæ quæ sunt partim prædiales, partim personales, cujusmodi sunt, quæ dantur ex fructibus pecorum, veluti ex fœtu, lana, lacte, *cap. pervenit 5. hoc tit.* Plurimi DD. hanc tertiam classem decimarum revocant ad priores duas, constituuntque solùm duas species earum, videlicet Prædialium, & Personalium, revocando Decimas animalium ad Prædiales; quod & conformius est textui hujus *cap. tit. 20.*

4. Dico secundò: Decimæ omnino sub gravi obligatione persolvendæ sunt Ministris Ecclesiarum. Ita communis DD. Et constat ex *cap. non est 20.* & aliis *hoc tit.* Et est Ratio; quia Decimæ ordinatæ sunt pro congrua sustentatione Ministrorum Ecclesiarum, quibus inserviunt. Et quia ut ait Apostolus *1. ad Cor. 9. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestrà metamus.*

5. Dico tertiò: Si considerentur Decimæ materialiter, & secundùm substantiam, quatenus scilicet continent necessariam sustentationem Ministrorum Ecclesiæ ut stipendium necessarium, debentur ipsis Jure naturali & Divino, tam in Lege veteri, quàm nova. Ita S. Thomas, Azor. Vallen. & communis TT. contra Canonistas veteres. Ratio est; quia utrumque Jus mandat Ministris Ecclesiarum spiritualia necessaria ad salutem ministrantibus debere è contrà exhiberi necessariam sustentationem tanquam debitum stipendium: unde dicitur *Matth. 10. dignus est operarius mercede sua.* Et 1. *ad Cor. 9. quis militat suis stipendiis unquam?* & ibidem *vers. 17. nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt; & qui Altari deserviunt, cum Altari participant: sic & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciaverunt, de Evangelio vivere.* Et in Levitico *cap. 27.* rigorosè præceptæ sunt Decimæ persolvendæ Leviticæ tribui.

6. Dico quartò: si verò considerentur Decimæ formaliter, & secundùm quod important certam, & taxatam partem, scilicet decimam fructuum, in lege veteri quidem divino Jure debebantur; in Lege verò nova Evangelica solùm Jure Ecclesiastico debentur; attamen vetustissimo, & gravissimè obligante. Ita S. Thomas, aliique TT. & Canonistæ recentiores, Vallens. Covarr. Zoës. Azor. Pirh. &c. Primum de Lege veteri constat ex *cit. cap. 27. Lev.* Ratio secundi est; quia nullibi in Lege nova Evangelica extat præceptum Divinum de solvendis Decimis quatenus taxatæ sunt ad decimam partem fructuum solvendam; sed mandatur duntaxat, ut præbeatur sustentatio corporalis Ministris Ecclesiarum ministrantibus spiritualia; num autem hæc consistat in decima, vel alia parte fructuum, non exprimit S. Scriptura. Unde textus quidam canonici asserentes

rentes decimas esse non ab homine, sed à Deo institutas; uti loquitur *cap. Parochianos 14. hoc tit.* Et *cap tua 25.* Et *cap. cùm non sit, eod. tit.* intelligendi sunt de Decimis, acceptis secundùm substantiam, & materialiter. Tertium de antiquitate præcepti, & Juris Ecclesiastici ordinantis solutionem Decimarum, patet; quod illud jam à temporibus Apostolorum latum sit, in pluribus vetustissimis Conciliis; & à priscis Summis Pontificibus confirmatum, & renovatum; uti videre est in Corpore Juris Canonici *hoc tit. & eod. in 6.*

CAP. II.

Quibus personis Decimæ sint solvendæ.

1\. Nota primò: primitùs ante tempora Evaristi I. & Dionysii Paparum Decimæ omnes solvebantur & tradebantur Episcopo, ut eas deinde distribueret pro exigentia Cleri inter Clericos ministrantes Sacramenta, & peragentes alia Divina pro eorundem sustentatione; uti constat ex *lib. 2. cap. 25. Constit.* S. Clementis Papæ; Et *can. 1. & 3. caus. 16. q. 7.* Postquam autem memorati Summi Pontifices fecerunt Diœceses, & divisiones Parochiarum, ordinatum fuit, ut Decimæ Prædiarum immediatè porrigantur Ecclesiis, vel earum Rectoribus, seu Curatis, & Parochis; uti constat ex *can. Ecclesias, caus. 13. q. 1.* Et *cap. conquerente, 16. de offic. Judic. Ordin.* Et *cap. quarta 4. de præscript.* ac aliis pluribus. Et hoc ad instar Legis veteris statutum fuit, in quo quatuor Decimarum genera ordinata fuère; uti patet ex *cap. 1. hoc tit.* Ex his

2\. Nota secundò: Decimas Prædiales debere plenè, ac integrè pendi Parochis, ac Curatis; & quidem ab omnibus prædiis talis Diœcesis, seu Parochiæ; uti patet ex *cap. cùm contingat, 29. hoc tit.* Et ex *cap. cùm in tua, 30. eod. tit.* Unde quivis Curatus loci habet intentionem fundatam de Jure communi ad hujusmodi Decimas exigendas à quibuscunque; nec tenetur probare eas ad se spectare; nisi possessor alicujus prædii se ostendat munitum aliquô privilegiô exemptivô; aut consuetudo legitima aliud obtineat; uti colligitur ex *cap. à nobis 24. hoc tit.*

3\. Nota tertiò: Similiter Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum Capitulis, earúmque membris puta Præpositis, Decanis, & Canonicis, Jus Decimarum habentibus prædiales Decimæ solvendæ sunt secundùm portiones, quæ eosdem contingunt. Ita communis DD. De Canonicis constat ex *cap. ex parte 21. hoc tit.* Et est par ratio de aliis personis, ac Capitulis: nam & Capitula, & omnia ejus membra sunt Ecclesiæ Ministri, qui sustentationi egent; & vi fundationis primævæ suæ Ecclesiæ Decimas exigere possunt.

4\. Nota quartò: etiam Episcopis quibusdam adhuc hodie debentur Decimæ, & ex ipsis solvendæ sunt. Ratio est; quia hi curam animarum totius Episcopatûs habent; unde eisdem quoque debita sustentatio ex Decimis proveniens præbēda est, saltèm ubi Diœceses necdum in Parochias sunt distributæ: aut ubi extant villæ, quæ nulli Parochiæ sunt unitæ, juxta *cap. quoniam 13. hoc tit.*

5\. Nota quintò: Clericis simplicibus, seu non beneficiatis, & curam animarum non habentibus, non debentur ullæ Decimæ; uti notat Zoës. Ratio est, quia ipsi non ministrant populo; & aliunde vi solius characteris Clericalis Decimæ non solvuntur. Nec etiam debentur Religiosis vi statûs eorum; uti advertit Pirh. Ratio est, quia hi vi statûs sui non constituuntur Ministri Ecclesiæ; nec obligantur servire perpetuò in spiritualibus; uti constat ex *can. alia 6.* Et *can. pervenit 8. caus. 16. q. 1.* adeóque nec populus obligatur ex justitia ipsis solvere Decimas, seu sustentare; sed solùm ex charitate, gratitudine, misericordia, aut religione. Posset tamen aliquibus Regularibus Decimarum Jus competere ex privilegio, vel ratione beneficii, vel ratione donationis, vel si locô eleemosynæ conferantur, ut *can. ult. caus. 16. q. 1.*

6\. Nota sextò: Beneficiatis, ut Episcopis, Curatis, & aliis curam animarum habentibus debentur Decimæ à suis Diœcesanis, & Parochianis, etsi hi in Ecclesiis Regularium soleant percipere Sacramenta; uti notat Vallens. nam Decimæ annexæ sunt Ecclesiæ Parochiali; & in ea Divina audire, ac Sacramenta percipere tenentur Parochiani; & per accidens est, quod in Regularium Ecclesiis ea audiant, & percipiant. Item tametsi hujusmodi Ministri sint malæ vitæ, nihilominus eis Decimæ debentur; uti notat Abbas, Pirh. Vallens. &c. Ratio est; quia Decimæ non dantur propter vitæ probitatem; sed propter servitium spirituale.

7\. Nota septimò: Personales Decimæ (ubi adhuc solent solvi) spectato Jure communi, solvendæ sunt illi Parochiæ, in qua quis percipit Sacramenta, & Divina audit: Prædiales verò illi, intra cujus fines villæ sunt sitæ. Ita S. Thomas, Sylv. Pirh. &c. Primum constat ex

ex *Can. de Decimis 45.* & aliis *cauf. 16. q. 1.* Secundum colligitur ex *cap. cùm contingat 29. hoc tit.* Similiter Decimæ mixtæ, quæ ex fructibus, & fœtibus pecorum penduntur, solvendæ sunt illi Ecclesiæ Parochiali, intra cujus terminos pecora pabulantur; uti tradit Glossa, Pirh. &c. DD.

CAP. III.

Quæ personæ obligantur, vel non, ad solvendas Decimas; & quo loco, & tempore solvi debeant.

1. DIco primò: generaliter omnes baptizati non privilegiati, qui tenentur de manu Sacerdotis percipere Sacramenta, cujuscunq; gradûs aut Ordinis, obligantur ad solvendas Decimas; ita ut nec quidem Imperator sit immunis ab ista obligatione; nisi legitimo Jure se exemptum probet. Ita Zoës. Vallens. &c. Et constat ex *cap. commissum 4.* Et *cap. Nuncios 5.* & passim *hoc tit.* Ex hac generali regula.

2. Infertur *primò*; etiam Religiosos competentes redditus habentes obligari ad Decimarum prædialium solutionem ex suis villis; uti constat ex *cap. 3. & 4. & 10. hoc tit.* Et *cap. veniens, de transact.* Nisi Privilegiô Apostolicô, vel consuetudine firmatâ doceant se exemptos à tali solutione; uti notat Vallens. *Secundò*, etiam Judæi, & Pagani Decimas prædiales ex suis prædiis solvere tenentur; uti tenet Vallens. Abb. Oldrad. Et colligitur ex *cap. 16. hoc tit.* Estque Ratio; quia Decimæ sunt onus reale, annexum villis, ideò transit unà cum re ad quemcunq; possessorē; etiam Judæum, & gentilem, *can. Si quis Laicus, cauf. 16. q. 1.* Hi tamen non tenentur solvere Decimas personales; cùm non subsint Ecclesiæ defectu Baptismi. *Tertiò*, similiter Hæretici eas solvere obligantur ex suis prædiis; uti habet Zoës. & alii DD. Ratio est; quia hi baptisma susceperunt, & ejus ratione obligantur præceptis Ecclesiæ, à qua obligatione non se eximunt suâ hæreticâ pravitate; cùm nemo ex sua improbitate commodum consequatur. *Quartò*, etiam Clerici simplices Sacramenta à Parochis accipientes obligantur ad easdem; uti constat ex *cap. 2. hoc tit.*

3. Nota primò; Quædam personæ tamen exemptæ sunt de Jure communi, & ratione personæ à solutione Decimarum quarumcunque. Et *primò*; Summus Pontifex; uti habet Pirh. Suar. &c. *Secundò*, Episcopi, & Parochi ex debito personali non obligantur; obligari tamen possunt ex debito reali ad Decimas prædiales solvendas ex prædiis patrimonialibus, sive temporali titulo acquisitis; uti habet Suar. Laym. Pirh. &c. Primum constat ex *cap. 2. hoc tit.* Ratio secundi est; quia prædia patrimonialia transeunt ad Episcopos, & Parochos cum suo onere reali, quale est solutio Decimarum. *Tertiò*, nec Moniales, nec aliæ Regulares personæ redditus ita tenues habentes, ut de illis sustentari non possint, sed mendicare teneantur, Decimas solvunt, juxta *Extrav. Declarationes, unic. hoc tit.* *Quartò*, nec alii planè pauperes, qui solutis Decimis sustentationem necessariam non habent, ad Decimarum solutionem tenentur; uti habet Suar. Abb. Rebuff. Quamvis & hi eas solvere obligantur, quando ad meliorem fortunam pervenerint; uti notant cit. DD. *Quintò*, nec habentes privilegium Apostolicum exemptivum à solutione Decimarum, quale olim fuit concessum omnibus Regularibus in communi viventibus, colentibus propriis manibus sua prædia, *can. Decimas 47. cauf. 16. q. 1.* Et specialiter Cisterciensibus, Templariis, ac Hospitalariis in *cap. ex parte 10. hoc tit.* *Sextò*, nec obligantur solvere Decimas illi, quibus consuetudo longa introducta legitimè favet, *cap. commissum 4. hoc tit.* *Septimò*, certâ Præscriptione etiam quis absolvitur à solutione Decimarum, puta post 40. annos, *arg. cap. 4. & 6. de præscript.* *Octavò*, factâ remissione, vel compositione, *arg. cap. quia circa 22. de privil.* Et *cap. dilecti 8. hoc tit.* Circa tempus solutionis Decimarum.

4. Nota secundò: Decimas prædiales debere statim solvi, postquam fructus à solo sunt separati, *cap. cùm homines 7.* junctâ Gloss. *v. fructibus collectis, hoc tit.* Personales verò commodè solvuntur sub finem cujusque anni; sicut alii census tunc solvi solent; uti habet Pirh. & Abbas. Mixtæ ex fructibus animalium solvendæ sunt juxta consuetudinem Regionum; uti observat Suar. & Pirh. Circa locum solutionis præstandæ

5. Nota tertiò; obligatus ad Decimas prædiales solvendas, non tenetur eas deferre suis operis, & expensis ad Domum Parochi, spectato Jure communi; monere tamen tenetur eundem de separatione ipsarum à solo, ut eas curet avehi; & damnum secutum ex neglectâ avectione imputatur Parocho, uti habet Laym. Pirh. &c. Consuetudine tamen aliud circa hoc introduci potest, quod erit observandum.

CAP. IV.

Varia circa Decimas resolvuntur.

1. NOta primò: Decimæ de Jure communi inprimis præstandæ sunt de omnibus fructibus terræ; veluti *primò* de frumento, grano, fœno, vino, & leguminibus omnis generis; utì habetur *cap. ex multiplici 3.* Et *cap. non est 22. hoc tit.* *Secundò*, de fructibus arborum, hortorum, & pecorum, veluti de lana, de apibus, gallinis, columbis, &c. utì habetur *dict. cap. 22.* *Tertiò*, de proventibus molendinorum; utì constat ex *cap. pervenit 5. hoc tit.* *Quartò* ex conductione ædium, prædiorum, & cujuscunque rei; utì patet ex *cap. ex parte 21. hoc tit.* *Quintò*, imò ex omni re lucrosa; honesta tamen, & licita negotiatione; cujusmodi sunt advocatio, procuratio, militia, &c. utì patet ex *cap. Pastoralis 28. & 23. hoc tit.* Et *can. Decimæ 66. caus. 16. q. 1.* *Sextò*, præterea etiam ex rebus illicitè acquisitis Decimæ possunt exigi, & acceptari, v. g. ex agro pecuniâ usurariâ empto; utì habet Glossa, Innoc. Pirh. &c. Estque Ratio; quia fructus talis agri non ex usura sunt; sed ex DEI munere; utì dicit S. Thomas. Circa tamen plures species rerum præfatarum consuetudo Regionum obtinuit, ut Decimæ ampliùs non dentur ex fructibus eorum.

2. Nota secundò: Solus Summus Pontifex; non verò Episcopus, vel alius Prælatus potest concedere legitimum Privilegium exemptivum à Solutione Decimarum, quando Ministri Ecclesiæ aliunde sufficientem habent sustentationem. Ratio est; quia solus Papa, & non Episcopus potest Jus Canonicum relaxare; utì fusè ostensum fuit *in Prologo Juris Canonici, tom. 1. tit. 5. Prol. cap. 3.* præterquam in casibus ipsis concessis; inter quos non est iste de concessione privilegii exemptivi à solutione Decimarum. Quæ porrò Privilegia exemptiva in specie concessa sint certis Regularibus, & Clericis; & quantum ea de facto operentur, vide textum *hujus tit.* Et Glossam ibidem, ac Abbat. Pirh. hìc, Fagnan. &c. Privilegia exemptiva à solvendis Decimis amittuntur variis modis. *Primò* si Privilegium concessum progressu temporis evadat onerosum, & cedat in grave præjudicium Ecclesiæ Parochialis, vel eorum ad quos tales Decimæ aliàs pertinent seclusô Privilegiô; utì constat ex *cap. suggestum 9. hoc tit.* *Secundò*, perdunur per non usum, seu potiùs per usum contrarium, puta si 30. annos juxta *cap. 6.* vel si per 40. annos juxta *cap. 15. de Privileg.* Privilegiati solvant Decimas. *Tertiò*, amittuntur pariter per conventionem, pactionem, seu compositionem post Privilegium ritè obtentum; utì constat ex *cap. dilecti 8. & 9.* Et aliis *hoc tit.* *Quartò*, per alienationem prædiorum, quæ ratione Privilegii, Religiosis v. g. concessi exempta erant à Decimis; nam eô ipsô, quòd talia prædia vendantur sæcularibus, fiunt obnoxia solutionis Decimarum; utì observat Pirh. Suar. &c.

3. Nota tertiò: Decimæ Novalium, id est, agrorum de novo cultorum, & de quibus non extat memoria, quòd aliquando culti fuerint, regulariter debentur pariter Ecclesiæ Parochiali, in cujus finibus exsurgunt; & quidem pro modo limitum, sicut aliæ Decimæ, *cap. quoniam 13.* Et *cap. non est 22.* Et *cap. cùm contingat, 29. hoc tit.*

4. Nota quartò: malitiosè detinentes Decimas Ministris Ecclesiæ variè puniuntur; *Primò*, iisdem pœnis, quibus detinentes tributa, *can. Si tributum, caus. 11. q. 1.* Cùm Decimæ sint quædam tributa egentium animarum, *can. Decimæ, caus. 16. q. 1.* *Secundò*, semper in fame, & penuria maledicti erunt; nam timendum est, ne is qui DEO subtrahit debitum suum, DEUS ei auferat necessaria sua, *can. admonemus, caus. 16. q. 2.* E contra verò eas solvens, Dives erit; & benedictus *can. revertimini, caus. 16. q. 1.* *Tertiò*, denegantes solutionem Decimarum ægri evadunt, & morti æternæ proximi; solventes verò sanitatem adipiscuntur, ac cœlestia dona, *cit. can. Decimæ.* *Quartò*, excommunicari possunt, & debent, *can. omnes Decimæ, caus. 16. q. 7.* *Quintò*, tales subtractores Ecclesiasticâ Sepulturâ indigni sunt, utì notat Abbas, Rebuff. Glossa, &c.

5. Nota quintò: nec Episcopos, nec Reges posse Jus Decimarum percipiendarum transferre in Laicos, quatenus hoc quid spirituale est, & fundatum in titulo Spiritualis officii; utì habetur in Concil. Lateran. *can. 1. caus. 16. q. 7.* ubi Laicos possidentes Decimarum Jus Sacrilegii crimen committere asserit. Et *cap. ad hæc 15.* Et *cap. quamvis 17. hoc tit.* Quatenus tamen hoc Jus consideratur ut abstrahens à titulo, & Jure spirituali; sed est temporale quid, videlicet Jus percipiendi decimam partem fructuum, potest Laicis concedi; & tales vocantur *Laicales Decimæ.* Et in hoc sensu Summi Pontifices aliquando eas concesserunt Regibus, ac Principibus Sæcularibus ob insignia eorundem merita, & beneficia in Ecclesiam collata: aliquando in subsidium tempore belli assumpti pro defensione Ecclesiæ contra infideles

fideles, & hæreticos; quo casu Ministris Ecclesiæ debet aliunde provideri de decenti ac sufficienti sustentatione; uti advertit Laym. & Pirh. de hujusmodi Decimis Laicalibus vide plura apud Suar, Covarr. Barbos. Pirh. Sylvest. Azor. &c. Similiter de actione exigitiva; ac Judice competente causæ earundem.

CAP. V.

De Primitiis; & Oblationibus.

1. Dico primò: rectè describuntur Primitiæ, quòd *sint primi fructus agrorum, & arborum, DEO quà Largitori bonorum omnium, vel ejus Ecclesiæ oblati.* Ly *fructus* est genus; reliqua ponuntur pro differentia.

2. Nota primò: Primitiarum oblatio originem habet ex veteri Lege; nam in Exod. *cap. 23.* demandata fuit. Primitiæ in dicta Lege debitæ erant de Jure Divino; in Lege verò Evangelica olim erant ex Jure Ecclesiastico debitæ Sacerdotibus, & Ministris Ecclesiæ; utì constat ex *can. præter in fine, dist. 32.* Et *can. revertimini 65. cauf. 16. q. 1.* Hodie verò obligatio solvendi Primitias abolita est per consuetudinem contrariam; utì notat Pirh. eò quòd hujusmodi Primitiæ darentur ob sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, qui hodie aliunde sufficientem nacti sunt. Quantitas earum relinquebatur arbitrio Fidelium; communiter autem quadragesima pars fructuum dabatur; utì patet ex *cap. 1. hoc tit.*

3. Dico secundò: Oblationes hìc rectè describuntur; quòd *sint certa dona, quæ Fideles sive per se, sive per Ministrum Diaconum offerunt ad altare, vel ad manus Sacerdotis deferunt.* Colligitur ex *can. antiquos, cauf. 10. q. 1.* Ly *dona* est genus; reliqua ponuntur pro differentia.

4. Nota secundò: Oblationes differunt à Decimis, quòd oblationes fiant immediatè DEO intuitu Religionis, sive causâ Divini cultûs; licèt postea cedant in usum Ministrorum Ecclesiæ: Decimæ verò offeruntur quidem etiam DEO in recognitionem supremi dominii; ità tamen ut principaliter persolvantur tanquam stipendium debitum Ministris Ecclesiæ. A Primitiis pariter distinguuntur, quòd Primitiæ offerantur DEO in gratiarum actionem pro primis terræ fructibus, ejusdem beneficio enatis.

5. Nota tertiò: Oblationes ex natura sui sunt voluntariæ, nemóque de Lege communi tenetur diebus Festis, vel Dominicis ad eas præstandas. Unde Canones antiqui, qui videntur eas præcipere; intelligi debent de illis Oblationibus, quæ ex aliquo titulo debentur Ecclesiis, & Clericis, v. g. per modum censûs, seu pensionis; vel per modum donationis inter vivos; vel Legati in testamento relicti directè Ecclesiæ; vel quando Ministri Ecclesiæ non habent sufficientem sustentationem, quæ Oblationes in largo sensu vocantur, vel ratione consuetudinis radicatæ, & inductæ ad faciendas Oblationes.

6. Nota quartò: vetitum est à quibusdam personis recipere Oblationes: & *Primò,* à Sacrilegis *can. de viro 17. cauf. 12. q. 2.* *Secundò,* ab Usurariis, *cap. 3. de usuris.* *Tertiò,* à Raptoribus *cap. 2. de raptor.* *Quartò,* ab Oppressoribus Pauperum, *can. 2. dist. 90.* *Quintò,* à notoriè dissidentibus *cit. dist.* *Sextò,* ab extrahentibus per vim suos servos ex ædibus sacris eò confugientes, *can. minor 8. cauf. 17. q. 4.* *Septimò,* à Simoniacis, Excommunicatis, & hæreticis, & similibus peccatoribus; utì habetur in *Constit. Apost. Clem. Rom. lib. 4. cap. 6.* Quæ omnia sancita fuerunt in detestationem criminum, ut ita criminosi rejecti ab Oblationibus resipiscant; utì notat Vallens. Oblationes nequeunt percipere Laici, sub pœna excommunicationis Papalis, nec aliis percipiendas committere, *can. quia Sacerdotes 13. cauf. 10. q. 1.* Plura de his apud Barbos. Abbat. Azor. Pirh. &c.



TITULUS XXXI.

De Regularibus; & transeuntibus ad Religionem.

CAP. I.

De Quidditate, & Essentia Religionis.

1. NOta primò: in *superioribus titulis* hactenus potissimè tractatum fuit de illis personis Ecclesiasticis, qui simpliciter Clerici dicuntur; restat ergo etiam ex professo agendum de aliis, quæ vocantur Regulares; & de his statuit Papa *præsentem tit.* Dicuntur autem personæ *Regulares*, sic à *Regula* speciali, quam profitentur. Communiter etiam vocantur *Religiosi*, eò quòd sint adstricti certæ Religioni, seu statui Religioso. Circa quem statum.

2. Dico primò: benè definitur Religio, prout de ea *hoc tit.* agitur, quòd *sit sacer cœtus Fidelium colentium DEUM, & tendentium ad perfectionem majorem Christianam sub certa formula trium Votorum Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, in communi vivens, & ab Ecclesia approbatus.* Ly *Sacer Cœtus* est genus; reliqua sunt differentia. Dicitur *Religionem sacrum esse Cœtum Fidelium colentium DEUM*, ut ostendatur, non quodcunq; Collegium, aut Congregationem pluriũ hominum formare Religionẽ; sed solos illos qui DEO se dicârunt, per voluptatum carnalium mundi neglectum, & incipiunt sanctam sectari vitam. Dicitur *Fidelium colentium DEUM, & ad majorem perfectionem Christianam tendentium*, ut ostendatur distinctio Religiosorum ab omnibus aliis Christianis DEUM colentibus, & Christianam vitam ducentibus; Religiosi enim se totaliter DEO consecrant, ad Christi imitationem vitam suam perfectiùs componentes, & ad Charitatis Divinæ profectum, nobilioribus, perfectioribúsque mediis tendentes, quæ explicantur per ly *sub certa formula trium Votorum Castitatis, &c.* Additur *in communi vivens*, ut exprimatur norma, & modus rectè institutarum Religionum. Ponitur tandem; *Et ab Ecclesia approbatus*; quibus verbis innuitur, nullum cœtum Christi Fidelium censeri propriè Religionem; nisi Ecclesiæ judiciô & approbatione pro tali habeatur, uti dicetur ampliùs in sequenti conc. Unde

3. Dico secundò: ad essentiam veri statûs Religiosi, requiruntur tria Vota perpetua; & Ecclesiæ approbatio. Ita Brugnoli, Herincx, Less. Layman, & communis DD. Primum constat ex *cap. ad Monasterium 6.* in fine, *de stat. Mon.* Et est Ratio, quia Religio substantialiter tendit, ut Religiosos ad imitationem Christi, perfectionem Christianam, & maximè, ad excellentem praxim Divinæ Charitatis manu ducat: sed ad hæc maximè sunt proficua & necessaria tria Vota, perpetuæ Castitatis, perfectæ paupertatis, & integræ Obedientiæ, ergo hæc ad essentiam veri statûs Religiosi requiruntur. Probatur Minor per singula tria Vota discurrendo; & primò *de Castitate* patet ex toto *cap. 7. Epistolæ 1. ad Corinth.* ubi eximiè laudat continentiam, tanquam medium valdè proficuum ad majorem Christianam perfectionem acquirendam: unde etiam dicitur ibidem de Virgine: *beatior erit, si sic permanserit secundùm consilium meum.* Deinde Voluptates carnis valdè abalienant mentem ab exercitio expedito virtutum sublimiorum, & contemplatione Supernorum, eámque detinent in hisce terrenis carnalibus passionibus, & delectamentis: ergo Castitas è contra est valdè proficua ad imitationem Christi, ad acquirendam perfectionem Christianam, & discendam praxim Divinæ Charitatis. *De Paupertate* etiam patet; quia ipsum Divinum Oraculum inquit Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes.* Et idcircò ab eodem Matth. 5. *Pauperes Spiritu* (id est voluntariâ abdicatione egenos) appellat *Beatos*, qui possessuri sunt Regnum Cœlorum. Deinde Voluntaria Paupertas separat hominem à variis inquietudinibus, & occupationibus infructuosis circa facultates mundanas, mentémque reddit expeditam ad sui elevationem in DEUM summum, infinitum bonum: ergo etiam Paupertas est proficua ad imitandum Christum, perfectionem Christianam consequẽdam, & praxim Divinæ Charitatis formandam. Tandem etiam de Obedientia patet, quia Christus expressè requirit ad sui sequelam, & perfectionem Charitatis acquirendam, abnegationem sui, seu obedientiam Matth 16. dicens: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum*: Et Christus ipse præbens imitationis hujus

hujus exemplar, teste Apostolo ad Philip. 1. *Obediens fuit usque ad mortem* : ergo pariter obedientia conducit ad tendendum in perfectionem Christianam, imitandum Christum, & procurandum majorem DEI Charitatem: & consequenter omnia tria Vota. Ratio secundi sumitur ex perpetua praxi Ecclesiæ, quæ semper Religiones approbavit, ut veræ Religiones nuncupari possent; quam quidem approbationem ab exordio Ecclesiæ præstiterunt Episcopi; ùt habet S. Dionysius *cap. 6. Ecclesiast. Hierarch. & 10.* Subsequentibus verò temporibus Summi Pontifices sibi hujusmodi Jus approbandi reservârunt; utì patet ex Concilio Lateran. sub Innocentio III. Et Lugdun. sub Gregorio IX. quare hoc cum omnibus Religionibus practicârunt; prout constat ex diversis Bullis eorum, quæ partim in Bullario, partim in Monumentis singulorum Ordinum referuntur.

4. Nota secundò sequentia Corollaria ex Conclusione. *Primò*; non esse censendam veram Religionem illum Ordinem, in quo non emittuntur perpetua Vota Castitatis integræ; sed tantùm conjugalis; utì contingit in quibusdam Institutis Militaribus. *Secundò*; Idem esse dicendum de illis Institutis, in quibus non vovetur Obedientia rigorosa. *Tertiò*; Idem etiam esse tenendum de Congregationibus devotorum Virorum, vel fœminarum in communi viventium, sinè ulla Summi Pontificis authoritate, & robore Apostolico super hujusmodi vitam concesso. Ratio horum omnium est; quia tales cœtus non habent substantialia veri statûs Religiosi; neque sunt DEO in perfectum holocaustum oblati.

CAP. II.

De Origine; Varietate; & Perfectione Religionum.

1. NOta primò : Religiosum Institutum jam in Lege Mosaica habuisse quandam figurationem in Nazaræis DEO consecratis. In Lege verò Christiana ipsemet Christus Religiosam exhibuit vivendi formam; sicut patet ex citatis textibus S. Scripturæ pro *Secunda Conclusione.* Hæc forma Religiosæ vitæ deinde à SS. Apostolis fuit propagata, quando communitatem omnium rerum pro Fidelibus erexêre, eósque disposuère, ut pretia omnium suorum, ponerent ante pedes Apostolorum; ùt legitur *Actor. 4.* in quo S. Hieronymus, S. Thomas, & alii suspicantur Votum solemne intercessisse. Exinde successit Religio formata S. Basilii, S. Benedicti, S. Augustini, S. Bernardi, S. Norberti, S. Brunonis, S. Dominici, S. Francisci, S. Ignatii, & aliæ complures.

2. Nota secundò : Elapsis tribus circiter sæculis post mortem Apostolorum, S. Basilium circa annum Domini 350. solemnem, & primam omnium in Oriente approbatam Religionem instituisse cum sua Regula; sub qua plurimi Monachi Orientales, & Occidentales olim militârunt, & modò adhuc multæ Reliquiæ sparsim reperiuntur.

3. Nota tertiò: Eôdem sæculô, sed tardiùs constitutum fuisse alium Ordinem à S. Augustino cum sua distinctaRegula; sub qua postea institutæ fuère teste Bordono 34. Congregationes Canonicorum Regularium : Eremitarum verò 18. & tandem aliorum Religiosorum 38. ùt refert Tamburinus; ita ut in universum sub Regula Magni hujus Ecclesiæ Doctoris ordinatæ fuerint 90. Congregationes.

4. Nota quartò : Post constitutum S. Augustini Ordinem, novam longè latéque diffusam Monachorum Religionem cum distincta Regula erexit S. Benedictus, cui circa annum 520. ùt habet Brugnoli noster, initium dedit in specu Sublaci; & magìs promovit in monte Cassino. Sub Regulâ S. Benedicti, utì refert Tamburinus, Barbosa, & Bordonus, militârunt 85. Congregationes diversæ.

5. Nota quintò : S. Franciscum Assisiatem tribus præfatis Regulis, cum constitutione novi sui Ordinis addidisse quartam Regulam, circa Annum Domini 1210. primâ vice confirmatam: postea verò breviùs reductam & confirmatam ab Honorio III. Anno 1223. sub hac nunc militant FF. Franciscani Reformati (alibi Discalceati, vel Recollecti) FF. Observantes, FF. Capucini, & FF. Conventuales cum suis modificationibus, & mitigationibus.

6. Nota sextò : Totam collectionem omnium Religiosorum, & Regularum congruè dividi in 4. Classes, videlicet in Monachos, Canonicos Regulares, Mendicantes, & Religiosos Militares. *Monachi* sunt; qui solitudini, & vitæ contemplativæ vacant; *Canonici Regulares*; qui specialiter Choro addicti sunt, cum mixtura aliqua vitæ contemplativæ, & activæ, & vivunt sinè ulla mendicatione. *Mendicantes* sunt; qui & ipsi vitæ mixtæ vacant, id est attendunt tam ad opera spiritualia vitæ activæ, quàm ad contemplationem; sed ex mendicatis eleemosynis vivunt: his annumerari solent Religiosi aliqui veram vitam activam practicantes, cujusmodi sunt Redimentes captivos, servientes infirmis, &c. *Religiosi Militares* sunt, qui armis Ecclesiam defendunt.

7. Nota septimò circa primam Classem Monachorum insigniores Congregationes eorum esse sequentes. Prima est *Basilianorum*, Ecclesiæ DEI unitorum. Secunda Congregatio antiquorum *Eremitarum S. Augustini*, ab eodem Sancto fundata circa An. 390. non extat ampliùs. Tertiò huc spectant Congregationes *S. Benedicti*, quales sunt, Cassinensis, & S. Justinæ. *Cassinensis* incepit à S. Benedicto Anno 520. *S. Justina* incepit Paduæ ab Odone Abbate Anno 1410. Item Congregatio *Montis Oliveti*; quam incepit Bernardus Ptolomæus prope Senas Anno 1319. Item Congregatio *Vallis Umbrosæ*, quæ sumpsit initium à Joanne Gualberto in Valle dicta *Umbrosa* prope Florentiam Anno 1040. Quarta est Congregatio *Cistercensium*; servans pariter Regulam S. Benedicti; hæc exordium habuit in loco dicto *Cistercio* à Stephano Abbate An. 1098. vel ùt alii volunt, Roberto Abbate Molismensi: quam adeò mirificè propagavit S. Bernardus, ut meritò ejus Fundator dici possit. Quinta est Congregatio *Camaldulensium*; fundata An. 904. à S. Romualdo in loco *Camaldula* prope Aretium; etiam sub Regula S. Benedicti. Sexta est Ordo *Carthusiensium* sub suis Constitutionibus approbatis vivens, institutus à S. Brunone An. 1084. in loco *Certosa*. Septima est Congregatio *Cœlestinorum*, quæ sub Regula S Benedicti incepta fuit à Cœlestino Pontifice, prope Civitatem Sulmonam An. 1294. Octava est *Crucigerorum* inchoata An. 365. à Cyriaco Episcopo Hierosolymitano, à quo fuit Crux Salvatoris nostri præmonstrata S. Helenæ. Hic Ordo post plures sui quasi suppressiones per bella varia, & iterum supervenientes renovationes, plurimùm tandem revixit sub Pio II. An. 1466. Nona est Ordo *SSS. Trinitatis*, quam incepit in Gallia Guilielmus Dux Aquitaniæ, & Comes de Pictavia; sed quidam F. Joannes Guilielmus Socius, ejus confirmationem obtinuit ab Innocentio III. An. 1197. Ad hanc classem referendas puto alias quoque Congregationes Regularium, quæ de stabilibus redditibus vivunt, & præcisè Choro, Solitudini, & vitæ contemplativæ addictæ sunt; quæq; authoritate Apostolicâ aggregatæ non sunt Ordinibus Mendicantium: cujusmodi sunt Congregatio Religiosorum S. Pauli Primi Eremitæ, dispersorum per Regna Hungariæ, Poloniæ, & alia loca quædam.

8. Nota octavò: Ad secundam Classem Religiosorum, qui Canonici Regulares dicuntur, spectare inprimis omnes Congregationes *Canonicorum Regularium S. Augustini*, diversis temporibus à Summis Pontificibus, & aliis erectas, quas 34. commemorat Bordon: & alii. Deinde Ordo *Præmonstratensium*, fundatus à S. Norberto An. 1120. ùt habet Surius in ejus vita, in loco *Præmonstrato*, sub Regula S. Augustini. Tandem huc spectant variæ Congregationes *Crucigerorum* in Germania, Polonia, & alibi; quarum aliquæ rubram Crucem sinè stella deferunt; aliquæ Crucem cum appensa rubra stella; & aliæ nonnullæ Congregationes similes in Lusitania, & alibi florentes; cujusmodi est illa *S. Gregorii Algaba*, Venetiis originem ducens.

9. Nota nonò circa tertiam Classem: Ordines Mendicantium ex primæva institutione esse quatuor; Dominicanorum videlicet, Minorum, Augustinianorum Eremitarum, & Carmelitarum. Ordo *Dominicanorum* originem duxit à S. Dominico circa An. 1206. quô Regula ejus fuit confirmata ab Innocentio III. Ordo *Fratrum Minorum* fundatus est à S. Francisco Assisiate, & ejus Regula prima approbata 1210. Ordo *Augustinianorum Eremitarum*, quatenus Mendicantium solemniter fuit à F. Joanne Bono coadunatus; confirmatus verò ab Alexandro IV. Anno 1256. Ordo tandem *Carmelitarum* (ùt sileam ejus vetustatem, quam alii usque ad tempora Eliæ protrahunt) quatenus est Ordo Mendicantium, suæ Regulæ Institutorem habuit Albertum Patriarcham Hierosolymitanum; Confirmatorem Henricum III. Papam Anno Domini 1226.

10. Nota decimò: In his quatuor Ordinibus Mendicantium varias contigisse discriminationes, reductiones, & reformationes: sic in Ordine D. Dominici teste Brugnoli *Tract. 3. de Statu & Vita Regular. cap. 1. resolut. 8.* dicuntur esse Conventuales, & Observantes. Sic in Ordine Minorum, quoque variæ diversis sæculis Recollectiones, ac Reformationes prodierunt; de quibus infrà *cap. 8.*

11. Nota undecimò: similiter in Ordine D. Augustini præter pristinas, & F. Joannes Boni Reformationes, nonnullas contigisse reductiones, & mutationes: F. enim Rochus Papiensis, & Gregorius Cremonensis, coadunârunt quandam Congregationem Eremitarum Observantûm in Lombardia. Et quidam alii zelosi FF. aliam Discalceatorum erexerunt, qui deferunt habitum strictiorem, & Capucium acuminatū. Tandem etiam in Carmelitano Ordine reperiuntur Conventuales, Observantes, & Discalceati: Discalceatorum Institutum quoad reformationem inceptū fuit à S. Theresia, & à Gregorio XIII. confirmatum.

12. Nota duodecimò: His quatuor solemnibus Ordinibus, qui ex Jure communi dicuntur *Mendicantes*, à Summis Pontificibus per

per varia Privilegia Apostolica esse annumeratos sequentes. Primò; appositus est Ordo *Servorum*, à 7. Nobilibus viris Florentinis An. 1233. institutus in monte Senario propè Florentiam; & confirmatus, ac inter Mendicantes computatus ab Alexandro IV. Pontifice; hic observat Regulam S. Augustini. Secundò, Ordo *Minimorum*, fundatus à S. Francisco de Paula An. 1436. approbatus, & inter Mendicantes computatus à Sixto IV. Tertiò, Ordo S. Hieronymi *Jesuatorum*, seu *Clericorum Apostolicorum* dictus, qui institutus fuit à B. Joanne Columbino Senensi An. 1355. & approbatus, ac recensitus inter Mendicantes ab Urbano V, Religiosi hujus Ordinis dicuntur Jesuati, propter Verbum SS. Nominis JESU, ore ipsorum frequenter solitũ proferri; dicuntur etiam S. Hieronymi, propter specialem cultum, quem isti sancto impendunt. Quartò, Ordo *Theatinorum Clericorum Regularium*, fundatus à Petro Caraffa, & S. Cajetano Anno 1524. & confirmatus à Clemente VIII. Quintò, Congregatio *Somoschorum S. Majoli*, quæ cœpit An. 1526. per Hieronymum Æmilianum Patritium Venetum; & confirmata est à Paulo III. An. 1540. Sextò, Congregatio *Oratorii Clericorum sæcularium*, cujus Institutor fuit S. Philippus Nerius An. 1550. Confirmata est à Gregorio XIII. An. 1575. Septimò, Congregatio *Ministrantium Infirmis Clericorum Regularium*, exordium habuit à Camillo de Sellis An. 1586. Octavò, *Societas JESU*, cujus Author fuit S. Ignatius Loyola Anno 1537. hanc confirmavit Paulus III. & Gregorius XIII. Nonò, Congregatio *Mercedis*, seu *Redemptionis Captivorum* apud Turcas, & Paganos; hæc primordia sũpsit à S Petro Nolasco, B. Raymũdo, & Jacobo Arragoniæ Rege An. 1218. in Hispania. Decimò, Congregatio *Clericorum Regularium S. Pauli*, quos passim vocant Barnabitas. Undecimò, Congregatio *Clericorum Pauperum Matris DEI Scholarum piarum*, quæ incepta est à Josepho Calasantio; & confirmata à Paulo V. An. 1614.

13. Nota decimò tertiò circa quartam Classem: Ordines Militares, ex veris tamen Religiosis constitutos, sectantibus meram activam vitam, esse sequentes. Primò, Ordo Militaris *S. Joannis Baptistæ*, cœpit Hierosolymis An. 1099. hodie vocatur Ordo *Melitensium Equitum*. Eorum obligatio est Christianos à Turcis defendere. Secundò, Ordo Militaris *de Calatrava*; est institutus in Hispania à Sancio III. Rege Castellæ, & Legionis An. 1158. Tertiò, Ordo Militaris *Alcantaræ*; exordium sumpsit in Hispania An. 1174. à Domino Gomezio Hervandez. Quartò, Ordo Militaris *S. Jacobi*, institutus in honorem S. Jacobi tempore Regis Hispaniarum Ramiri, post obtentam insignem Victoriam contra Saracenos, auxiliò S. Jacobi. Quintò, Ordo *de Avis*, inchoatus An. 1147. tempore Alphonsi Henrici I. Regis Lusitaniæ. Sextò, Ordo Militaris *Teutonicus* in Germania; Ordo Militaris *JESU Christi*, *De Monresa*; Ordo *Militiæ Christianæ*; & *Immaculatæ Conceptionis B. V.* ab Urbano VIII. An. 1624. institutus; & nonnulli alii per Europam dispersi. His olim annumerabatur Ordo Templariorum; sed hic est extinctus; eò quòd ipsius sectatores cum Saracenis in Christianum nomen conspirâsse ferebantur, ac ob alia motiva.

14. Nota decimò quartò: Varias itidem extare Congregationes verè Religiosas fœminarum; cujusmodi sunt Moniales *S. Scholasticæ*; *S. Catharinæ Senensis*; *S. Claræ*; *S. Colettæ*; *S. Elisabeth*; *S. Brigittæ*; *S. Theresiæ*. Item earum, quæ degunt sub regimine PP. Cistercienſium, Præmonstratensium, Augustinianorum, Servitarum, Theatinorum, & aliorum quorundam Religiosorum. Item *Ursulinæ*; *Canonicæ Regulares*; *Annunciatæ*; *Urbanistæ*; *Conceptionistæ*; & plures aliæ per Christianitatem dispersæ. Ex quibus Ordinibus, Religionibus, & Religiosis Congregationibus apparet varius, mirus, & copiosissimus Cultus, qui à tot diversis perfectis, & à mundi tumultu sequestratis Ministris Religiosis DEO Optimo Maximo exhibetur, in confusionem Acatholicorum, latrantium contra Instituta Religiosorum.

15. Dico primò: Ex his omnibus Religionibus illæ erunt perfectiores, quæ magìs accedunt ad actiones vitæ contemplativæ, & activæ simul, ordinando media dicto fini assequendo, scilicet Charitati DEI, & proximi magìs congrua. Ita S. Bonaventura, S. Thomas, Corduba, Brugnoli, Suar. & communis TT. Et ita inprimis sentiunt SS. PP. Ambrosius *lib. 1. de Virgin.* S. Augustinus *lib. 19. de Civitate DEI cap. 15.* D. Chrysostomus *Hom. 17. ad Populum Antiochenum.* S. Gregorius Nazianzenus *Exhort. ad Virgin.* & alii. Deinde Ratio etiam est, quia norma vivendi mixta, & contemplativa & activa, est conformior Vitæ Christi, qui fuit totius perfectionis exemplar: Item est Professioni simillima: Et tandem summè conducit ad impletionem perfectam illius præcepti de diligendo DEO, & proximo, in quo consistit universa Lex, & Prophetæ: adeòque illæ Religiones erunt perfectiores, quæ magìs accedunt ad actiones vitæ contemplativæ, & activæ simul.

CAP

CAP. III.

De Capacibus Ingressûs in Religionem.

1. Dico primò: Omnes personæ, quæ sunt sui Juris, possunt ingredi Religionem; qui verò sunt alteri obstricti, non possunt, nisi de ejus assensu. Ita Herincx, Less. &c. DD. Ratio primi est; quia Personæ, quæ sunt sui Juris, possunt alias mutationes circa se facere, & assumere novum statum; & consequenter ingredi Religionem. Ratio secundi est; quia nemo obligationis vinculum, quô quis tertio est obstrictus, sinè assensu, & licentia tertii solvere valet, v.g. vinculum juratum, quô Episcopus alligatus est suæ Ecclesiæ Sponsæ, & Romano Pontifici; fieret enim tertio grave præjudicium: adeóque qui alteri est obstrictus, non potest ingredi Religionem sinè ejus assensu.

2. Dico secundo: Liberi invitis parentibus, & iisdem inconsultis, dum obex timetur, possunt ingredi, & profiteri Religionem. Ita S. Thomas, Laym. Less. Azor. & alii DD. Et primò constat ex *cap. cùm Virum, de Regularibus*, ubi dicitur de Filio, *Cùm liberum habeat arbitrium circa electionem propositi, parentum sequi non cogitur voluntatem.* Secundò patet ex SS. PP. signanter D. Hieronymo *Epist. ad Heliodorum*; *Licèt parvulus ex collo pendeat nepos; licèt sparso crine, & scissis vestibus ubera, quibus te nutrierat Mater ostendat; licèt in limine Pater jaceat; per calcatum perge Patrem, siccis oculis ad vexillum Christi evola; solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.* Tertiò colligitur ex Concil. Tribur. *Can. 24.* relatô *caus. 20. q. 2. can. 2.* ubi dicitur; *Si in fortiori* (id est pubertatis) *ætate adolescentula vel adolescens servire DEO elegerit, non est potestas parentibus prohibendi*: adeóque Liberi invitis, & inconsultis quandoque parentibus possunt ingredi, & profiteri Religionem. Decens tamen est, ut de ejusmodi ingressu parentes à Liberis consulantur, quando probabiliter eis nullum obicem, vel moram objecturi sunt.

3. Dico tertiò: Filius habens Patrem extremâ vel gravi egestate antecedente pressum, non potest ingredi Religionem; quòd si autem eam sit ingressus etiam jam professus obligatur de licentia sui Superioris egredi; si alia via non pateat Patri succurrendi. Ita Herincx, Less. Navar. Major, & plures alii DD. Estque Ratio; quia Filius est Patri taliter egeno Jure Divinô, & naturali obligatus alimentis succurrere: est enim fructus, & pars Patris, & à Patre accepit esse: obligatio autem Juris naturalis, & Divini, ingressu Religionis, vel voto permanendi stabiliter in Religione tolli non potest, neque ejus impletionem DEUS tunc petit; uti colligitur ex illo *Matth. 9. Misericordiam volo, & non Sacrificium*: Hæc tamen obligatio non se extendit ad casum, quô Fratres, vel Sorores simili paupertate laborarent; uti habet Herincx, Less. & alii: cùm tam arcta dependentia Religiosi ad suos Fratres, vel Sorores nunquam reperiatur.

4. Dico quartò: Filius professus, & egressus ex Religione ad succurrendum Patri egeno, sublatâ egestate, vel interveniente morte Patris, obligatur repetere Religionem suam. Ratio est; quia obligatio major Juris naturalis, & Divini Filii erga Patrem alimentandum jam est extincta; quare iterum incipit alia minor reviviscere, de Obedientia semel Prælato Regulari promissa in Professione.

5. Dico quintò; Conjuges post consummationem Matrimonii absque mutuo consensu nequeunt ingredi Religionem; & ingressi invalidè profitentur; & pars læsa potest alteram ingressam, & professam repetere; aliter dicendum ante consummationem Matrimonii. Ita Herincx, Less. Sancius, & alii AA. Primum & secundum constat ex *cap. Quidam.* Et ex *cap. Placet; de conversione Conjugatorum*; ubi duo menses Conjugibus conceduntur, quibus non tenentur consummare Matrimonium; sed deliberare de ingressu Religionis, & liberè ingredi; imò etiam post consummationem, si Vir per vim, vel metum gravem intra duos primos menses id consummaverat; uti habet Palud. Panorm. Less. Sanch. &c.

6. Dico sextò: Neque servi absque Domini consensu; neque debitores qui non sunt brevi solvendo; neque ratiociniis reddendis obligati; neque deflorans Virginem cum sponsione Matrimonii; neque impuberes possunt ingredi Religionem: Ita Less. Sylv. Herincx, & alii DD. Primum deciditur in *can. Si quis caus. 17. q. 2.* Estq; Ratio; quia Servus quoad omnes suas actiones est sub potestate, & Jure sui Domini. Secundi, tertii, & quarti, Ratio est; quia ingressus Religionis, uti dictat æquitas naturalis, non potest fieri cum damno proximi, cui Debitor ob æs alienum est graviter obstrictus: neque cum damno temporali eorum, quibus reddi debent rationes vi prævii Contractûs; neque cum præjudicio fœminæ, cui Matrimonium promissum est ob usum corporis; alioquin plurimæ passim fraudes, & injustitiæ committerentur ab ingredientibus Religionem hoc fine, ut se exonerent ab onere semel contracto. Quinti quoque Ratio est; quia impuberes in omnibus subjecti sunt dispositi-

diſpoſitioni Parentum, & Tutorum; uti liquet ex communi diſpoſitione Juris, & conſuetudine.

CAP. IV.

De Conditionibus requiſitis ad validandam Profeſſionem; & Ratificatione invalidæ.

1. NOta primò: à DD. duplicem rectè aſſignari modum profitendi: Tacitum, & Expreſſum. *Expreſſus* eſt, dum conceptâ certâ, & in Religione uſitatâ formulâ profitens ſe seriò obligat Religioni coram Prælato, vel ejus Delegato. *Tacitus* eſt; quô quis actiones tales exercet proprias, quæ propriæ ſunt Profeſſorum, & indicant ex Juris diſpoſitione Religioſũ Profeſſũ: tales actiones ſunt, Profeſſorum habitum per tres dies deferre poſt finitum Novitiatum; utì habetur *cap. Ad noſtram, de Regular.* Et *cap. Conſtitutionem, tit. eodem, in 6.* Item ſi habitu Profeſſorum proprio poſt Novitiatum indutus exerceat opera propria Profeſſorum, ſuffragando v. g. in Capitulo; habetur *cap. Vidua, de Regular.* Item ſi in illa Religione, in qua quoad habitum non diſcriminantur Novitii à Profeſſis, integrô annô incedat in communi veſte Religioſa, poſt decurſum anni illicò cenſetur eſſe de numero Profeſſorum; habetur in *Clem. Eos, de Regular.* Et in *cap. Ex parte 22. de Regular.* De utraque Profeſſione hoc procedit Capitulum.

2. Dico primò: Ad valorem Profeſſionis Religioſæ ſubſtantialiter requiritur ætas Canonica ſedecim annorum completorum, ubi Tridentinum eſt receptum; ubi verò non eſt receptum, ſufficiunt pro fœminis duodecim; pro maribus quatuordecim; qui ſi Ordinem Mendicantium profiteri velint, debent addere decimum quintum annum pro Novitiatu. Ita Leſſ. Herincx, Sylv. & communis. Primum determinatur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 15. de Regular.* Secundum patet ex diſpoſitione Juris Canonici, quod ſervandum eſt in iis Provinciis, in quibus S. Tridentinæ Synodi decreta non ſunt uſu recepta.

3. Dico ſecundò: ſimiliter ad valorem Religioſæ Profeſſionis requiritur annus Novitiatûs poſt ſuſceptionem habitûs Religionis; qui debet eſſe phyſicè completus, de hora ad horam computatus, & continuus. Ita Navarr. Herinqx, Leſſ. Sylv. & alii. Primum conſtat ex determinatione citati Tridentini. Secundum patet ex communi DD. ſenſu; & praxi Religionum. Et quia aliàs annus non cenſetur verè compleri, niſi in ultimo ſuo momento; utì patet ex *L. Minorum. ff. de Minoribus*, ubi habetur, *Minorem adhuc dici ultimo die anni vigeſimi quinti, donec hora nativitatis recurrat*: apponit rationem: *quia ante illam horam nondum complevit viginti quinque annos.* Obſervat etiam Rodriqu. Sanch. & Herincx, in anno Biſſextili duos dies computari pro uno, quoad annum probationis complendum: ſic enim tunc Eccleſia annum computat. Tertium quoque patet; quia Eccleſia ideò præfixit annum Novitiatûs, ut profeſſurus gravamina, & auſteritates Ordinis debitè experiatur, & ſic liberiùs emittat Profeſſionem; hujuſmodi autem experimentum meliùs capitur in Novitiatu continuato, quàm diviſo. Non videtur tamen hic annus neceſſariò tranſigendus in Monaſterio; modò cum licentia, & ſub obedientia Superioris extra id degat Religioſis exercitiis addictus; utì habet Herincx, Sylv. & Sanch. Etſi conſultiùs ſit, ut intra ſeptum Religioſum Novitiatus peragatur.

4. Dico tertiò: Requiritur etiam ad validandum Profeſſionem conſenſus, ac intentio ſe obligandi Religioni. Ita Leſſ. & alii Canoniſtæ. Eſtque ratio; quia ad contrahendas obligationes aliorum Votorum, Juramentorum, & ſimilium promiſſionum, requiritur interior animus, & intentio ſe obligandi: adeóque & ad contrahendam obligationem Religionis, quæ fit in Profeſſione.

5. Dico quartò: ſimiliter requiritur ad ejuſdem validitatem conſenſus, & acceptatio expreſſa; vel tacita illius, ad quem pertinet profitentem Religioni incorporare. Ita Navar. Sylv. Laym. Leſſ. Herincx, & communis. Ratio eſt; quia Profeſſio formatur inſtar contractûs inferentis obligationem reciprocam inter profitentem, & legitimè recipientem nomine Religionis ſecundùm *cap. Apoſtolicam 16. de Regular.* & *cap. porrectum eod. tit.* ad contrahendam autem obligationem reciprocam requiritur ultro citróque conſenſus: adeóque non ſolùm ex parte profitentis; ſed etiam ex parte incorporantis requitur conſenſus, & acceptatio.

6. Dico quintò: Profeſſio, ut valida ſit, debet procedere ex animo libero, ſinè ullo prævio injuſto gravi metu, cadente in conſtantem virum. Ita Herincx, Laym. Gloſſa, Leſſ. & communis Canoniſtarum. Et colligitur ex *cap. Perlatum*; *de iis, quæ vi metûsve*

causâ fiunt. Et *cap. ult. Qui Clerici vel voventes.* junct. Gloss. verb. *Vel modica.*

7. Dico sextò: Ut censeatur esse vera Professio, & quâ profitens efficitur verus Religiosus, debet ea emitti in Religione à Summo Pontifice approbata. Ita Navar. Less. & alii DD. Et habetur in *cap. Unico; de Voto in 6.* Et patet ulterius ex *cap. 1. suprà, conc. 2.*

8. Dico septimò: similiter ad valorem Religiosæ Professionis requiritur, ut profitens in ejus emissione non intendat, aut apponat conditionem repugnantem substantiæ Religionis; vel laboret aliquô impedimentô essentiali in ea Religione. Ita Less. Navar. Herincx, Azor. &c. Estque Ratio; quia quando similes conditiones intenduntur, seu apponuntur; vel quando adsunt essentialia impedimenta, Religio non censetur acceptare Professionem; v. g. si profitens intendat sua bona stabilia castrensia retinere; vel tractu temporis inire Matrimonium; vel laboret morbô gallicô, comitiali, aut aliô, qui in hac, vel illa Religione essentialiter impedit Professionem.

9. Dico octavò: Tandem etiam requiritur ad validè profitendum, ut non interveniat error circa substantiam rei promissæ. Ita Sanch. Herincx, &c. Estque ratio; quia talis error tollit intentionem obligationis contrahendi, v. g. Si Profitens arbitretur se profiteri in Religione S. Francisci, interea autem profiteatur in Religione alia distincta Dominicana.

10. Dico nonò: si contingat Professionem esse invalidam defectu alicujus conditionis jam specificatæ, etiam multò post detectâ ejus invaliditate, & servatis certis Tridentini Regulis, potest egredi ex Religione; nisi post notitiam invaliditatis Professionem ratificaverit. Ita Less. & alii DD. Estque ratio; quia juxta Regulam Juris, *non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit.* Regulæ autem servandæ à Trident. *sess. 25. cap. 19. de Regular.* ponuntur sequentes ad impediendas multas fraudes circa frequentes reclamationes contra Professiones. *Prima*; ut egressurus reclamet intra quinquennium. *Secunda*; ut causas nullitatis Professionis quas prætendit, coram Superiore suo, & Ordinario producat. *Tertia*; ut non dimiserit habitum ante hujusmodi deductionem.

11. Dico decimò: Ad debitè ratificandam Professionem invalidam requiritur tantùm scientia de ejus nullitate, animus, & formalis intentio eam ratificandi; non item Prælati acceptatio; vel repetitio Novitiatûs. Ita Less. Sa, Navar. &c. AA. Et Ratio primi est; quia defectu scientiæ de nullitate ratificatio non censebitur esse libera ratificatio. Ratio secundi; quia in ratificatione emittitur nova Professio, & votum cum obligatione quadam notabilis momenti: adeóque debet adesse formalis intentio se obligandi. Ratio tertii est contra Azor. quia ex parte Prælati fuit vera acceptatio, & consensus in Professionem, quæ semper censetur virtualiter valida, quousque reclamet ipsemet Prælatus contra hujusmodi Professionem: ergo si suppleatur defectus admissus à Profitente, non videtur necessaria ulla nova acceptatio; unde & Jura Canonica nullam similem novam acceptationem poscunt ad ratificationem invalidæ Professionis.

CAP. V.

De Effectibus Professionis; & Novitiatûs Regularis.

1. DIco primò: Professio Religiosa debitè emissa delet meritoriè, & impetratoriè, ac ex opere operantis tantùm, omnem pœnam in purgatorio luendam. Ita S. Thomas, Herincx, Laym. Palud. &c. Et Ratio est; quia ita sentiunt SS. PP. Hieronymus *Epist. 8. ad Demetria.* Et S. Anselmus *lib. de Similitud. cap. ult.* Et S. Bernardus *Tract. de Præcept. & Dispensat.* qui idcirco Religiosam Professionem appellant alterum Baptisma, deletivum omnium peccatorum quoad pœnam. Imò Navar. Hieron. Platus, Layman. Herincx, & Sanch. sentiunt omnimodam deletionem omnium pœnarum Purgatorii, certiori, & perfectiori modô competere Votis Religiosorum, quàm Indulgentiæ plenariæ. Quem effectum etiam putat Sa, & Layman sequi ex sola devota renovatione Votorum Regularium.

2. Dico secundò: Professio Religiosa, omnia alia Vota simplicia, & Juramenta pia facit expirare. Ita Layman. Less. Herincx, & communis Canonistarum. Ratio est; quia Professio Religiosa omnes facultates, & vires professi irrevocabiliter DEO dedicat, & eum plenissimè contentat; ad eum fermè modum, quô ære alienô gravatus Creditori totam suam cedit substantiam, séque ipsum subjicit in perpetuum servum, hócque modô ei adæquatam præstat refusionem omnium debitorum.

3. Dico

3. Dico tertiò: Professio Religiosa abolet à Professo omnem Irregularitatis notam, ex defectu natalium ortam; ita tamen ut ad Prælaturas illegitimi Professi ascendere non possint, sinè dispensatione; aliæ autem Irregularitates tolli possunt solùm vi Privilegiorum Regularium. Ita Herincx, Lessius, Laym. Navarr. &c. Primum, & Secundum habetur in *cap. 1. de Filiis Presbyterorum.* Ratio Tertii est; quia nullo Jure habetur, alias species Irregularitatis evacuari vi Professionis; sed bene vi Concessionum Apostolicarum;

4. Dico quartò: Professio Religiosa abstergit maculam, ob quam ab actibus Judicialibus priùs repellebatur; & tollit omnem notam ingratitudinis, ob quam poterat exhæreditari. Ita Rebuff. Covarruvias. Layman. Glossa, Sanch. &c. Et ita colligitur ex *Authent. de Monachis*; *Collat. 1.* dicente; *Conversationis Monachalis vita sic est honestata, &c. ut omnem quidem humanam hominis maculam detergat*: quare olim maculâ legali respersus ob crimen furti, perjurii, &c. postea professus potest agere testem, & ad alios actus legitimos admitti in Judicio, de licentia sui Prælati.

5. Dico quintò: Professio Religiosa liberat à Patria potestate Professum. Ita Glossa, Laym. Sanch. &c. Estque Ratio: Tum quia Professio Religiosa totaliter transfert Professum in potestatem, & dispositionem Prælati Regularis. Tum quia ita patet ex praxi omnium Religionum, quæ suos Professos eximunt ab omni dispositione Parentum, & Tutorum.

6. Dico sextò: Professio Religiosa inhabilitat Professum ad Matrimonium postea contrahendum. Ita Laym. Less. & communis Canonistarum. Et deciditur in *cap. Quod Votum*; *de Voto in 6.* Circa effectus Novitiatûs

7. Dico septimò: Constitutus more solitô in Novitiatu aliquo Regulari, gaudet privilegiô Clericali quoad immunitatem, & quoad forum; ita ut Novitium percutiens incidat in excommunicationem; item quod Novitius non possit vocari in Judicium sæculare. Ita Sanch. Herincx, Brug, Navarr. de Graffiis &c. Primum determinatur in *cap. Religiosi*; *de sentent. Excommun. in 6.* Ratio secundi est; quia Novitius est persona Ecclesiastica, subjecta Jurisdictioni Ecclesiasticæ, seu Superioris: adeóque in favorabilibus, Privilegiis Ordinis, & consequenter etiam privilegiô fori gaudet; ita ut absolutus sit ab omni Jurisdictione sæculari, sicut Professus.

8. Dico octavò: Novitius accipit aliquale Jus ad Professionem, ita ut absque injustitia expelli non possit, quamdiu conformiter ad Religionis Regulas, & Constitutiones se gerit, neque in futurum ex Professione illius Religioni immineat aliquod malum. Ita Lugo, & alii DD. Et est Ratio; quia Religio recipiens Novitium censetur se tacitè obligare ad retinendum Novitium, quamdiu non occurrit ratio sufficiens eum dimittendi: adeóque Novitius acquirit Jus ad Professionem, correspondens illi obligationi.

9. Dico nonò: Novitius non obligatur quidem per se, & in conscientia ad observantiam Regulæ, & Præceptorum Prælati; tenetur tamen ita subjacere disciplinæ Regulari, ut violenter non resistat: & resistentes aut aliter delinquentes possunt primò castigari, & postea ejici ex Religione. Ita Sanch. Herincx, Navarr. &c. Ratio primi est; quia non videtur ex quo capite in Novitio resultet obligatio in conscientia de servanda Regula, vel præceptis Prælati; cùm necdum Votis essentialibus se obstrinxerit: ergo cùm odiosa sit, non est asserenda. Ratio secundi est; quia subjectio talis requiritur ad debitam gubernationem, & pacem Conventûs, vel Collegii, in quo moratur Novitius; & ad eam censetur se pactô virtuali obligare Novitius, dum Religiosam vestem suscipit. Ratio tertii est; quia alioquin manerent multa delicta impunita, cum præjudicio Justitiæ punitivæ: ergo &c.

CAP. VI.

De Obligationibus Professi in communi; & in particulari circa tria Vota.

1. Dico primò: Professus quilibet obligatur tendere progredi, & niti ad perfectionem Christianam. Ita S. Thomas, Tostat: Brug: & Suarez. Ratio est; quia statui Laicorum solùm dicitur à Christo Matt. 19. *Serva mandata*: statui verò Religiosorum, qui insinuatur his verbis, *si vis perfectus esse*, ulteriùs dicitur; *Vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, &c. & veni, & sequere me.* Per quæ denotantur consilia, & consequenter perfectionis sequela. Impletur autem sufficienter hæc obligatio, si Religiosus ea debitè præstare conetur, quæ in Regula sua, & Constitutionibus præscribuntur; uti habet S. Thomas, Sanch. Brugnoli, & alii. In Religiosis Mendicantibus est specialis obligatio ad perfectionem tendendi, Charitatis erga proximum, ei subveniendo, dum opus est confessionibus, Con-

Concionibus, Lectionibus, infirmorum visitationibus, Benedictionibus, Exorcismis, & similibus Charitatis operibus; quia eorum institutum tendit ad procurationem salutis proximorum: & quia ipsi sunt coadjutores Episcoporum, quorum proprium est hoc munus; uti habetur in Concil. Meld. *cap. 3.* Et Extrav. Bonifacii VIII. *Super Cathedram. §. ult. de Sepult.* Et Clem. *Dudum, eod. tit.*

2. Dico secundò: specialissima est obligatio omnium Professorum servare tria Vota substantialia Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ. Ita communis TT. & Canonistarum. Ratio est; quia ita ordinat S. R. Ecclesia. Et quia hæc Vota spectant ad substantiam statûs Religiosi; & in eorum observantia discernitur Religiosus à sæcularibus, ac aliis Ecclesiasticis personis. Veniendo in particulari ad Votum Castitatis

3. Dico tertiò: Professus habet gravem obligationem vi emissi Voti Castitatis contractam, ad abstinendum ab omni actu venereo, sive interno, sive externo; ejusmodi interni sunt morosæ turpes cogitationes, delectationes, & consensus in venerem; externi verò tactus, & aspectus impudici, copula carnalis, pollutio, &c. Ita Brug: Herincx, Less. & communis TT. Ratio est; Tum quia recensiti, & alii omnes actus venerei sunt oppositi Voto Castitatis, quod emisit Professus. Tum quia sæculares extra conjugium habent obligationem gravem hujusmodi actus non exercendi: ergo à fortiori Professi, ratione Voti particularis Castitatis: unde hi actus à Professis exerciti sunt formale Sacrilegium; quia simul opponuntur virtuti Religionis; uti habet Brugnoli, & alii AA. Circa Votum Paupertatis

4. Dico quintò: Professus obligatur ad servandam Paupertatem, ita ut non possit retinere, nec percipere Dominium, aut particulare aliquid alicujus rei temporalis, tanquam propriæ. Ita S. Thomas, Herincx, Less. Laym. Brug. & communis Canonistarum. Et constat; quia ità determinatur in *can. non dicatis aliquid proprium, caus. 12. q. 1.* Et in *cap. Monachis.* Et *cap. super quadam.* Et *cap. Cùm ad Monasterium; de statu Monach.*

5. Ex his cape sequentia Corollaria. *Primò*; Professum non posse absque peccato gravi, vel levi juxta quantitatem materiæ perfectum Usumfructum, vel Usum Juris alicujus rei temporalis, independenter ab assensu Superioris expresso, vel tacito habere; uti habet Brugnoli, & alii DD. hi enim dicunt aliquod dominium, quod pugnat cum paupertate Religiosa. *Secundò*; Neque posse habere possessionem, administrationem, aut peculium, absque facultate Prælati; ut habet Navarr. Sanch. Herincx, & Rodriqu. ob eandem rationem. *Tertiò*; Potest tamen Professus habere Usum facti, dependenter à voluntate Superioris: talis enim non pugnat cum Paupertate; ut docet Nicolaus III. in *cap. Exivit; §. Nec per hoc.* *Quartò*; Possunt etiam Professi, demptis FF. Minoribus, & quibusdam aliis, in communi habere Dominium bonorum temporalium; uti constat ex Trident. *sess. 25. de Regular. cap. 3.* Quia Paupertas solùm dicit abdicationem dominii privati bonorum temporalium. *Quintò*; Professus non potest donare, neque alienare, neque mutuo, vel commodo dare res spectantes ad Conventum, absque facultate Prælati; ut habet Sylv. Major. & Navarr: Ratio est; quia hæc sapiunt Dominium. *Sextò*; Professus non potest sibi usurpare aliquid de rebus Conventûs, v. g. esculenta, libros, aut similia, sinè licentia Superioris; uti habet Less. Herincx, Brug. & plures alii. Ratio est; quia tales res spectant ad Communitatem; unde illas auferens absque licentia committit furtum, usurpans rem invitô administratore Prælatô; qui est locô Domini. *Septimò*; Professus non potest abscondere aliquam rem, nè eam Prælatus videat, & auferat, vel semel concessum revocet; neque de ea ablata murmurare, indignari; ut habet Brug. Laym. Sylv. Ratio est; quia tales actus sunt quasi dominii independentis, sive Juris Proprietarii. *Octavò*; Professus non potest rem aliquam ad specificum usum concessam in alium usum impendere; neque potest eam per culpam latam seu negligentiam, quæ dolo æquiparatur, destruere, vel permittere interire; ut habet Layman, Less. & Sanch. Ratio est eadem quæ ante. *Nonò*; Professus non potest pro se acceptare res à quocunque donatas; neque taliter acceptas retinere; uti habet Brugnoli, Mendo. & Navarr. Ratio est eadem quæ priùs. *Decimò*; Professus non potest habere superflua; neque pretiosa: & Prælatus non potest pro his habendis dare licentiam. Ita Brug. Sylv. Less. Navarr. Ratio primi, & secundi est; quia Votum Paupertatis solam mediocritatem rerum permittit Religiosis. Tertium petitur ex Clement. *de statu Monach.* Et Trident. *sess. 25. cap. 2.* Circa Votum Obedientiæ

6. Dico quintò: Professus vi Voti Obedientiæ contrahit obligationem obediendi Regulæ, & præceptis legitimi sui Superioris, ac Summi Pontificis continentibus res honestas, licitas, & intimatas verbô, vel scriptô. Ita S. Thomas, Azorius, Herincx, & Brugnoli. Ratio est; quia per emissionem Voti Obedientiæ, Profes-

Professus abdicavit propriam Voluntatem, & perfectè se subjecit primo suo Legislatori Prælato Regulari, & Summo Pontifici, tanquam legitimis Superioribus; factúsque est complete subditus: ergo sicut subditus obligatur ad obediendum suo Domino in præceptis legitimè factis; ita & Professus suæ Regulæ, & Superioris, ac Summi Pontificis præceptis.

7. Dico sextò: Præfata obligatio non extendit se, ad obediendum quibuscunque indefinitè præceptis Superioris; sed solùm ad obediendum iis, quæ sunt secundùm Regulam. Ita S. Bonaventura, Major, Herincx, Laym. & Brugnoli. Ratio est; quia Obligatio desumitur ex intentione voventis obedientiam: vovens autem obedientiam non intendit se obligare ad obediendum quibuscunque præceptis Superiorum; sed tantùm contentis in Regula explicitè, vel implicitè.

8. Ex his sequuntur sequentia Corollaria: *Primò*; Subditum non teneri præstare obedientiam Superiori præcipienti aliquid supra Regulam, v. g. ut Professus pergat pro Missionario ad Indias, vel in Æthiopiam; vel ut sinè legitima causa, & rationabili motivo jejunet multis diebus; aut peragat austeritates inusitatas in Religione, & nullô statutô præscriptas; uti habet Brug. Gerson. S. Thomas, Corduba, &c. *Secundò*; teneretur tamen austeritates, & similes pœnalitates acceptare in pœnam delicti, vel in cautelam, nè in aliquod peccatum incidat, vel reincidat: hoc enim necessarium est ad Regulæ observantiam. *Tertiò*; tenentur Professi acceptare Reformationem, quam Superiores Generales volunt introducere, propter collapsam pristinam ordinariam Religionis disciplinam. Ratio est; quia ad talem Reformationem, & restaurationem collapsæ disciplinæ censentur se obligâsse Professi in Professione, in tali determinato Ordine; uti habet Marchant: Herincx, &c. Et quia in Regula semel professa implicitè continetur obligatio ad acceptandam ejusmodi Reformationem, utpotè necessariam ad exactam Regulæ professæ observantiam.

CAP. VII.

De Transitu Regularium, & ejectis ex Ordine.

1. Dico primò: Jus Canonicum concedit Regularibus transitum de suo Ordine ad alium arctiorem. Ita Less. Herincx, Navarr. & communis Canonistarum. Et ita permittit, *cap. Licet 18. de Regularibus*. Et patet ex praxi Regularium tolerata.

2. Dico secundò: Ad hujusmodi transitum licitè instituendum sufficit petere à Superiore Ordinario facultatem transeundi; quâ non obtentâ nihilominus fieri potest transitus; modò in transeunte adsit matura deliberatio, & studium melioris, ac securioris vitæ; & expleat integrum annum Novitatûs in arctiori Religione. Ita Less. Navar. &c. Primum, & secundùm habetur in *cit. cap. Licèt; de Regularibus*. Tertium colligitur ex *cap. sanè 16. de Regularibus*. Et est Ratio; quia transitus iste à Jure est ad consolationem, & beneficium animæ Regularium: ergo non temerè, sed cum matura deliberatione, & studio melioris, ac arctioris vitæ Religiosæ est instituendus. Quartum tandem colligitur ex Trident. *sess. 25. de Regular. cap. 15.* quod indefinitè postulat annum integrum Novitiatûs ante Professionem Religiosam emittendam; quod utique etiam se extendit ad volentem profiteri in alia Religione, ad quam priùs alibi Professus transiverat.

3. Dico tertiò: Nomine arctioris Religionis non intelligitur perfectior Religio. Ita Herincx, Less. & alii Canonistæ; contra S. Thomam, Sylv. &c. Ratio est; Tum quia ita colligitur ex *cit. cap. licèt*. Tum quia ita præsumitur sentire Ecclesiam, quæ concedit transitum Mendicantibus ad Religionem Carthusianam; uti patet ex *Extrav. viam ambitiosæ*, quæ tamen Religio in perfectione non excedit omnes Mendicantium Ordines; uti habent cit. DD. Itaque nomine *arctioris Religionis*, intelligitur Religio solùm austerior, & rigorosior in quibusdam Observantiis Regularibus, atque transeunti tutior in ordine ad operandam salutem; qualis est v.g. Religio S. Francisci; ad quam proinde docet S. Bonaventura in Opusculo quodam, *Determinans qq. circa Regulam S. Francisci cap. 12.* Jure communi posse transire Religiosum Professum cujuscunque Religionis, etiam Carthusianæ.

4. Dico quartò: Ob justam causam etiam possunt Prælati de Jure communi concedere transitum ex Religione stricta ad laxiorem; nisi obstent particulares prohibitiones Apostolicæ, vetantes hujusmodi transitum ex hac, vel illa Religione. Ita Hostien. Panorm. Sylv. Navarr. Less. Innoc. & alii Canonistæ scribentes in *cap. Non est 7.* Et *cap. significatum 11. de Regularibus.* Et practicatur in quibusdam Religionibus. Estque Ratio; quia hujusmodi concessio videtur esse quandoque necessaria

necessaria ad rectam gubernationem Religionis: & videtur id permissum in *can. 3. caus. 19. q. 3.* Dixi: *Nisi obstent particulares prohibitiones Apostolicæ*: quia pleræque Religiones obtinuerunt jam Privilegium Pontificium, impediens hujusmodi transitum: tale habent omnes Mendicantium Ordines in *Extrav. viam ambitiosæ*, ut ex eis non possit institui transitus ad Ordines non Mendicantes, præterquam ad Carthusianos.

5. Dico quintò: Religiones possunt quandoque justa de causa Religiosum ejicere. Ita Navarr. Rodriqu. Azor. Herincx, Sa. & communis Canonistarum; contra Zabarellam. Ratio est; Tum, quia ita servatur in communi omnium Religionum praxi à Summis Pontificibus nunquam reprobata, imò per privilegia specialia pluribus concessa: & supponitur in *cap. ult. hoc tit.* Tum quia hoc patet ex dictis SS. PP. D. Bernardi dicentis: *Melius esse perire unum, quàm unitatem.* Et D. Hieronymi scribentis in *Epist. ad Galat.* *Scintilla statim ut apparuerit extinguenda est, & fermentum à massa vicina semovendum, secandæ putridæ carnes, & scabiosum animal à caulis ovium repellendum, ne tota domus, massa, corpus, & pecora, ardeat, corrumpatur, putrescat, intereant*: ergo justa de causa, qualis esset vel periculum subversionis plurium Religiosorum ejusmodi Ordinis, vel Claustri; vel incorrigibilitas notoria; vel infamia incurrenda à Religione ob crimen Religiosi; vel malitiosa suppressio alicujus defectûs impedientis aliàs à Professione &c. his inquam de causis potest Religio Professum ejicere ex Religione. Circa hujusmodi autem ejectionem servanda sunt Decreta S. Congregationis Cardinalium, emanata An. 1624. die 21. Septemb. & Constitutiones particulares cujuslibet Ordinis.

6 Dico sextò: Debitè ex aliquo Ordine ejectus Professus ob culpam, adhuc tenetur servare Vota substantialia, & Regulam in iis, in quibus eum obligat sub mortali, quantum statu ejectionis patitur; licèt ex parte cesset Obedientiæ executio, ob defectum materiæ; vel superioris; liberatur tamen ab observantiis monasticis, non obligantibus sub mortali, puta à jejuniis, silentio, delectu ciborum, & Horis Canonicis, si necdum sit sacrô Ordine initiatus. Ita Herincx. Sylv. Laym. Less. &c. Ratio primi & secundi est; quia ejectio legitima non est ulla dispensatio Votorum DEO emissorum; sed tantùm quædam separatio Professi à corpore aliorum Religiosorum; unde ejectus manet verus Religiosus cum obligatione ad ea, quæ semel vovit, & quæ sub mortali servanda acceptavit: adeoque Professus ex Ordine ejectus adhuc tenetur servare Vota substantialia, & Regulam in iis, in quibus eum obligabat in Religione sub mortali. Ratio tertii est; quia observantiæ monasticæ non obligantes sub mortali, non concomitantur inseparabiliter Professionem trium Votorum substantialium, sed ordinatæ sunt, ut cum majori devotione, decore, & honestate status Religiosus servetur; à quo, cùm ejectus separetur, non videtur ad eas obligari.

7. Ex his cape sequentia Corollaria. *Primò*; Professus ejectus obligatur strictè ad Castitatem, & consequenter ad abstinendum ab omni venere, ratione Voti Castitatis; ùt, habet Sotus, Laym. & communis. *Secundò*; talis ejectus obligatur ad Paupertatem, unde bonorum, quæ acquirit solum habet usum, & administrationem; ut habet Rodriqu. Laym. Molin. Sa. &c. dominium verò acquiritur, vel Ecclesiæ Diœcesanæ, in qua habet beneficium; vel Romanæ, si nullum habeat; utì vult Abbas, Azor. & Navarr. vel certè, tale acquiritur Monasterio, unde est ejectus; utì habet Molin. Less. & alii. *Tertiò*; in ejecto virtualiter adhuc perseverat obligatio obedientiæ, etsi hæc ab eo in actum reduci non possit, eò quòd non habeat Prælatum, qui eum dirigeret.

8. Dico septimò: Professus propter aliquod crimen ex Religione expulsus, tenetur se corrigere, & petere denuò recipi in Monasterium, vel Ordinem; Prælati tamen eos recipere non tenentur; maximè si rationabiliter timeant de relapsu, vel alio Ordinis detrimento nascituro ex tali receptione. Primum habet Arrag. Sylv. Sotus, Mirand. contra Azorium, & Navar. Secundum tenet Rodriqu. Molin. S. Anton. Sanch. &c. Ratio primi est; quia ejectus ob crimen admissum manet obligatus ad servanda tria Vota substantialia; & Professione Religiosa obstrictus; adeoque tenetur se qualificare per vitæ emendationem, & postulare denuò recipi in illum statum pristinæ Religionis, in qua Vota & Professionem debitè exequi valeat. Secundum patet; quia antiqua Jura ordinantia, ut superiores suos ejectos quotannis requirant, jam in desuetudinem abierunt; & praxis in contrarium invaluit: ergo &c.

9. Dico octavò: Professus ejectus per definitivam sententiam obligari potest à Prælato ejiciente, ut vel hunc vel alium Ordinem ingrediatur; & ejectus tenetur talem ingressum procurare; vel saltèm tentare: imò ab Ordinario ad hoc potest compelli. Ita S. Bonaventura, Corduba, Miranda, Laym. & Sanch.

& Sanch. Ratio eſt; quia Prælatus ejiciens eſt verus Superior ejecti : ergo ejecto poteſt imponere obligationem redeundi, ut ſic Vota ſemel emiſſa DEO ſecuriùs perſolvantur. Accedit, quòd hujuſmodi praxis Prælatorum ſit valdè laudabilis, ſalutaris ipſi ejecto, & continens cautelam efficacem, nè ejectus in ſæculo vivens varia perpetret ſcandala, & perniciem ſuæ ſalutis operetur.

CAP. VIII.

De Regularibus, qui Fratres Minores de Obſervantia, & Reformatorum nuncupantur.

1. NOta primò : Ordinem illorum Regularium, qui nuncupantur *Fratres Minores*, fuiſſe à S. Franciſco Seraphico fundatum, in conformitate exacta primævæ vitæ Apoſtolicæ, & Evangelicæ, ac ſubmiſſum à DEO tempore Innocentii III. Summi Pontificis, ut Eccleſiæ gravem ruinam minitanti operibus ſanctis, doctrinâ, ac prædicatione ſuccurreret, eamque ſuſtentaret; utì referunt Chronica Ord. FF. Min. *par. 1.* & Lectiones Officii S. Franciſci. Et fuit idem Ordo Divo oraculo certificatus, eundem perſeveraturum uſque ad finem mundi pro Eccleſiæ emolumento, & ope; uti habetur in *cit. Chronicis.* Et *in lib. Conformitat.* Barth. Piſani. Et *annal. Wadingi*; *Sedulio*, &c. Et ideo

2. Nota ſecundò ; ut autem præfatum Divinum oraculum tantò credibilius evaderet, memoratus Ordo FF. Minorum in quibusdam Obſervantiis Regularibus pro ſæculorum varietate aliquando decreſcens, rurſus per varias reductiones, & reformationes fuit reſtauratus, & priſtinæ Evangelicæ conformitatis ſplendori reſtitutus. Unde deficiente inter quoſdam Fratres primo ſpiritu S. P. Franciſci, ſanctus Antonius de Padua, & B. Joannes de Parma Generalis, & S. Bonaventura Ordinem Seraphicum mirè reduxerunt. Poſt hos F. Gentilis de Spoleto, Paulus de Trincis, & Joannes de Stronconio, ſtrictas novas vivendi Reformationes in eundem induxêre ; ut taceam Amadeorum, Clarenorum, & eorum qui de Coletaneis, & S. Evangelio, ſeu de Capucio cognominabantur, auſteras Reformationes, quæ uſque ad tempora Leonis X floruêre ; ſub quo Pontifice Ordo Minorum diviſus fuit in duas Congregationes, Conventualium ſcilicet, & Obſervantium. Ex quibus Obſervantibus rurſus prodierunt PP. Capucini ; Item PP. Franciſcani Reformati primævam Regulæ S. Franciſci puritatem, ad literam zelantes, & obſervantes : Capucini quidem cum ſeparatione totali à vero Miniſtro Generali totius Ordinis Seraphici ; Reformati verò cum ſubjectione ad Miniſtrum Generalem, qui ſinè ulla interpolatione, tanquam verus S. Franciſci ſucceſſor ſigillum antiquum Ordinis tenet. Utroſque in ſancto ſalutaríque opere adjuvit Clemens VII. Summus Pontifex ; Capucinos quidem per Bullam *Religionis*, datam Viterbii An. 1528. Reformatos verò per Bullam *In ſuprema militantis*, datam Romæ An. 1532. Iisdem etiam FF. Reformatis Ordinationes varias ſalutares præſcripſit Gregorius XIII. in Conſtit. *Cùm illius*, & Pius V. in Conſtit. *Injunctum*, Clemens VIII. poſtea in ſua Conſtit. *Ex injuncto nobis &c.* in laudem Franciſcanorum Reformatorum ponit ſequentia : *Motu proprio ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine harum ſerie decernimus, ac declaramus, quòd ſupradicti FF. Reformati, non novam ; ſed eandem Regulam, quam B. Franciſcus condidit, & fel. rec. Honorius Papa III. Prædeceſſor noſter confirmavit ; quamq; etiam FF. de Familia, nuncupati Ordin. Min. de Obſervantia obſervant ; licèt ipſi Reformati puriùs, & juxta ipſius Regulæ literam declaratam, per recolendæ memoriæ Nicolaum III. & Clementem V. Romanos Pontifices, etiam Prædeceſſores noſtros obſervant.*

3. Dico primò : Non quivis eſt capax ingreſsûs Religionis FF. Minorum ; ſed recipiendus, & ingreſſurus debet regulariter habere ſequentes conditiones; ut ſit fidelis Catholicus, de nullo errore ſuſpectus, legitimè natus, debitis expeditus, reddendæ rationum adminiſtrationis bonorum aliquorum non obnoxius, conditione liber, ac nulla vulgari infamia notatus : & ſi pro Clerico ſit recipiendus, ut habeat ſaltem 15. annos completos ætatis, & calleat perfectè linguam latinam, ſit munitus Sacramentô Confirmationis, aut ſaltèm in Novitatu illud recepturus; ut non deſcendat, vel originem ducat, & trahat uſque ad quartam generationem ab Hebræis, Mauris, vel Hæreticis, quorum corpora, vel ſtatuæ ſunt combuſtæ ; nec ſit bannitus, vel condemnatus, nec corpore vitiatus, aut morbo gallico, vel aliâ contagioſâ infirmitate reſperſus. Ita ordinatur in Conſtitution. general. modernis *cap. 2. §. 1. n. 1. & n. 5. & 6.* Et fundant ſe *cit.* Conſtitutiones generales in Conſtitutionibus variis Pontificiis Pii IV. Bulla, *Nos.* Et Sixti V. Bulla, *Cùm de omnibus,*

omnibus. Et Clementis VIII. Bulla, *Altissimæ paupertatis*, Et Gregorii XIII. Bulla *Consuevit.* Et Gregorii XV. Bulla, *Circumspecta.* Et Trident. *sess. 25. de Regular.*

4. Dico secundò: Suscipiens habitum à Prælato Minorita Observante, vel Reformato, vel ab eorum vices gerentibus, potest ab omnibus censuris, & pœnis absolvi; ac in irregularitatibus authoritate Apostolica dispensari. Ita habent Constitutiones generales modernæ *cap. 2. §. 1. n. 13.* Et Mare Magnum Sixti IV. *Regiminis.* Bulla Clementis IV. *Volentibus.* Servatis tamen quæ in dictis Bullis Apostolicis mandatur.

5. Dico tertiò: Alterius Ordinis professus ad Ordinem FF. Minorum de Observ. & Reform. non est recipiendus, nisi habeat suorum Superiorum consensum, & facultatem specialem Apostolicam transeundi, si forsitan Ordo talis Religiosi munitus sit Bulla Apostolica cohibitoria; uti pleræque Religiones modò habent. Ita Constitutiones memoratæ generales Ordinis. *n. 22.*

6. Dico quartò: ut quis legitimè profiteri valeat in Ordine D. Francisci de Observ. & Refor. debet imprimis observare ea omnia, quæ S. Tridentina synodus. *sess. 25. cap. 15. de Regular.* præcipit. Deinde ut habeat majorem partem suffragiorum, dandorum per Fratres illius Conventûs, ubi Novitiatum egit, ut sese priùs e.. opriet penitùs; ut Christianæ doctrinæ rudimenta, & Regulam, ejúsque præcepta, æquipollentia, & præcepti vim habentia; monitiones item, & libertates Regulæ; conditiones etiam ingredientium; & recipientium sciat; uti & recitare Breviarium, si Clericus sit. Ita Constitutiones generales Ord. *cap. 2. §. 5.* sub variis numeris. Et Trident. *cit. sess. 25.* Et Sixtus V. Bulla, *Cùm de cæteris.* Et Innocentius X.

7. Dico quintò: Ad custodiam voti Castitatis specialiori modo obligantur FF. Minores. Ita Expositores Regulæ Seraphicæ. Ratio est; quia ex *cap. 11.* Regulæ Seraphicæ FF. Minores obligantur etiam ad evitanda consortia suspecta cum mulieribus, quæ licèt in se mala non forent, sed immunia ab omni impuritate; tamen in aliquo, vel aliquibus nata sunt gignere suspicionem impudicitiæ; modò suspicio talis non procedat ex mera malitia, quæ curari non debet. Notant autem Expositores Regulæ Franciscanæ, quòd suspicionis ad hoc ut resultet suspectum consortium à F. Minore, debeat dari occasio aliqua; qualis esset v. g. quærere locum obscurum, sequestratum, vel solitarium, vel tempus nocturnum, aut aliud opportunum ad colloquendum cum muliercula; vibrare aspectus fixos, vel lascivos in eandem; proferre verba dissoluta, vel impudica, vel scurrilia coram eadem, &c.

8. Dico sextò: Frater Minor Observans, & Reformatus obligatur vi voti Paupertatis emissi ad particularissimam, & altissimam Paupertatem præ cæteris Religionibus non Minoriticis. Ita constat ex Regula Franciscana *cap. 1. cap. 4. & cap. 6.* Item ex Decretalibus Nicolai III. & Clementis V. Corpori Juris Canonici insertis. Et ex Constit. general. Ordinis *cap. 6. §. 1.* ubi omnes appropriatio cibi, potûs, vestimenti, librorum, loci, cellæ, Fratribus præfatis interdicitur; demandatúrque in omnibus rebus necessariis vilitas, humilitas, & parcitas habenda, ac simplex usus facti; non verò Juris: de quo ampliùs in commendationem Altissimæ Franciscanæ Paupertatis dissero *tom. 4. schola mea Theologica dist. 4. de Virt. Cardinal. q. 4.*

9. Dico septimò: Similiter ad votum obedientiæ respectu Summi Pontificis, & suorum superiorum specialissimo modo obligatur F. Minor in iis, quæ non sunt contraria animæ suæ, & Regulæ Minoriticæ. Et constat tum ex *cap. 1. & 10.* Regulæ Seraphicæ: tum ex Constit. general. Ord. *cap. 1. §. 1. n. 1. & 3.* ubi etiam gravissimæ statuuntur pœnæ committentibus inobedientiam erga præfatas personas.

10. Dico octavò: Fratribus Minoribus observantibus, & Reformatis hodie interdictus est transitus ad alias Religiones quascunque. Ita Sorb. Politius, Sanct. &c. Et patet ex variis prohibitionibus Apostolicis super ejusmodi transitum dictorum FF. emanatis. Sic vetuit Observantes transire ad Minimos Julius II. Pius V. Et Gregorius XIII. idem præstitit S. Congregatio tempore Gregorii XIV. sic & Paulus III. Julius III. & Sixtus V. sub excommunicationis censura prohibuit Capucinis recipere eosdem Minores Observantes absque Provincialium Observantium licentia. Sic & Martinus V. & Extrav. *viam ambitiosæ* prohibuit dictos Minores, & omnes Mendicantes transire ad Monachos quoscunque exceptis Carthusianis. Et Paulus II. statuit, quòd Fratres Minores Conventuales nequeant recipere FF. Minores Observantes, ad eos confugientes. Idem præstitit Julius II. Imò refert Politius in *cap. 2.* Regulæ generatim FF. Minoribus interdictum esse transitum ad quamcunque Religionem, etiam Carthusiensium. Itaque ut quis Minor Observans, vel Reformatus licitè & validè instituere possit transitum ad aliquam

quam aliam Religionem, ad hoc fedis Apostolicæ facultas specialis est necessaria.

11. Nota tertiò: circa transitum Fratrum de Observantia ad Reformationem, & è contra, praxis Romanæ Curiæ est sequens; quòd nimirum transitus ab Observantia fiat in Capitulo, aut in Congregatione, de licentia utriusque Provincialis; vel Ministri Generalis. Transitus verò à Reformatione ad Observantiam debet quidem fieri in Capitulo, vel Congregatione; sed de consensu tantùm Ministri Provincialis, ac Diffinitorii Reformatorum; prout in Bullis Pauli V. Et Urbani VIII. ordinatur. Transeuntes autem præfatò modò in sua quisque Provincia fruuntur locò, ansianitate, præcedentiâ, ac præeminentiâ, etiam in jure subrogandi, si fuerint Patres Provinciæ. Si autem contingat Observantem transire ad Reformationem, habet annum ad deliberandum, an in illo statu manere voluerit, quo expleto superior major Reformatorum capiat informationes de vita, & moribus ex Conventu, ubi annum deliberationis transegit; & si cognoverit eum bene vixisse, poterit eum incorporare suæ Provinciæ Reformatæ; uti habet S. Congregatio à Sanctissimo D. N. Urbano VIII. consultationibus FF. Minorum de Observantia S. Francisci Cismontanæ Familliæ præposita, referente Lantusca in theat. Reg. ver. *transitus*. In transitu verò Fratris Reformati ad Observantiam non præscribitur annus deliberationis; quare si anno nondum expleto voluerit redire ad Reformationem, indiget majori facultate, scilicet Protectoris, vel sacræ Congregationis; quia habetur quodammodo pro admisso; uti habet *cit.* Lantusca. Expleto autem anno si talis transiens Reformatus tentet redire ad Reformationem, id facere debet in Capitulo, vel Congregatione, & exponere se ad annum deliberationis, sicut Observans; uti habet idem Lantusca.

12. Dico nonò: à Religione Franciscana nullus potest ejici, nisi sit incorrigibilis, & per annum in carceribus probatus in jejunio & pœnitentia. Ita Lantusca, Sanct. &c. Et habetur in quadam Ordinatione S. Congregationis Concilii Tridentini die 21. Septemb. 1624. de mandato Urbani VIII. prout extat in libello Decretorum.

13. Dico decimò: ut ejectio alicujus Minoritæ incorrigibilis ritè & legitimè fiat, debent in Capitulo, vel Congregatione generali in unaquaque Provincia eligi, & deputari sex Patres ex gravioribus Religionis, de quorum Consilio, & assensu Generalis potest ejicere talem incorrigibilem; Ita Lantusca &c. DD. Et habetur in quadam Ordinatione S. Congregationis Cardinalium Conc. Trident. Interpretum sub Urbano VIII. facta, & registrata in registro hujus Congregationis *fol. 187*.

14. Nota quartò: Si Generalis longè absit à Provincia, in qua degit incorrigibilis, ita ut cum dictis 6. Patribus convenire nequeat; tunc ad eundem debent Patres præfati mittere processum plenè instructum, cum plena causarum expulsionis expressione; ac voto, ut juxta illud Generalis possit ad sententiam exitionis procedere; uti habet eadem resolutio *cit.* S. Congregationis. Pro Provinciis autem Germaniæ, Flandriæ, & aliis remotis Orientalibus, & Occidentalibus, ac Insularum indulsit eadem S. Congregatio approbante Papa Urbano VIII. sub dato An. 1625. die 17. Aug. ut etiam Commissarii generales Regiminis, & Visitatores Provinciales triennales à P. Generali missi ad visitandas Provincias cum assistentia 6. Patrum graviorum in Capitulo, vel Congregatione generali electorum pro unaquaque Provincia, incorrigibiles Minoritas ejicere valeant. Atque interea usque ad primum generale Capitulum, vel Congregationem proximè celebrandam annuit, ut ejectio talis, servatâ in reliquis formâ Decreti hac de re editi, fieri possit à Commissariis, & Visitatoribus prædictis unà cum consilio, & assensu sex Patrum, quos ipsimet Commissarii, vel Visitatores in qualibet Provincia elegerint; uti habet eadem Ordinatio cit. S. Congregationis.

15. Nota quintò: ejectus ex Ordine S. Francisci adhuc tenetur servare Regulam Seraphicam, quoad septem ejus præcepta formalia, duo inhibitoria, quatuor præcepti vim habentia, & duodecim æquipollentia ex Declaratione Summi Pontificis. Ratio est; quia cum is hanc Regulam sit solemniter professus, & memorata præcepta in ea contineantur, per ejectionem ab eorum observantia non absolvitur.

TITULUS XXXII.

De Conversione Conjugatorum.

CAP. I.

An, & quando liceat, vel non, Conjugibus converti ad Religionem.

1. Nota primò; solent nonnunquam ingressum Religionis etiam quærere personæ Conjugatæ; quare *præcedenti titulo*, qui agebat generaliter de Religiosis, & Religionem ingredientibus, ac profitentibus, à D. Papa conjungitur *præsens* de Conversione Conjugatorum.

2. Dico primò: bene describitur Conversio Conjugatorum, de qua hìc, quòd *sit personarum matrimonió junctarum transitus ad statum Religiosum approbatum.* Ly *transitus* est genus; reliqua aptantur pro differentia.

3. Dico secundò: si certæ conditiones, & tempus observentur, licitè possunt Conjugati converti, seu ingredi, & profiteri Religionem; aliter non. Ita Glossa, & communis DD. Et constat ex *cap. verum 2. hoc tit.* Conditiones autem requisitæ, & tempus exprimuntur sequentibus. Unde

4. Nota secundò: ut unus Conjugum licitè converti, seu Religionem ingredi, & profiteri valeat, post consummatum Matrimonium requiritur consensus alterius Conjugis; insuper ut & alter Conjux, si juvenis sit, & in periculo incontinentiæ versetur, pariter Religionem ingrediatur, *cap. 1. 4. 8. & 13. hoc tit.* Et *can. Agathosa 21. cauf. 27. q. 2.* Si verò alter Conjugum senex, aut talis sit, ut sinè suspicione incontinentiæ in sæculo permanere possit, debet is votum continentiæ emittere in manibus Episcopi, *cit. cap. 4.* Et hæc omnia fieri debent interposita authoritate Ordinarii *can. S vir, cauf. 27. q. 2.* Quòd si tamen alter Conjugum in sæculo remanens non emitteret votum continentiæ, adhuc erit valida professio ingressi; uti constat ex *cit. can. Agathosa.*

5. Dico tertiò: Conjux post Matrimonii consummationem sciente, & invito altero Conjuge licitè ingredi nequit Religionem, nec validè profiteri; sed repeti potest ab altero, & cogi ad egressum è Religione; Ita constat ex *cap. 3. & 12. hoc tit.* Ejusmodi autem Conjux illegitimè professus, & ad uxorem rediens debitum matrimoniale quidem reddere tenetur; exigere autem non potest; & post mortem Conjugis ad colendam perpetuò castitatem obligatur; unde quamvis non teneatur ad Monasterium redire (cùm votum ejus fuerit irritum) aliam tamen uxorem ducere non valet *cap. cit. 3.* Et *cap. 12. hoc tit.*

6. Dico quartò: Similiter si Conjux ignorante altero Conjuge Religionem professus sit, invalida est professio, ita ut post mortem illius ad Religionem redire non obligetur; licèt si mulier sit, consultiùs aget, & ad salutem congruentius, si fuerit reversa ad Monasterium, Ita constat *cap. Placet 12. hoc tit.* Et *can. una 6. cauf. 33. q. 5.*

7. Dico quintò; si contingat consensum seu licentiam alterius Conjugis fuisse gravi & injusto metu extortam, Professio Conjugis conversi est irrita, & invalida. Ita constat ex *can. 2.* junctâ Gloss. verb. *licentiam, cauf. 33. q. 5.* Et *cap. accedens 17. hoc tit.* Idem dicendum, si licentia ingrediendi, & profitendi Religionem sit obtenta per gravem, & injustum dolum; utì constat ex *cap. veniens 16. hoc tit.* Si eveniat casus, quòd Conjuges mutuò consensu continentiam voveant, & uterque vel alter eorum profiteatur Religionem, unus alterum non potest repetere, seu revocare ad Matrimonium continuandum; utì constat ex *cap. Dudum 21. hoc tit*

8. Dico sextò: tempus intra quod unus Conjugatus possit ingredi, & licitè ac validè profiteri Religionem etiam alterô invitô, sunt duo menses Matrimonii rati, & non consummati. Ita constat ex *cap. verum 2.* Et *cap. ex publico 7. hoc tit.* Quod si maritus infra hos menses à Jure concessos per vim consummet Matrimonium cum uxore, Uxor nihilominus poterit converti seu ingredi, & profiteri validè Religionem, utì habet Sanch. Vallens. Abb. Fagn. &c. Ratio est; quia maritus intulit uxori gravem injuriam per vim aut metum gravem eandem cogendo ad consummationem Matrimonii infra duos menses: intra quos non habet jus copulam extorquendi: unde uxor injuriam passa non est privanda suo Jure convertendi ad Religionem.

CAP.

CAP. II.

Quædam alia circa Conversionem Conjugatorum resolvuntur.

1. DIco primò ; si alteruter Conjugum adulteretur potest alter innocens converti, & licitè ac validè profiteri Religionem ; Ita constat ex *can. Agathosa, caus. 27. q. 2.* Et *cap. 15. 16. & 17. hoc tit.* Debet tamen adulterium priùs legitimè probare adulteranti, & separatio illa fieri authoritate Judicis, utì notat Vallens. Quòd si autem & altera pars occultum commisisset adulterium ; quod probare non posset, non poterit ipsa Conjugem dimittere ut Religionem profiteatur ; in tali enim casu paria delicta mutuâ compensatione tolluntur *cap. fin. de adulter.*

2. Dico secundò : si unus Conjugum amplectatur publicè hæresim, & judiciô Ecclesiæ fiat separatio, potest alter fidelis licitè ingredi Religionem, validéque profiteri. Ita constat ex *can. idololatria 5. & seq. caus. 28. q. 1.* Quod etiam verum est, etsi lapsus in hæresim reverteretur ab infidelitate *cap. ult. hoc tit.* Quòd si verò non fuerit judiciô Ecclesiæ instituta separatio, tunc tenetur Conjux fidelis alterum Conjugem nuper lapsum, sed reversum ad Ecclesiam, & emendatum recipere ; neque potest converti, & Religionem profiteri, utì colligitur ex *cap. de illa, de divortiis.*

3. Dico tertiò : sicut unus Conjugatus absque licentia alterius nequit converti quoad susceptionem, & professionem Religionis, præterquam in casu adulterii carnalis, & spiritualis, id est hæresis amplexatæ ; ita pariter vir nequit absque licentia suscipere Sacros Ordines ; Ita habetur *cap. Conjugatus 5. hoc tit.* Et *Extrav. antiqua Joan. 22. de voto.* Ordo tamen susceptus absque tali licentia & voto alterius Conjugis, tenet, propter indelebilitatem characteris, qui imprimitur eô ipsô, quòd quis ordinatur ; sed sic ordinatus redire debet ad uxorem, & ad hoc cogi potest, eíque petenti tenetur reddere debitum. Itáque ut vir debitè & pacificè valeat suscipere Ordines Sacros, requiritur licentia uxoris, & ut illa voveat perpetuam continentiam si senex sit ; si verò juvenis, ut ingrediatur Religionem, *can. Episcopus, dist. 77.*

4. Dico quartò : ad hoc ut Conjugatus possit in Episcopum ordinari, debet necessariò ejus uxor priùs vovere continentiam, sacrum sibi velamen imponere, vestémque Religiosam assumere ; Ita habetur *cap. 6. hoc tit.* Quod ordinatum est ab Ecclesia ob excellentiam dignitatis Episcopalis, ob quam decens est, ut & uxores Episcoporum ad perfectioris vitæ institutum transeant. Et nè uxor remanens in sæculo associata aliis mulieribus sæpè adeat Episcopum pro gratiis obtinendis, & consanguineis dotandis, utì advertit Abbas.

TITULUS XXXIII.

De Conversione Infidelium.

CAP. UNICUM.

De Matrimonio Infidelis, & Conversi.

1. NOta primò : Quia Papa *priori titulo* egerat de Conversione Conjugatorum ad Religionem ; hac occasione in *isto* agit de Conversione Conjugum Infidelium ad fidem. Quamvis autem nomine *Infidelis* communiter veniat quivis errans in Fide vera, & Catholica ; cujusmodi est tum Paganus, Saracenus, & Judæus ; tum hæreticus quivis ; *hoc* tamen *tit.* per *Infidelem* intelligitur solus Paganus, Judæus, & Saracenus.

2. Dico primò : inter Conjuges Infideles est verum, & legitimum Matrimonium, quatenus importat quendam contractum civilem ; non autem Sacramentum, *cap. gaudemus, de divort.* Et *1. ad Cor. 7.* ubi Apostolus hortatur Conjugem ad fidem conversum manere cum Conjuge ; quod non faceret, si non esset Matrimonium verum, inter ipsos. Datur tamen facultas fideli discedendi ab infideli & contrahendi Matrimonium cum fideli ; de quo infrà *tit. de divortiis.*

3. Dico secundò : si unus Infidelium convertatur ad fidem Catholicam altero remanente in Infidelitate, communis proles assignatur converso seu fideli. Ita communis DD. Et habetur *cap. ex litteris 2. hoc tit.* Unde talis proles nata ex uno parente gentili, & altero fideli

fideli potest baptizari ; etiam contradicente Infideli, uti constat ex *cit. cap.* & *can. Judæi 10. causf. 18. q. 1.* Et quia Ecclesia habet jus illam prolem baptizandi

4. Dico tertiò : Conversio ad Fidem Catholicam non patrocinatur in gravioribus criminibus ; unde si præcessit homicidium mariti patratum à viro adhuc in infidelitate existente, per insidias, & machinationes, is conversus ad fidem non poterit ducere in uxorem viduam occisi mariti. Ita communis DD. Et habetur *cap. laudabilem 1. hoc tit.* Quod si tamen talis occisio secuta fuisset absque machinatione, v. g. in bello, tunc homicida conversus poterit inire Matrimonium cum Uxore relicta occisi ; uti habetur *cit. cap.*

5. Nota autem secundò : ut operetur præfatum impedimentum dirimens Matrimonium inter Occisorem Infidelem Mariti, & ejus uxorem, requiri, ut tam Occisor, quàm mulier Occisi cooperati sint ad necem mariti ; uti colligitur ex *cit. cap. 1. hoc tit.* Item ut ambo cooperati sint cum animo, seu intentione ineundi Matrimonium inter se ; nam si ob aliam caussam patrent homicidium, v. g. in vindictam, non contrahunt memoratum impedimentum criminis ; uti rectè advertit Sanch. Pirh. &c. Insuper ut mors sequatur ex illorum machinatione ; unde si culpâ Chirurgi, vel Physici, vel negligentiâ vulnerati sequatur, non irretiuntur dictô impedimentô ; uti colligitur ex *can. Si quis, causf. 31. q. 1.*

TITULUS XXXIV.

De Voto ; & Voti Redemptione.

CAP. I.

De Quidditate ; Divisione ; & Materia Voti.

1. NOta primò : Quoniam in *superioribus titulis* tractatum fuit de Regularibus, Conjugatis conversis, ac infidelibus ad Fidem Catholicam transeuntibus, qui omnes aliquô Votô Religionis, vel Fidei sese obstringunt ; propterea Papa subjungit *hunc tit.* de Voto in genere, ejusq; solutione, laxatione, seu redemptione.

2. Dico primò : rectè describitur Votum in genere, quòd *sit promissio deliberata & libera de meliori bono, facta DEO cum animo se obligandi.* Ly *promissio* est genus ; reliqua collocantur pro differentia. Ex hac descriptione

3. Infertur primò : varias necessarias conditiones requiri ad Votum, ut sit legitimum. Et *primò* debet esse promissio deliberata ; id est cum plena animadversione ejus, quod agitur. Item voluntaria, sinè metu, & dolo injurioso elicitum ; uti patet ex *cap. 1. & 2. de his quæ vi metûsve causâ &c.* *Secundò*, debet esse promissio de meliori bono, id est de tali opere, quod melius est, quàm ejus omissio ; uti habet S. Thomas, Less. Herincx, &c. *Tertiò* debet esse promissio facta DEO ; nam tantùm Vota DEO facta, & non homini rationem Voti habent, *cap. Magnæ 8. hoc tit.* *Quartò* dicta promissio debet fieri cum animo se obligandi, quia actus agentium non operantur ultra intentionem, à qua omnem vim habent.

4. Nota secundò : Variæ sunt divisiones Voti : & primò aliud est tacitum, aliud expressum. *Expressum* dicitur, quod emittitur conceptis & expressis verbis. *Tacitum* quod omnium judiciô censetur fieri eô ipsô, quòd vovens aliqua agat, quæ Voti sequelam annexam habent ; tale emittit suscipiens sacros Ordines. *Secundò* partitur in purum seu absolutum, & in conditionatum. *Primum* fit absque conditione addita ; ut si promittam sic, *voveo peregrinationem ad limina SS. Apostolorum.* *Secundum* fit cum additione certæ conditionis ; tale esset hoc ; *voveo peregrinationem Hierosolymam, si convaluerit meus Pater infirmus.* *Tertiò*, in personale, reale, & mixtum. *Personale* est promissio quædam solam personam contingens ; talis est votum visitandi Sepulchrum Dominicum Hierosolymis *cap. 2. hoc tit.* *Reale* est promissio alicujus rei externæ præstandæ ; ut in *cap. ex parte 18. de censibus.* *Mixtum* est promissio utrumque involvens ; tale esset votum eundi Hierosolymas, ut ab eisdem ejiciat armis Saracenos, *cap. non est, & seq. hoc tit.* *Quartò*, famosè dividitur in solemne, & simplex ; *Votum solemne* generaliter dicitur illud, quod fit cum debitis solemnitatibus, puta acceptatione Ecclesiæ, publicitate, testibus, aut juramentô adhibitis, specialiter verò, & prout de eo hìc agitur potissimè est illud, quod ab Ecclesia acceptatur, & ex ejus ordinatione est annexum susceptioni S. Ordinis : vel quod professione Religiosa Ordinis à Papa approbati continetur, *cap. un. hoc tit. in 6.* Unde duo tantùm sunt ejusmodi Vota solemnia, scilicet Votum continentiæ annexum Sacris Ordinibus ; & professionis Religiosæ. *Simplex* est, quod caret ejusmodi solemni-

solemnitate acceptationis Ecclesiæ. Ex his

5. Nota tertiò: Votum solemne, & simplex non differre essentialiter & intrinsecè; sed accidentaliter seu extrinsecè tantùm, ratione acceptationis, & ordinationis Ecclesiæ; utì constat ex *cap. unico hoc tit. in 6.* Estque Ratio, quia Votum simplex coram DEO æquè obligat, ac solemnè; utì constat ex *cap. rursus 6.* Circa Materiam Voti

6. Nota quartò: nomine *Materiæ Voti* intelligi id, quod DEO potest promitti; sive hoc sit res ipsa, quæ DEO vovetur, quæ vocatur *Materia remota* Voti: sive ipsa actio, & opus humanum voventis; quò etiam spectat abstinentia ab actione; quæ vocatur *Materia proxima*: sic v. g. Materia remota Voti dandi Eleemosynam est res materialis pecunia, panis &c. quæ à vovente datur, proxima verò est ipsa operatio, seu datio hujus rei materialis.

7. Dico secundò: Ut Materia legitima Voti habeatur, & subsistat Votum, debet opus, quod vovens promittit, esse in sua potestate. Ita Herincx, Less. Laym. Azor. &c. Ratio est; Tum quia DEUS non acceptat opera talia ad rationem Voti, quæ non sunt in potestate voventis. Tum quia est stulta promissio rei non existentis in potestate voventis v. g. ut cras fiat Papa; vel ut moriatur; quia est circa materiam moraliter impossibilem, in ordine ad quam nulla potest esse obligatio.

8. Ex his cape sequentia Corollaria. *Primò*; Votum de non admittendo ullo peccato Veniali esse invalidum; utì habet Rodriqu. Herincx, Tolet. &c. Ratio est; quia cum ordinariis auxiliis DEI non est in nostra potestate vitare omne Veniale. *Secundò*; pariter invalidum est Votum terminatum ad factum alienum. Ratio est eadem. *Tertiò* validum tamen erit Votum terminatum ad omissionem omnis peccati mortalis; ùt habent cit. DD. Ratio est; quia cum ordinariis auxiliis evitatio omnis mortalis est in potestate nostra.

9. Dico tertiò: Materia Voti sub nullitate Voti debet esse opus DEO promissario gratum. Ita Herincx, Less. Tol. Layman. &c. Ratio est; nisi opus sit gratum, id est cedens in honorem, & reverentiam Promissarii, DEUS id non acceptat ad rationem Voti.

10. Ex his resultant sequentia Corollaria. *Primò*; quosvis actus peccaminosos non esse materiam validam Voti; v. g. sacrificare hominem; sicut vovit Jephte *Judic. 11.* Dare eleemosynam ob vanam gloriam; vel ad obtinendam vindictam; vel meretricari, ut ex quæstu partem DEO possit donare, &c. Quod verum est, etsi actus peccaminosi involverent culpam tantùm venialem. Ratio est; quia adhuc per hujusmodi Votum irrogatur Divinæ bonitati gravis injuria; & in eodem quædam irrisio, & tacita blasphemia DEI continetur, ùt inquit P. Herincx. *Secundò* non est Materia valida Voti actus indifferens; nisi hic elevetur bonâ intentione ad finem bonum adhuc perseverantem. Ratio est; quia actus indifferens quà talis abstrahit à bonitate, quæ in omni Voto debet relucere.

11. Dico quartò: Materia valida Voti semper debet esse de re meliori, quàm sit ejus omissio. Ita S. Thomas, Less. Herincx, & communis DD. Ratio est; quia Votum importat quandam gratificationem DEO factam: sed hanc non importaret, si id, quod vovetur, non esset gratiùs DEO, & consequenter melius, quàm ejus omissio: adeóque materia Voti debet esse de re meliori.

12. Ex his nascitur sequens Corollarium: Vota de non suscipiendis Sacris Ordinibus; de non ingredienda Religione; non danda eleemosyna; de ineundo Matrimonio, Votum de non vovendo non esse valida; utì habent cit. AA. Ratio est; quia opposita horum sunt meliora.

13. Dico quintò: Actus tamen præcepti, adhuc sunt materia valida Voti. Ita Richard. Less. Herincx, Durandus, & alii DD. Ratio est; Tùm quia actus præcepti sunt DEO grati, & gratiores, quàm eorum omissiones. Tum quia Jacob *Gen. 28.* Votum vovit Domino, quòd ipsi soli velit cultum Latriæ præstare, & non Diis alienis; sicut colligitur ex illo dicto: *Erit mihi Dominus in DEUM*; Tum tandem, quia ita servat praxis fidelium laudata ab Ecclesia, quâ non solùm vovetur abstinentia à Matrimonio; sed etiam abstinentia ab illicitis voluptatibus carnis extra Matrimonium, quæ est præcepta omnibus.

CAP. II.

De Bonitate; & Obligatione Votorum.

1. DIco primò: Opus salutare est, Votum emittere de rebus puri Consilii, & eadem Vota reddere in ordine ad colendum DEUM. Ita Herincx, Less. noster Wetweis, & communis TT. ac Controversistarum; contra blasphemos Novatores Calvinum, & Lutherum, Vota Regularium impia proclamantes, & dicentes, SS. Franciscum, Dominicum, Bernardum, &c. damnatos esse ob eorum emissionem: nisi fortassis ea emisissent eo fine, ut liberent se à molestiis domesticis

cis uxorum, & filiorum; non autem ex intentione DEUM colendi. Ratio est; Tum quia Sacræ Literæ nos stimulant ad Votorum emissionem; ùt patet in *Psal. 75.* dicente: *Vovete, & reddite Domino DEO vestro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera.* Et *Deut. 23. Si Votum voveris non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus, si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Tum quia ab ipsamet natura homini rectè intelligenti ingeritur, esse opus salutare DEUM colere Votis cadentibus super materiam consilii: quare hæc non solùm practicârunt plures SS. Viri in utraque Lege; sed & ipsi Ethnici Diis suis solverunt quædam Vota, tanquam actus Religionis, à natura debitos Numini. Tum quia est salutare opus, & cultus DEO placens, etiam secundùm Hæreticos cit. *visitare viduas, & pupillos, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* ùt habetur *Jac. 1.* ergo & emittere Votum de rebus puri Consilii: Tum quia David vovit Domino construere Templum; ùt dicitur *Psal. 131.* Tum tandem, quia omnia Vota, de quibus agitur *Levitici 27.* & *Deut. 12. & 13.* sunt de rebus non præceptis: ergo &c.

2. Dico secundò: Opera bona procedentia ex Voto simul, sunt perfectiora, quàm elicita absque Voto. Ita S. Thomas, Less. & communis Theologorum. Ratio est; quia talia pollent duplici bonitate; unâ, quam habent secundùm speciem propriam; & alterâ, quatenus sunt actus Religionis. Deinde qui emittit Votum, & id exequitur, duo dedicat DEO, scilicet opus bonum, & boni operis facultatem; cùm privet se facultate illius omittendi: unde in hoc assimilatur donatario donanti fructus arboris, & ipsam arborem; ùt dicit D. Anselmus *lib. de similitud. cap. 84.* ergo talis ponit opera perfectiora procedentia ex Voto. Circa obligationem Votorum.

3. Dico tertiò: Votum trahit secum obligationem præstandi id, quod promissum est; & quidem obligationem gravem ex genere suo. Ita communis DD. Et primum constat tùm ex *cap. 5. hoc tit.* tum ex S. Scriptura *Conclus. 1.* citata. Tum quia ita sentiunt SS. PP. signanter S. Gregorius *Epist. ad Bonifac.* dicens: *Si enim inter homines bonæ fidei contractus nullâ solent ratione dissolvi; quantò magis pollicitatio, quam cum DEO pepigit* (scilicet homo) *sinè vindicta solvi non poterit*? Ratio secundi est; obligatio Voti spectat ad Virtutem Religionis, & fidelitatem DEO præstandam; unde ejus transgressio est notabilis irreverentia, sacrilegium, & injustitia: ergo est ex genere suo gravis. Poterit tamen ejus transgressio fieri levis, vel ex parvitate materiæ substratæ Voto, v. g. unius Salutationis Angelicæ quotidie dicendæ; ùt habet Valentia, Cajet. Lay. Rodriqu. &c. vel ob imperfectam deliberationem; ùt habet Herincx, &c. AA.

4. Dico quartò: Vota, quamcunque materiam afficiant, habent obligationem ejusdem speciei. Ita Suar. Herincx, Sanch. &c. Ratio est; quia Vota omnia tendunt ad præstandam fidelitatem DEO; unde quorumcunque transgressio opponitur tantùm Religioni, seu fidelitati erga DEUM meritò exercendæ: ergo quamcunque materiam afficiant, habent obligationem ejusdem speciei. Idcirco Pœnitens qui violavit aliquod suum Votum factum circa materiam Consilii meri, non obligatur in Confessione explicare materiam Voti; sed sufficit dicere: transgressus sum aliquod meum Votum, circa materiam non præceptam; uti docent cit. DD.

5. Dico quintò: si dubium oriatur de emissione Voti, & post industriosam disquisitionem adhuc perseveret dubium, potest vovens resolvere pro sua libertate: si verò constet de Voti emissione; dubium autem urgeat de sufficienti deliberatione, adhibitâ etiam ejusmodi disquisitione, debet resolvere pro Voto, quod proinde obligat. Ita Bardi, Herincx, & alii. Ratio primi est; quia stante tali dubiô, & eôdem perseverante post diligens examen, censetur melior esse conditio possidentis libertatem, id est ipsius voventis: ergo tunc potest pro sua libertate resolvere. Ratio secundi est; quia si constet de Voti emissione, possessio adjudicanda est Voto; & præsumitur de sufficienti deliberatione adhibita in emissione Voti; nisi evidenter oppositum demonstretur: ergo tunc vovens debet resolvere pro Voto, & se agnoscere eôdem obligatum.

6. Dico sextò; Vota interpretanda sunt modô sequenti: *Primò*; secundùm intentionem voventis. *Secundò*; si de ea non habeatur certa notitia; tunc considerari debet materia Voti, & juxta ejus naturam, & conditiones Votum est adimplendum. *Tertiò*; quòd si adhibitâ tali consideratione materiæ, necdum intentio voventis assequi possit; tunc Votum interpretari debet secundùm Verborum, à vovente adhibitorum, proprietatem, & communem usurpationem; ita tamen ut hujusmodi interpretatio fiat cum rigore, & strictò modo. Ita habet communis Canonistarum doctrina apud Abbatem, Laym. Herincx, Cajet. Sanch. &c. Primum colligitur ex *Deut. 23.* ubi mandatur *Facies, sicut promisisti DEO tuo, & propriâ voluntate, & ore tuô locutus es*; quibus verbis dicitur promissiones & Vota de-

ta debere adimpleri secundùm intentionis normam, & mensuram voventis. Secundum patet; quia deficiente normâ expressâ intentionis de servando Voto recurrendum est ad normam communem, quam natura, & conditio materiarum Voti servandam exposcunt: sic si alicui non constaret de intentione Voti terminati ad jejunium unius diei, tenetur id perficere secundùm normam communem Ecclesiæ, quam jejunium postulat; videlicet ut unicam tantùm refectionem in die adhibeat; & hanc in cibis non carnalibus. Tertium, & quartum etiam patet; quia dum de aliqua obligatione agitur, rigorosa & stricta interpretatio adhiberi debet; ùt inquit L. *Quidquid adstringendæ. ff. de Verb. obligat.* Sed Vota important gravem obligationem; cùm cedant in honorem & cultum DEI: ergo eorum interpretatio fieri debet cum rigore & stricto modo, secundùm verborum proprietatem, & usitatam usurpationem. Tota hujus Conclusionis doctrina applicari potest, & debet ad interpretationem Juramentorum.

7. Dico septimò: Exolutio Votorum cum determinatione certi temporis editorum, sub mortali fieri debet tempore determinato; nisi justâ causâ moram purges; editorum verò sinè determinatione ad hoc, vel illud tempus, fieri debet pro data prima opportunitate. Ita Sylv. Abbas, Laym. Vallens, &c. AA. Ratio primi est; quia si contractus humani ad certam temporis differentiam limitati intra tempus determinatum adimpleri debeant; quantò magis promissa cum DEO inita. Idem patet etiam ex S. Scriptura *Deut. 23.* dicente; *Cùm votum voveris Domino, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus DEUS tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Secundum constat ex *cap. non est 5. hoc tit.* Tertium patet ex cit. textu S. Scripturæ *Deut. 23.*

8. Dico octavò: Vota personalia expressè limitata ad personam, solvi debent ab ipsomet vovente; nec ab alio adimpleri possunt, cum sublatione personalis obligationis voventis. Ita Palud. Herincx, Laym. Sylv. & commu. DD. Et ita colligitur ex illo Psalmi 65. *Reddam tibi Vota, quæ distinxerunt labia mea.* Ratio etiam est; quia materia Voti personalis est actio ipsiusmet voventis, & ex ejus voluntate determinatè procedens: adeóque Votum personale solvi debet ab ipsomet vovente.

9. Dico nonò: Vota realia, non adimpleta à vovente, transeunt cum onere adimpletionis ad hæredes. Ita Herincx, Less. Laym. Sylv. & communis AA. ita resolvitur in utroque Jure; Canonico quidem *cap. Ex parte, de Censibus.* Et *cap. Licet, de Voto.* Civili verò L. 2. *ff. de Pollicitation.* ubi habentur sequentia; *si fortè qui decimam bonorum vovit, decesserit, &c. hæres ipsius hæreditariò nomine decimæ obstrictus est; voti enim obligationem ad hæredem transire constat.*

10. Dico decimò: Votum tamen Patris factum de Filio impubere, ut Religionem ingrediatur, non obligat Filium ad ingressum Religionis; nisi Filius attingens annos pubertatis id ratum habeat. Ita Glossa, Less. & communis Canonistarum. Et constat ex *cap. Cùm simus. 14. de Regularibus.* Et *can. Illud autem, caus. 20. q. 1.* Et colligitur ex Trident. *sess. 25. cap. 17. de Regularibus*, ubi ordinat, ut puellarum professio ad Religionem sit libera; non esset autem libera, si Patris Votum esset obligatorium suæ Filiæ, ut Religionem ingrediatur, & profiteatur.

11. Dico undecimò: Quando Vota Testatorum sunt mixta, partim inducunt obligationem ea solvendi in hæredibus; & partim non inducunt. Ita Palud. Less. Sylv. & S. Antonin. &c. Ratio est; quia si Votum Testatoris sit hujus Tenoris; Ego Petrus voveo peregrinationem Wartensem in Silesia, & simul offertorium aureæ torquis; hæres ejus contrahit obligationem solvendi torquem auream: quia cùm succedat in commodum reale hæreditatis, sentire debet & hoc onus annexum: non contrahit autem obligationem ipsiusmet peregrinationis; cùm hæc affecerit solam testatoris personam: ergo &c.

CAP. III.

De Redemptione Votorum; & primò per Irritationem eorundem.

Nota primò: Votum potest redimi, solvi, seu tolli quinque modis: Irritatione scilicet, Commutatione, Dispensatione, Desitione Conditionis, & Desitione materiæ, vel temporis, dum Votum est temporale. Ita Navarr. Sylv. Less. Herincx, & communis Canonistarum. Ratio patebit ex inductione, & discussione particulari singulorum modorum.

1. Dico primò: Omnium illorum Votorum obligatio evacuatur per Irritationem, quæ emissa fuêre à personis, sub perfecta alterius potestate constitutis quoad materiam Voti. Ita S. Thomas, Laym. Less. Herincx, Palud. & communis. Ratio est; quia talia Vota emissa fuêre in præjudicium alienæ potestatis. Deinde

inde dependet ab alterius consensu; quapropter secundùm communem DD. doctrinam, ex natura rei, vel saltèm ex Jure communi includunt tacitam conditionem; nisi is, cui subjaceo, contradixerit: qui si contradixerit, censentur irritari Vota, & omnem obligationem perdere. Et ita patet ex praxi ab Ecclesia, & DD. approbata.

3. Ex his cape sequentia Corollaria. *Primò*; etsi Vota particularia Religiosorum sint licita, & meritoria; uti habet Less. Sylv. Cajet. Palud. &c. tamen omnia similia irritari possunt à Superioribus legitimis, præter Votum arctioris Religionis; uti habet Soto, Angel. Sylv. Less. Herincx, & Navar. contra Cajetan. Ratio est; quia Religiosi sunt sub perfecta potestate, subjectione, & dependentia Superiorum legitimorum constituti. Dixi *præter Votum arctioris Religionis*; quia cum Jura taliter voventem sinant etiam contradicente Prælato proprio transire ad arctiorem statum Religiosum, censentur etiam simile Votum ipsius in suo valore permittere, & quoad hoc ipsum eximere à potestate irritativa Prælati. Et quia Professio Religiosa censetur cùm hac conditione facta, nisi arctiorem & meliorem elegero: uti habet Marchant. Herincx, Less. Navar. Laym. & alii AA. *Secundò*; Eandem potestatem irritativam Votorum habent Abbatissæ, & aliæ Monialium Præfectæ, respectu suarum Sororum; uti habet Herincx, Azor. Castro Palao, & alii DD. Ratio est; quia & Præfectis Monialium Sorores in eodem claustro Regulari inclusæ perfectè subjectæ, & subditæ sunt, non minus quàm Monachi suis Prælatis. *Tertiò*; Prælati Regularium, & Præfectæ Monialium, non obstante suâ priori ratihabitione Voti à subdito, vel subdita emissi, idipsum subsequenti dissensu possunt dissolvere, & irritare; uti habet Panorm. Less. Sylv. Cajet. Herincx, & Navarr. Ratio est; quia tales Prælati, vel Præfectæ per consensum priorem præstitum circa Votum, non perdunt Jus Superioritatis, & dominationis in subditum quoad illum actum Voti: adeòque non obstante priori assensu, adhuc per posteriorem dissensum possunt dissolvere Votum subditi, vel subditæ; & ipsi tenentur obedire.

4. Notant tamen bene Panormit. Cajetan. Less. & Herincx; peccare lethaliter Prælatum, vel Præfectam irritando Votum subditi, vel subditæ jam semel ratihabitum, si nulla justa causa subsit. Ratio est; quia licèt materia talis Voti sit in potestate dominativa Prælati, vel Præfectæ; est nihilominus Supremo Numini obligata; & Superiores tales obicem ponunt, ne eidem offeratur.

5. *Quartò*; Superiores Regulares non possunt directè irritare, & invalidare Vota suorum Novitiorum; benè tamen indirectè; uti habet Navarr. Laym. Herincx, Rodriqu. & communis. Ratio primi est; quia Novitii necdùm sunt perfectè mancipati obedientiæ Superiorum Regularium, per totalem subjectionem. Ratio secundi est; quia quando Vota Novitiorum Ordini præjudicium pariunt in executione, Prælati (idem est de Abbatissis respectu suarum Monialium) ea abolere, vel potiùs suspendere possunt.

6. *Quintò*; Parentes, Tutores, & Tutrices irritatione dissolvere & redimere possunt omnia Vota impuberum; uti habet S. Thomas, Herincx, Less. Laym. Sylv. Suar. & communis. Ita colligitur ex *can. Mulier, caus. 32. qu. 2.* Et ex *can. Puella, caus. 20. qu. 2.* Ratio etiam est; quia naturali æquitati valdè consentaneum est, ut pacta, & promissiones impuberum sint revocabiles, utpotè frequenter indiscretè, & inconsideratè facta, ob defectum maturi Judicii. Quare Jure etiam Gentium introductum est, ut similes sponsiones, semper censeantur factæ cum tacita conditione, si Parens, Tutor, vel Tutrix non contradixerit; qui si contradicant, penitùs earum obligatio evanescit: quod verum est; etsi Votorum executio relata, & intentata fuisset pro tempore assecutæ pubertatis; nisi puber factus ea de novo confirmasset ex plena scientia; ut observat Herincx, Lopez, Suarez, Laym. Navarr. & Marchant. quia Vota talia erant conditionata; & tractu temporis aliter non amittunt conditionem, nisi per novam ratificationem seu confirmationem. Sed

7. Nota secundò: Sola illa Vota ab impuberibus edita irritatione dissolvi possunt, quæ vergunt vel in præjudicium patriæ, & tutoriæ potestatis, vel disciplinæ, vel domestici Regiminis, vel familiæ; non verò quæ principaliter spectant DEI, Sanctorúmque cultum; uti habet Less. Herincx, Sylv. & Navar. Ratio est primi; quia sola materia dictorum Votorum v. g. peregrinationis longæ, quotidiani jejunii, & quorum executio ad regimen domesticum spectat, subjacet perfectæ potestati, & dominio Patris, & Tutoris: ergo sola illa Vota impuberum possunt irritatione dissolvi. Ratio secundi est; quia est contra materiam Votorum spectantium ad DEI, Sanctorúmque cultum, quæ non subjacet potestati Patris, & Curatoris, v. g. materia Voti ingrediendi Religionem, sumendi S. Eucharistiam, suscipiendi SS. Ordines, persolvendi certas preces: ergo similia Vota à Patre, vel Tutore nequeunt irritari.

8. *Sextò*: Domini possunt irritare Vota suo-

suorum famulorum, quæ debiti servitii præstationem impediunt; uti habet Less. Herincx, Sylv. & communis. Ratio est; quia & famuli sunt obligati ad perfectam subjectionem Dominorum; ab eisque dependent, quoad actiones certas servitiorum: unde monet Paulus ad Titum 2. *Servos Dominis suis subditos esse, in omnibus placentes*: quare hi nequeunt vovere longas peregrinationes; recitationem quotidianam Breviarii; Charitatis proximi obsequia frequentia, ob quæ notabiliter Domini servitia negligere deberent. Possunt tamen vovere actiones compatibiles cum famulatu suscepto; uti habent cit. DD.

9. *Septimò*: Maritus pariter potest suæ Conjugis omnia illa Vota facta in ipso Matrimonio irritare, quæ pariunt præjudicium Juri suo in Uxorem, vel prolibus, vel rei familiari; ùt docet Navarr. Angel. Less. Herincx, & Sylv. Ratio est; quia Vir est caput Mulieris, & ipsa in materia prædictorum Votorum est Viro subjecta; & de ejusmodi subjectione hìc intelligitur ille textus D. Pauli, ad Ephes. 5. Mulieres Viris suis in omnibus sint subjectæ, sicut Ecclesia Christo. Unde potest Maritus dissolvere Uxoris Votum de jejuniis frequentibus, quibus redditur debilis, & impotens ad debitum reddendum; item de peregrinatione longa; humi cubatione; vestis rigidæ delatione, &c, ùt habet Less. & alii DD.

10. Nota tertiò: Non potest tamen Vir irritare Vota Uxoris, quæ pubes ante Matrimonium edidit; unde ejus Vota tunc non censentur esse modificata, tacitâ tali conditionali, si Maritus non contradixerit. Nihilominus similium Votorum executionem potest Maritus saltèm suspendere usque ad suam mortem, si ei molesta foret: uti colligitur ex *can. Noluit caus. 33. q. 5.* post mortem autem reviviscunt. Præterea Maritus non potest irritare illa Vota Uxoris, quæ nullum incommodum afferunt Juri ejus in Conjugem, nec officiunt rei familirris administrationi v.g. Votum de recitando quotidiè Officio B. V. vel audienda Missa; danda stipe pauperibus de suis facultatibus; non petere debitum à Marito; ùt habent Herincx, Less. Laym. Suar. &c. Quæ dixi de potestate Viri circa irritationem Votorum Uxoris, proportione servatâ idem assero de potestate Uxoris respectu Votorum sui Viri.

CAP. IV.

De Redemptione Voti per Commutationem eorum.

1. Nota primò: Alius modus tollendi priorem obligationem emissi Voti communiter à DD. assignatur Commutatio, quæ nil aliud est, quàm *substitutio obligatoria novi operis boni in locum prioris DEO promissi.*

2. Dico primò: Omnis vovens proprio motu, & authoritate Vota à se semel edita commutare potest in alia opera, quæ spectatis omnibus apertè judicantur esse præstantiora, & meliora; nisi ea forent Summo Pontifici reservata. Ita Covarr. Angel. Major, Cajet. & communior; contra Hostiensem, Innoc. Sylv. & alios. Et ita deducitur ex *cap. Pervenit*; ubi dicitur; *Promissum non infringit, qui in melius illud commutat.* Ratio est etiam primò: quia in hujusmodi commutatione vovens promissioni suæ abundantiùs satisfacit; & DEO gratior cultus exhibetur, per præstantiùs opus. Ratio est secundò; quia nullâ Lege Divinâ, vel Ecclesiasticâ prohibita legitur talis Commutatio: adeóque eam licitè facere potest omnis vovens. Dixi: *nisi ea forent Summo Pontifici reservata*: taliter enim reservata egent Papæ authoritate ad sui commutationem; uti habet Arrag. Azor. Suar. & alii DD.

3. Dico secundò: Quando Vota in aliud opus æqualis bonitatis commutantur, necessariò intervenire debet authoritas, vel Ordinarii, vel Papæ, vel Prælati, vel horum Delegatorum. Ita Less. Herincx, Laym. Sanch. & alii, contra Lopez, Soto, & alios DD. Et Ratio est; talis Commutatio est actus Ecclesiasticæ Jurisdictionis exterioris, sicut est Dispensatio: ergo ad eum debitè perficiendum accedere debet Authoritas Superioris Ecclesiastici, vel ejus Delegati.

4. Dico tertiò: Si Votum alicujus Oblationis editum sit in favorem unius Loci Sacri, vovens propriâ authoritate poterit commutare illud Votum in evidenter melius, quod sit majus commodum alteri Loco Sacro, suppositô quòd prior Locus Sacer necdum acceptaverit Votum. Idem dic de Eleemosyna alicui magìs egeno danda. Ita Herincx, Less. Bonac. Cajet. & alii DD. Ratio est; quia in his & similibus Votorum Commutationibus in melius, offertur res DEO gratior: adeóque licitè fit Commutatio; si alter Locus sacer

facer necdum Jus vi alicujus acceptationis acquisierit.

5. Dico quartò: Qui pollet facultate dispensativâ Votorum, pollet pariter potestate commutativâ Votorum; non autem è contra. Ita Sa, Sylv. Azor. Herincx, Soto, & alii plures DD. Primum constat ex *Regula 53. Juris in 6. Cui licet plus, licet utique quod est minus*: sed plus est dispensare, quàm commutare; quia dispensatione vinculum Voti simpliciter tollitur; per Commutationem verò secundùm quid; cùm tantùm de una in aliam materiam transferatur: ergo &c. Secundum sequitur ex hac eâdem ratione; quia cùm Commutatio sit longè inferioris facultatis, quàm dispensatio, & absolutè non tollat totam obligationem; sequitur illum, qui pollet authoritate commutandi Vota, non pollere authoritate eadem dispensandi.

6. Dico quintò: Quando propriô arbitriô commutatur unum Votum in aliud longè melius, nulla requiritur causa in ordine ad commutandum: quando commutatur in æquale, requiritur justa causa Superioris, uti & in minus; quâ non habitâ Commutatio est invalida. Primum habet S. Bonaventura, Richardus, Azor. & alii DD. Secundum Suar. Laym. & Herincx. Ratio primi est; quia in Commutatione Voti in melius, DEI cultus augetur, & talis Commutatio DEO gratior est, ob excellentioris operis exercitium, quàm solutio Voti primò emissi: ergo nulla requiritur causa ad hujusmodi Commutationem faciendam. Ratio secundi; per Commutationem Voti in æquale, vel minus opus, aliqua pars obligationis, debiti, & cultûs Divini remittitur, quare DEUS non videtur esse contentus, si talis Commutatio fiat sinè sufficienti causa. Causæ porrò sufficientes erunt; vel magna aliqua molestia in exequendo Vôto; vel fragilitas magna cum periculo id violandi; vel repugnantia parentis, aut mariti; vel alia similis; cujus sufficientia ponderanda, & dijudicanda Viro prudenti, & conscientioso relinquitur.

7. Dico sextò: In Commutationibus Votorum servari debet hic modus; ut habens facultatem tantùm commutandi, non verò dispensandi, commutet Votum in æquale, vel propè æquale; item ut plerumque Vota realia commutet in onera realia; Personalia in onera Personalia; Mixta in Mixta; in hoc tamen, arbitriô boni viri comutâtis fieri potest permixtio. Ita Less. Laym. Sylv. Azor. & communis. Ratio primi est; quia Ly *commutare* importat quandam æqualitatem; Privilegia, autem extendi non debent ultra verborum proprietatem, & acceptionem: adeóque commutans Votum debet hanc æqualitatem attendere, & observare. Ratio secundi est; quia si Commutatio non fiat in propè æquale secundùm moralem æstimationem; sed in notabiliter minus, jam invehitur dispensatio; quam suppono commutantem hìc & nunc non habere. Ratio Tertii est; quia Commutans Vota debet pro possibili attendere materiæ æqualitatem, finem à vovente intentum, & DEI gloriam ac cultum; hæc autem optimè attenduntur, dum Vota realia commutantur in realia opera; & personalia Vota in opera personalia: ergo consultum est, ut hic modus in Commutatione Votorum plerumque servetur. Ratio Quarti est; quia aliquando opus purè personale, est magis proficuum voventi, & DEO gratius, quàm opus reale, in quod aliàs secundùm modum communem Commutationis Votum reale esset commutandum; sic v.g. Eleemosyna spiritualis (qualis esset bona instructio danda proximo in fide, in Virtutibus, in Statu Religioso, vel Sacrificia Missæ; item preces aliquæ efficaces offerendæ) sunt Petro voventi magis salutaria, quàm datio Eleemosynæ corporalis unius aurei: ergo expedit Votum reale de datione Eleemosynæ corporalis permiscere, & discretè transferre potiùs in illa opera personalia. Idem dic de Voto personali, quandóque commutabili in reale; & mixto in merum reale. Unde *cap. 2. de Voto* permittitur, ut Votum mixtum peregrinationis in meram Eleemosynam permutetur, & iis redimatur.

8. Dico septimò: si contingat peractâ Commutatione Voti opus fieri impossibile, vel infructuosum, etiam cum culpa voventis; vovens censetur absolutus ab obligatione Votum implendi. Ita Laym. Sanch. de Graffiis &c. AA. Ratio est; quia obligatio prior Voti vigore legitimæ Commutationis censetur extincta: obligatio autem semel extincta ampliùs non reviviscit, per L. *Qui res ff. de solution.* quare si contingat opus Voti commutati fieri impossibile, vel infructuosum, vovens est absolutus ab obligatione Voti implendi.

9. Dico octavò: Peractâ ritè semel Commutatione alicujus Voti, vovens potest pro arbitrio suo, vel Votum primò editum exequi; vel illud, in quod per Commutationem translata fuit obligatio Voti; vel certè ab alio, potente commutare, novam postulare Commutationem Voti. Ita Sanch. Laym. Azor. Less. & alii DD. Et est Ratio; Tum quia ita permittit praxis timoratorum ab Ecclesia permissa. Tum quia Commutatio est facta in favorem voventis: *Quivis autem favori suo renunciare*

tiare potest; ùt inquit quidam textus Canonicus: Tum tandem: *Quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*, inquit *Reg. 61. in 6.* Sed Commutatio est in gratiam voventis concessa: ergo nequit in dispendium ejus libertatis retorqueri, quò minùs non possit, vel Votum primò emissum, vel opus Commutationis exequi, vel novam postulare Commutationem.

10. Dico nonò: In Religionis approbatæ Votum omnia Vota priùs in sæculo edita commutari possunt; imò talis Commutatio eô ipsô censetur fieri à Profitente; nisi expresè tunc contrarium sentiat. Ita S. Thomas, Navarr. Arrag. Laym. Herincx, Sa, & communis. Primum habetur in *cap. Scripturæ, de Voto*, ubi dicitur: *Reus fracti Voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis observantiam commutare.* Et Ratio est; quia Votum Religionis particularem quandam sortitur præcellentiam, & eminentiam, ob universalem, & perpetuam obligationem, quâ Profitens se, suásque actiones DEO consecrat; adeóque censetur alia omnia Vota in sæculo edita in se continere, & absorbere. Secundum etiam patet, primò ex rationibus jam adductis. Secundò; quia ita sentiunt DD. unanimiter; & hoc colligunt ex *cit.* Juris dispositione.

CAP. V.

De Redemptione Voti per Dispensationem, cæterósque Modos tollentes Votorum obligationem.

1. Dico primò: Bene describitur Dispensatio in Voto: quòd *sit Condonatio debiti, & obligationis Voti, nomine DEI, & Ecclesiæ facta ob justam causam, ab habente Jurisdictionem.* Ita Herincx, Less. Cajet. & alii DD. Ly *Condonatio* est genus; alia subeunt rationem differentiæ. Dicitur *Condonatio debiti, & obligationis Voti*; quia Dispensatio non tantùm est quædam interpretatio, indicans cessationem debiti, & obligationis; sed est vera relaxatio vinculi contracti, seu debiti, & obligationis Voti. Additur, *Nomine DEI, & Ecclesiæ*; quia dispensans in Votis operatur authoritate DEI primariò; deinde etiam authoritate Ecclesiæ, à Christo ipsi concessâ, remittendo obligationem, & cedendo Juri, quod DEUS ex Voto acquisierat. Ly *ob justam causam* insinuat ad omnem legitimam relaxationem Voti aliquam rationem, & motivum debere concurrere, ùt statim dicam. Ly tandem *ab habente Jurisdictionem*, docet dispensationes non posse fieri à quovis; sed à solis personis ab Ecclesia ad hoc designatis.

2. Dico secundò; Certum est in Ecclesia residere authoritatem dispensandi in Votis, Juramentis, aliísque obligationibus, quibus aliquæ personæ se DEO obstrinxêre. Ita plerique DD. Et constat primò ex S. Literis; perpetua Ecclesiæ praxi; Traditione, & dictis SS. PP. Ex sacris Literis quidem; quia Apostolus *2. ad Corinthios cap. 2.* fecit mentionem de Dispensatione quadam debiti ad pœnam propter culpam commissam sub nomine Condonationis inquiens: *Nam & ego quod donavi, si quid donavi propter vos in persona Christi*; ex quibus infertur Apostolum pariter habuisse authoritatem dispensandi, & condonandi debita propter Vota, & Juramenta. Secundò talis potestas continetur in generali illa potestate solvendi, data Petro Christi Vicario, & deinde toti Ecclesiæ *Matt. 16. Tibi dabo claves Regni cœlorum, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*, quæ potestas sic indefinitè data, utique se etiam extendit ad solutionem Votorum per Dispensationem.

3. Dico tertiò: Potestas dispensandi cum universalitate ad omnia Vota omnium Fidelium relaxanda, etiam solemnia Religiosorum, residet Jure Divinô ordinariô in Summo Pontifice; Ordinariò verò Jure in Episcopis quoad Vota omnia relaxanda suorum subditorum tantùm, demptis iis, quæ Papæ sunt reservata: Et tandem in Legato Pontificio respectivè ad Provinciam Legationis, & Summa Pœnitentiaria Papæ. Primum habet Scotus, Palud. Richardus, Navarr. & communis Canonistarum. Et Ratio ejus est primò; quia non est ratio limitandi authoritatem dispensativam, indefinitè à DEO concessam ipsi Summo Pontifici, per cit. verba *Matth. 16.* Deinde solemnitas Votorum à Religiosis editorum; de quibus solis hìc est difficultas, est solâ Ecclesiasticâ authoritate introducta; utì patet ex *cap. Voto, de Voto in 6.* Et ex *Constitut.* Gregorii XIII. *Ascendente Domino*: ergo cùm Summus Pontifex sit supra omnem Ecclesiasticam authoritatem, & ordinationem, ipse poterit dispensare in omnibus Votis, etiam solemnibus Religiosorum. Quare legimus Summos Pontifices actu dispensâsse in similibus Votis, signanter Alexandrum III. cum Nicolao Justiniano Monacho, ut matrimonium inire valeret;

leret; & Cœlestinum cum quadam Moniali Rogerii Regis Siciliæ Filia, ut cum Henrico IV. Rege connubium celebraret. Ratio secundi est; quia Episcopus in sua Diœcesi est Princeps Sacrorum: ergo habere debet Jure ordinariô omnia requisita ad debitum Ecclesiasticum Regimen suorum subditorum: non haberet autem, si non posset relaxare omnia Vota suorum Diœcesanorum, exceptis expressè reservatis Papæ, cùm judicaverit expedire pro salute subditorum: ergo &c. Deinde Jus Episcoporum circa Votorum relaxationem non legitur in Sacris Canonibus restrictum nisi in paucis, quæ Summus Ecclesiæ Pastor pro sua eminentia sibi reservat: adeóque in aliis censetur ipsis indefinitum; & illimitatum ordinarium permanere.

4. Nota autem primò: Vota reservata Summo Pontifici communi stylo, & usu Curiæ Apostolicæ esse tantùm quinque: nimirum Castitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, Peregrinationis ad Limina Apostolorum; ad S. Jacobum; & in Terram Sanctam. Etsi de ultimis tribus, si præcisè facta sint devotionis causâ, & non subsidii ferendi, sentiat Marchant. Tabiena, Wivaldus, & alii, ea posse etiam ab Episcopis relaxari. Ego tamen judico ea non esse relaxabilia ab Episcopis; ob consuetudinem, quæ jam passim contrarium præscripsit.

5. Ratio tandē Tertii, & quarti membri præfatæ conc. 3. est; quia Legatus, & Pœnitentiarius habent Jurisdictionem ordinariam Ecclesiasticam, & munus tale, cui ex Papæ Voluntate, annexa est authoritas dispensandi in Votis: ergo Jure ordinariô hæc eis competit.

6. Ex Conclusione dicta cape sequentia Corollaria. *Primò*; Episcopos habere authoritatem relaxandi omnia Vota simplicia Castitatis non perpetuæ; utì habet Palud. Soto, Sanch. & Navarr. *Secundò*; Episcopus dispensare potest Votum Religionis non approbatæ; utì habet Less. & alii. *Tertiò*; potest dispensare in Voto de ingredienda stricta Religione, ut possit ingredi minùs strictam; utì habet Rodriqu. Azor. & Sylv. quia hìc non dispensatur in ipsa substantia Religionis; sed in ejus circūmstantia, & modo. Idem esto judicium de Voto peregrinandi pedibus Compostellam, ut peregrinus pergat in equo. *Quartò*; in Voto servandi perpetuam Castitatem conjugalem dispensare potest; utì habet Sanch. Laym. Herincx; *Quintò*; in Voto non petendi debitum conjugale, idem potest; utì habet Rodriqu. Sa, Herincx, &c. *Sextò*; in Voto non contrahendi Matrimonium; utì habet Arrag. Herincx, Navarr: & Valent. *Septimò*; in Voto non fornicandi; utì habet Less. Herincx, & Layman. *Octavò*; in Voto suscipiendi Sacros Ordines, & aliis similibus, quæ strictè, & integrè non sunt unum ex quinque reservatis suprà recensitis, etsi sint aliqua pars eorum. Ratio est; quia cùm reservationes à Jure communi, & ordinaria potestate Episcoporum exorbitent, strictè interpretandæ sunt; ideóque dum v. g. Votum Castitatis Papæ reservatur, explicare debet de Castitate perpetua, & simpliciter dicta; quales non sunt Castitas Conjugalis, & aliæ jam recensitæ; etsi aliquomodo ad eam reducantur, ùt bene ex Sylvestro, & Suarez, notat Laymannus. Puto etiam probabile esse, quod plures tenent RR, DD. Episcopos posse dispensare in Voto perpetuæ Castitatis integræ, & perfectæ Papæ reservato in sequentibus casibus. *Primò*; si Votum Castitatis sit emissum ob metum; etsi non omninò gravem, & aliàs irritantem Votum; ùt habet Angel. Herincx, & Navarr. Ratio est; quia reservatio, utpotè odiosa, interpretanda est strictè de Voto omninò voluntario. *Secundò*; si quis post editum Votum perpetui Cœlibatûs ineat Matrimonium, ídque consummet; imò etiam ante consummationem, potest Episcopus dispensare in petitione debiti; ob periculum incontinentiæ; si difficilis sit accessus ad Papam; ùt habet Less. Soto, & Angel. *Tertiò*; ob idem periculum incontinentiæ, potest dispensare cum Conjugibus, qui consummatô Matrimoniô voverunt Castitatem; ùt habet Angel. Tolet. Less. Herincx, & Rodriqu. *Quartò*; ob idem periculum, & dum tractatur de ineundo Matrimonio, potest cum quacunque persona Laica obstricta Voto Castitatis perpetuæ, etiam extra Matrimonium dispensare, quando ad Papam, vel ejus Delegatum non est facilis aditus: utì docet Sylv. Less. Soto, Navarr. &c. Quia tunc Papa non censetur sibi reservare tale Votum Castitatis. *Quintò*; si Votum Castitatis sit accessorium, & dependens ab alio Voto non reservato Episcopo; quale esset, si quis voveret non nubere, sub pœna servandæ Castitatis; ùt docet Navarr. Less. & Herincx. *Sextò*; si Votum sit modificatum aliquâ conditione, necdum in re posita; ùt habet Soto, Less. & Victor. *Septimò*; Si Votum sit modificatum aliquâ pœnalitate; ùt habet Medin. Lopez, Covarr. &c. *Octavò*; Si Votum sit affectum disjunctivâ aliquâ, v. g. si esset tale: voveo peregrinationem, vel jejunium; quô casu Episcopus potest dispensare de una parte eligenda; utì habet Herincx, Less. & alii AA. *Nonò*; in Votis dubiis perpetuæ Castitatis; utì habet Suar. Laym. Sanch..

7. Dico quartò: Etiam in Superioribus, seu

seu Prælatis exemptorum Regularium residet authoritas ordinaria dispensandi cum suis subditis in iis Votis, in quibus dispensare possunt Episcopi cum suis Diœcesanis. Ita Sylv. Navarr. Less. Herincx, & communis Canonistarum. Ratio sumitur primò ex praxi omnium Religionum. Secundò; quia Prælati Regulares sunt Ordinarii Pastores suorum subditorum, cum Jurisdictione spirituali, sicut Episcopi: ergo circa Vota suorum subditorum possunt Jure ordinario, ea omnia dispensando præstare, quæ possunt Episcopi circa Vota suorum Diœcesanorum.

8. Dico quintò: Confessarii etiam Ordinum Mendicantium, virtute suorum Privilegiorum, possunt dispensare in Votis sæcularium, in quibus possunt Episcopi; & consequenter in omnibus eorum Votis, præterquam in quinque reservatis Summo Pontifici; idem à fortiori dic de commutatione Votorum. Ita Herincx, Navarr. Less. Lopez, Rodriqu. & communis Canonistarum Regularium. Et constat ex eo; quòd ita eis Jure delegationis concessum sit à diversis Summis Pontificibus; ùt videre est in Compendiis Privilegiorum Fratrum Minorum, Dominicanorum, Carmelitarum, Societatis, Benedictinorum, &c. Unam alteramve solùm adduco. Prima est Innocentii VIII. quam fecit vivæ vocis oraculo nobis Franciscanis. Secunda est Julii II. quam fecit Benedictinis, & Cisterciensibus. Tertia Martini V. facta pariter Benedictinis. Quarta Eugenii IV. facta Congregationi S. Justinæ. Quinta Clementis VIII. data Carmelitis Discalceatis pro Missionariis, quæ est amplissima comprehendens etiam Vota simplicia Castitatis perpetuæ, & Religionis: in qua concessione participant omnes aliæ Religiones Mendicantium. Quas Concessiones, & Privilegia Regularium Creusers, Bassæus, & alii putant valere non solùm pro Votis illis dispensandis, quæ Jure ordinario ab Episcopis relaxari possunt; sed etiam pro reservatis Papæ, quæ propter extraordinariam necessitatem, v. g. ob incontinentiæ periculum, ob difficilem accessum ad Summum Pontificem, &c. Episcopi possunt dispensare, quæ paulò antè recensui. Ratio præterea est: quia Concessiones hujusmodi, utpote favorabiles, possunt latè interpretari, non minùs quàm Jus Episcopis tunc concessum. Et quia refert Bassæus, hanc sententiam an. 1629. relatam ad Consistorium Cardinalium, visam & toleratam fuisse. Et tandem, quia authoritas delegata Episcopis dispensandi Vota, alioquin Papæ reservata, in circumstantia extraordinariæ necessitatis, manet perpetuò annexa dignitati Episcopali; adeóque Jure ordinariô eis competere videtur: ergo cùm Confessarii Mendicantium possint dispensare in omnibus Votis, quæ Episcopi Jure ordinariô dispensare possunt, poterunt & in similibus Votis Papæ reservatis dispensare cum sæcularibus in circumstantia necessitatis extraordinariæ.

9. Dico sextò: Præter recensitos, nempe Summum Pontificem, Episcopos, Regulares, aut aliàs speciali modô à Papa privilegiatos, vel delegatos, nullus dispensare valet in Votis, etiam minimæ considerationis; quâcunque dignitate Archidiaconali, Diaconali, Parochiali, &c. fulgeat; nisi legitimâ consuetudine similis fortassis acquisierit Jus ordinarium Episcopale. Ita Less. Palud. Archid. Sylv. &c. Ratio est; quia authoritas dispensandi in Votis est fori externi; quam censentur habere soli illi, qui Jure ordinariô, vel Jure Privilegii, vel delegationis pollent; non verò qui solâ Jurisdictione, pro foro Sacramentali præditi sunt, quemadmodum se habent Archidiaconi, Decani, Parochi, &c.

10. Dico septimò: Ut dispensatio debitum sortiatur valorem, requiritur prævia aliqua justa causa. Ita S. Thomas, Navarr: Less. Herincx, Cajet. &c. Ratio est; quia DEUS nullam condonationem ratam habet, quæ est sinè causa facta; sicuti patet in absolutione Pœnitentiali, quam DEUS ratam non habet, si fiat absque præviis dispositionibus necessariis: & in Indulgentiis datis sinè causa; & dispensatio est etiam quædam condonatio: adeóque DEUS eam ratam non habet, si sinè causa justa fiat: ergo ad ejus valorem requiritur causa justa.

11. Dico octavò: Justæ autem causæ dispensandi sunt sequentes: Utilitas Ecclesiæ, & honor DEI; item utilitas voventis, ejusdémque magna fragilitas ad violandum Votum; difficultas adimplendi Votum; item necessitas, & utilitas magna Reipublicæ, vel familiæ; inconsideratio, ira, timor, mœror, vel alia perturbatio animi, vel tenera ætas voventis. Ita Navarr. Less. Herincx, Laym. Abbas, Sotus, & alii. Primum, Secundum, Tertium, Quartum, & Quintum patet; quia si Dispensatio Voti cedat in DEI honorem, Ecclesiæ bonum, & utilitatem spiritualem voventis, ac vovens difficultatem adimplendi sentiat, censetur DEUS eam acceptare, & debitum contractum voventi remittere, &c. Sextum ostenditur; quia si v. g. unicus Filius Regis emisisset Votum Religionis, qui tamen Reipublicæ esset valde necessarius, & utilis pro regimine civili, præsumitur, DEUM velle condo-

condonare obligationem talis Voti, & permittere, ut validè cum eo dispensetur in tali Voto; sicut colligitur ex *cap. 1. de Voto.* Idem dic de aliquo Magnate, Voto peregrinationis longinquæ obstricto, cujus tamen præsentia, & Reipublicæ, & suæ Familiæ regendæ esset valdè necessaria: Septimum tandem etiam ostenditur; quia inconsideratio, ira, mœror, & similes passiones, uti & circumstantiæ teneræ ætatis, valdè minuunt rationem voluntarii; adeóque sufficiunt ad inducendam dispensationem in emisso Voto.

12. Dico nonò: In Dispensationibus Votorum faciendis hæc servari debet forma: ut primò cognoscatur justitia, & gravitas causæ: Secundò; ut Dispensatio peragatur actu aliquo externo perceptibili: Tertiò; debet Dispensatio verè acceptari à vovente: Ita Less. Sylv. Palud. &c. Ratio primi est; quia nisi dispensans præviè inquirat de justitia, sufficientia, & gravitate causæ, facilè exponet se peccato, & periculo faciendi actum invalidum contra Jus DEI, vel Superioris, & involvendi subditum multis peccatis, saltèm materialibus, quæ omnia devitare debet dispensans. Ratio secundi est; Dispensatio Voti debet innotescere voventi; cùm sit quædam condonatio, & remissio debiti: sed non innotesceret, nisi actu aliquo externo, v.g. verbis, vel opere ipso, quô jubet dispensans contrarium fieri, ipsi significaretur: ergo hoc requiritur. Ratio tertii; quia DEUS non remittit obligationem debiti, nisi volenti eô solvi: adeóque nec dispensans nomine DEI nisi volenti, & verè acceptanti. Circa reliquos modos auferendi obligationem Votorum

13. Dico ultimò: Desitione conditionis appositæ ad Votum; item desitione materiæ; vel lapsu temporis præfixi Voto temporali, etiam evacuatur obligatio emissi Voti. Ita Less. Sylv. Abbas, Laym. Angelus, &c. Ratio primi est; quia dum evanescit conditio Voto apposita, evanescit causa finalis, & principalis ipsius Voti: adeóque & ipsa obligatio Voti. Ratio secundi est; quia si materia priùs subjecta Voto erat v.g. possibilis, vel licita, postea autem desinat esse talis, & fiat hic & nunc impossibilis, vel illicita, censetur absolvi ab annexa obligatione; sicut deducitur ex *L. Pluribus ff. de verb. obligat.* dicente: *Obligatio extingvitur, si in eum casum incidat, à quo incipere non potest.* Ratio tandem tertii est; quia Vota non obligant ultra intentionem voventis: adeóque dum elapsum est tempus, cui vovens affixit suum Votum, censetur absolvi ab obligatione Voti.

CAP. VI.

De Redemptione Votorum in Ordine S. Francisci.

1. Dico primò: Fratres Minores Confessores obtinent facultatem redimendi Vota quæcunque Sæcularium per commutationem eorum in foro Conscientiæ in aliqua opera pia; exceptis Votis Religionis, Castitatis, peregrinationis ultramarinæ, Romam, & ad S. Jacobum. Ita Sorbus, Rodriqu. Gutier. Cord. &c. Et constat tum ex concessione Sixti IV. Et Innocentii VIII. pro Minoribus edita. Tum ex Bulla Pauli III. edita pro Patribus Soc. JESU, in qua communicant Minores. Vide plura circa hoc punctum suprà *cap. 5. concl. 5.*

2. Dico secundò: Superiores pariter majores Ordinis nostri Franciscani possunt redimere Vota dispensando cum Subditis suis regularibus in omnibus illis Votis, in quibus possunt Episcopi cum suis Diœcesanis. Ita Herincx, Sorbus, &c. Et constat ex concessione Sixti IV. quam refert Sorbus in *Compend. Privil. Ord. Min.* ver. *absolutio quoad Sæculares, n. 20.* Et est Ratio; quia dicti Superiores sunt Ordinarii Pastores suorum Subditorum regularium, cum jurisdictione spirituali, sicut Episcopi; adeóque circa Vota dispensanda dictorum Subditorum possunt ea omnia, quæ possunt Episcopi cum suis Diœcesanis.

3. Nota primò; quando Confessores Minores dispensant, vel commutant Vota Sæcularium virtute suorum Privilegiorum, vel alicujus Bullæ; tunc non possunt hoc agere, nisi in Sacramento Pœnitentiæ. Quando verò Superiores Minoritæ non virtute Bullæ, vel Jubilæi; sed per viam authoritatis cum suis Subditis dispensant, vel commutant eorum Vota; tunc id fieri poterit in foro exteriori, & extra Sacramentum; uti observat Sorbus ver. *Votum.*

TITU-

TITULUS XXXV.

De Statu Monachorum ; & Canonicorum Regularium.

CAP. I.

Variæ circa Monachos, & Canonicos Regulares Resolutiones.

1. NOta primò: Postquam Papa in *priori titulo* tractavit de Votis, quæ plerumque emittuntur ab illis, qui profitentur vitam monasticam & fiunt Monachi, vel Canonici; consequenter in *præsenti tit.* agit de eorundem statu Monachali, seu Religioso, id est conditione vitæ. Sunt autem hic Monachi illi Religiosi, qui strictiori Regulæ subjiciuntur: Canonici verò, qui laxiori. Dicuntur *Monachi* à Græco *Monos*, id est solus, seu à solitaria vita. *Canonici* verò *Regulares* à *Regula*, quam profitentur; & hi distincti sunt à Canonicis beneficiatis, eò quòd primi emittant Vota; non verò secundi. Monachorum nomine in favorabilibus veniunt omnes Religiosi; etsi non omnes strictè Monachi sint, sed Regulares, Mendicantes, ut FF. Minores, Prædicatores, Carmelitani, &c.

2. Dico primò: rectè describitur Status Monachorum, & Canonicorum Regularium, quòd *sit conditio vitæ Monasticæ immobilis, per quam obstringuntur suis Superioribus, ac Regulæ, quam sunt professi sub triplici voto scilicet Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ.* Qualiter autem in varias classes discriminetur Status Monachorum, & Canonicorum Regularium, vide dicta suprà *tit. 31. de Regularibus.*

3. Nota secundò: circa Statum Monachorum varia esse constituta à sacris Canonibus. Et *primò*, Monachi, ac Canonici Regulares (idem dicendum de aliis Religiosis) ex Jure communi primævo sunt subjecti Episcopis; posteriori tamen Jure plerique ab eorum subjectione exempti fuêre per varia Privilegia Apostolica. Ita communis DD. Primum constat ex *cap. 1. hoc tit.* & pluribus Canonibus priscis. Secundum patet ex *cap. Nimis iniqua 16.* Et *nimis prava 17. de excess. Prælat.* Et Clem. 1. & 2. Et Trident. *sess. 25. de Reg. cap. 20.* Et nos Fratres Minores, & Prædicatores specialiter per Bullam, quæ dicitur *Mare Magnum Minorum & Prædicatorum.* Et per Bullam aueam *Regimini, &c.* exempti sumus à regimine, visitatione, & correctione Episcoporum.

4. Nota tertiò; *Secundò*, tenentur omnes Monachi, & Canonici Regulares vivere, & vitam componere secundùm præscriptum suarum Regularum, *cap. Cùm ad Monasterium 6. hoc tit.* Et Trident *sess. 25. de Reg. cap. 1.* Quare obligantur specialiter colere Castitatem, Paupertatem, & Obedientiam. *Tertiò*, inhibetur omnibus Monachis indui camisiis lineis, seu indusiis; quibus tamen uti possunt Canonici Regulares *cap. cit. 6.* *Quartò*, prohibetur Monachis omne peculium privatum propriè dictum, id est tale, quod tanquam suum proprium possideret, *cap. Monachi 2. hoc tit.* Et qui tale habuerit ab altaris communione removeatur: si verò cum eodem inventus fuerit in extremis, & dignam pœnitentiam non egerit, nec oblationes pro eo fiant, neque inter Fratres Ecclesiasticam Sepulturam habeat, *cit. cap. 2.* Imò cum eo mortuus & sepultus debet exhumari *cap. 4. & 6. hoc tit.* Circa hoc

5. Nota tamen quartò: quòd Monachi possint habere peculium impropriè dictum, id est, quoad solam ejus administrationem, ipsis ab Abbate concessam; vel quoad usum facti dependentem ab arbitrio, & nutu Superioris; utì notat Abbas, Azor. & Vallens. Item aliquam pecuniolam pro peregrinatione, vel itinere conficiendo studiorum causâ ad Academias, vel pro sui sustentatione habere possunt: quod etiam procedit de vestibus, libris, & aliis utensilibus; utì notat Pirh. Laym. &c.

6. Nota quintò: *Quintò*, Monachi non debent recipi ad Monasterium pro pretio *cap. Monachi 2. hoc tit.* Nec singuli, seu soli in Oppidis, aut villis per Parochiales Ecclesias quascunque habitare permittendi sunt, absque speciali privilegio Ordini concesso; vel nisi consuetudo vetus Regionis aliud permittat; sed in Conventu commorari debent; *cit. cap. 2.* *Sextò*: Monachi in claustris certis horis servare debent silentium; & abstinere à carnibus, *cap. 6. hoc tit.* Circa quod tamen plures modificationes sunt factæ. Plura alia salutariter statuuntur in *cit. cap. 6.* *Septimò*, Monachi nequeunt propriâ authoritate migrare ab uno mona-

monasterio ad aliud, *cap. Joannes 5. de Regular.* Nec in diversis Monasteriis habere cellas, *cap. fin. hoc tit.* *Octavo*; Monachis nigris interdicitur notabilis, & superfluus excessus, & exquisitus Ornatus in vestibus, cibis, potibus, equis, & lectis, *Clem. ne in agro 1. hoc tit.*

7. Nota sextò: Canonici Regulares possunt præfici Parochiis, & curam animarum exercere, *can. In Parochia 31. & aliis, caus. 16. q. 1.* Sed nec hi, nec Monachi possunt se transferre ad curias Principum, ut Prælatis suis damnum afferant; & hoc sub excommunicationis pœna, *cit. Clem. §. quia verò.*

8. Nota septimò: Monasteria Monachorum, & aliorum Regularium exempta à gubernio Episcoporum, & non habentia suos Visitatores Regulares, tenentur singulis trienniis celebrare Capitula Provincialia, *cap. in singulis 7. & cap. ea qua 8. hoc tit.* Et Trident. *sess. 25. cap. 8. de Regular.* In memoratis autem Capitulis tractari debet de correctione morum Monachorum, & Regularium, creari Visitatores, & alia peragi, quæ ordinantur in Clement. *Attendentes.* Ad ejusmodi Capitula obligantur venire omnes Abbates, & Priores, seu Præpositi, non habentes proprios Abbates; & plura alia in eis observari, quæ referuntur *cap. Advocent. pen. hoc tit.* Varia etiam circa visitationem, & correctionem in dictis Capitulis observanda ordinantur in *cap. 8. & ult. hoc tit.* quæ vide *ibidem.*

CAP. II.

Variæ Resolutiones de Monialibus.

1. Nota primò: Occasione Monachorum placet quoque apponere hìc nonnullas resolutiones canonicas circa Moniales, seu personas fœmineas DEO consecratas per statum Religiosum. *Primò* itaque ordinatur in Trident. *sess. 25. cap. 3. de Reg.* Et *cap. Periculoso 1. de Regular. in 6.* nè ad Monasteria Monialium plures personæ recipiantur, quàm ex redditibus ordinariis eorundem commodè sustentari valeant. *Secundò*, Moniales omnes tacitè, vel expressè professæ obligantur de Jure communi ad clausuram servandam, *cap. Periculoso unic. de Statu Regular.* Et Trident. *sess. 25. cap. 5. de Regular.*

2. Nota tamen secundò: ob nonnullas causas Moniales excusari ab observantia clausuræ. *Prima* est, si in claustro grassari incipiat lues epidemica; vel alius contagiosus morbus universalis; ita concedit Pius V. in Bulla *Decori.* *Secunda*, si aliqua Monialis efficiatur leprosa, vel aliam talem infirmitatem contrahat, ut cum aliis absque gravi periculo, vel scandalo cohabitare nequeat, *cap. Periculoso unic. de Reg. in 6.* quo casu ad tempus pro cura exire potest; sed secutâ curatione tenetur redire. Et observandum est, quòd ad egressum in tali casu non sufficiat, quòd morbus sit molestus, & periculosus ipsi soli Moniali infirmæ; sed etiam aliis Sororibus. *Tertia*, si oriretur aliquod periculosum magnū incendium, *cit.* Bulla Pii V. Addunt DD. alias quoque causas; puta si hæreticorum, vel aliorum hostium irruptiones proximæ timeantur, uti tenet Azor. Barb. Sanch. &c. Si aliqua Monialis eligatur Abbatissa in alio Conventu: vel emittenda sit ad fundandum Conventum; vel transferenda sit correctionis causâ; vel se velit transferre ad strictiorem Ordinem; vel si Monasterium fabricandum sit in commodiori loco; uti habet Barb. Sanch. Pirh. &c. Sed consultius est, ut Sedes Apostolica in similibus rogetur pro facultate egrediendi è clausura.

3. Nota tertiò: Licentiam Monialibus egrèdiendi è clausura ob dictas causas dare potest, & debet Episcopus solus respectu Monasteriorum sibi subjectorum; respectu verò exemptorum tum Episcopus, tum Superior Regularis, scilicet Generalis, vel Provincialis in danda facultate unitim concurrunt; uti constat ex *cit.* Bulla Pii V. Moniales sinè sufficienti causa, & facultate debita egredientes extra clausuram sui Monasterii ex *cit.* Bulla Pii V. incidunt in Excomunicationem majorem ipsô factô, sinè alia declaratione, reservatam Papæ; item in privationem dignitatum, administrationum, & officiorum obtentorum; nec non inhabilitationem ad illa, & alia imposterum obtinenda. Idem dicendum de Superioribus concedentibus facultatem egrediendi ob alias, quàm suprà relatas causas.

4. Nota quartò: Tridentinum *sess. 25. cap. 5. de Regularibus* cohibet omnes prorsus personas, etiam fœminas ab ingressu intra clausuram Monialium dicens; *ingredi autem intra septa Monasterii nemini liceat, cujuscunque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerint, sinè Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna, ipsô factô incurrenda. Dare autem tantum Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis; neque alius ullo modo possit, etiam vigore cujuscunque facultatis, vel indulti hactenus concessi, vel imposterum concedendi.* Per hoc tamen decretum non prohibetur pueris, vel puellis usum rationis non assecutis ingressus in clausuras Monialium. Per idem decretum etiam non prohibetur

cur ingressus puellis usum rationis habentibus, si ad educationem eò ingrediantur; modò ultra 25. ætatis annum non retineantur; & non egrediantur durante educatione; & semel egressæ non recipiantur: uti habet Rodriqu. Mirand. &c.

5. Nota quintò: nomine clausuræ hìc venit omnis locus, in quem aliàs Monialis potest ingredi, sive sit area, sive hortus, sive cella, ambitus; & constat ex *cit. Trident* illis verbis, *intra Septa*. Facultas quoad ingressum extraneorum intra claustra Monialium exemptarum dari potest à solo Superiore Regulari; uti patet ex *cit. Trident.* quod disjunctivè loquitur; quoad egressum verò ipsarum Monialium, etiam Episcopi licentia requiritur; uti notat Sanch. Suar. Pirh. Et Episcopus, vel Superior Regularis qui aliis personis in certis casibus potest dare facultatem ingrediendi claustra Monialium, in iisdem casibus pariter & ipse ingredi potest; uti patet ex Bulla Gregorii XIII. *Dubiis, &c.* Monialium Conventus non exempti debent quotannis visitari ab Episcopo: exempti verò à Superiore majore Regulari, Clement. *Attendentes 2. hoc tit.* Plura de Monialium Abbatissarum electione, & benedictione, vide *tom. 1. hujus operis lib. 1. tit. 6. cap. 11.*

CAP. III.

De Monialibus subjectis Ordini S. Francisci de Observan. & Reform.

1. Nota primò: Omnes Moniales etiam primæ Regulæ S. Claræ, quæ subjectæ sunt Ordini FF. Min. de Observ. & Ref. quotannis canonicè visitandæ sunt à Ministris Provincialibus, tanquam Ordinariis Visitatoribus: & si quæ Monasteria earum dictos Visitatores recipere nollent; aut aliter contumaciter inobedientes forent; vel ad Principes, Magistratus, vel tribunalia externa recurrerent pro auxilio: excommunicentur primò, deinde dimittantur à cura Ordinis; aut aliis opportunis Juris, & facti modis, ac pœnis earum contumacia coërceatur. Ita habent Constitutiones generales Ordinis modernæ *cap. 11. §. 2. & §. 10.* Fratres Observantes & Reformati absque speciali facultate nequeunt accedere ad Monasteria dictarum Sanctimonialium Ordini nostro subjectarum; nisi ratione muneris publici id eis permissum sit, *ibidem §. 2.* Nec licet eisdem Fratribus, imò & ipsis Superioribus comedere in ædiculis, quæ pro Confessionibus, & Visitationibus dictarum Monialium sunt deputatæ; nisi tempore visitationis generalis. Idem dicendum de Confessariis earum; nisi tempore Confessionum generalium, *ibidem*.

2. Nota secundò: quicunque necessariam ob causam quandóque admittendi sunt intrà claustra Monialium Ordini Seraphico de Observant. & Ref. subjectarum, specialem habere debent facultatem Superioris Localis Franciscani: penes quem erit ponderare diligenter casus necessitatis ingrediendi; & is extra hos neminem eò licentiare potest, *ibidem* §. 4. Ingredientes autem licentiarum ejusmodi prætextu, & extra casus urgentes necessitatis, incurrunt eô ipsô excommunicationem, & privationem dignitatum, beneficiorum, & Officiorum; uti & Moniales admittentes; ita habent *cit.* Constit. generales. Et Bulla Gregorii XIII. *ubi gratia*. Generalis ingressurus Clausuram Monialium pro ejusdem visitatione, aut ob alia negotia urgentia, habere debet in comitatu 4. Socios; Provincialis verò duos; quos semper comitentur Præfecta, & antiquiores Moniales Monasterii, *ibidem*, ubi etiam pluribus numeris præscribitur idea, & constructio Clausuræ totius, parlatoriorum, rotarum, & fenestrellarum S. Communionis; eáq; quotannis accuratè visitanda à Provincialibus ordinantur.

3. Nota tertiò: Provinciales debent bona quæcunq; imobilia Monialium Ordini de Observ. & Reform. subjectarũ diligenter recognoscere, & in inventariũ Provinciale redigere, ut futuris fraudibus obvietur, *ibidem* §. 7. *n. 1.* uti & bonorum accessiones, quæ vel viâ emptionis, vel venditionis, vel obventionis, vel census legitimi perpetui, vel temporanei, &c. acquirit Monasterium, annotare, *ibidem, n. 2.* Præterea iidem Superiores debent immobilium locationes recognoscere, quas si sinè legitima Superioris facultate factas deprehenderint, adhibitô peritorum consiliô, & auditis Monasteriorum Syndicis, seu Procuratoribus, vel illas dissolvant, vel confirment; prout conscientia dictaverit. *ibid. n. 3.* Nec possunt Moniales præfatæ ullas pecunias sive ex dotibus, sive ex legatis, vel reddituũ redemptione, vel quacunque alia via Monasterio obvenientes ullis usibus, etiam instaurandæ clausuræ Superioribus inconsultis applicare; sed ex eis bona stabilia, vel redditus, vel census legitimè compensare: minùs possunt absq; eis bona aliqua aliena-

alienare, sub nullitate actûs, *ibidem, n. 5.*

4. Nota quartò: Omnes Moniales strictò Franciscano Ordini subjectæ debent agere vitam communem in victu, & vestitu; nec ulla earum peculium proprium habere possit; unde quidquid alicui donatur, vel quôcunque aliô titulô obvenit, id asservari debet in communi capsula eleemosynarum Conventûs, ut Abbatissa, vel Præfecta tanquam communis mater ex eis, ac aliis Monasterii bonis cunctis Sororibus provideat. Ita Constitutiones generales *cap. 11. §. 11. n. 1. & 2.* In faciendis muneribus, emptione, & venditione quarumcunque rerum Moniales subditæ requirere debent assensum Superiorissæ, *ibid. n. 4.* Utì & in alloquendis extraneis, mittendis literis, & iisdem recipiendis, *ibid. §. 12. n. 1. & 2.*

5. Nota quintò: Confessarii Monialium nostrarum habere debent ad minus annos 40. Debent institui in Capitulo, vel Congregatione, & approbari ab Ordinario, *ibid. §. 17. n. 1. & 2.* Durant tantùm trienniò, & sunt subjecti Superiori Locali, *ibid. n. 5. & 6.* Quotannis dictis Monialibus exhibendi sunt bis, aut ter extraordinarii Confessarii, *ibid. n. 11.* Plures aliæ valdè salutares Ordinationes, quæ earundem instituta reddunt laudabilia, & bene reformata, videri possunt in cit. Constit. *cap. 11.* per totum.

TITULUS XXXVI.

De Religiosis Domibus, ùt Episcopo sunt subjectæ.

CAP. I.

Quid sentiendum de Religiosis Domibus.

1. Nota primò; Discussâ in *Superioribus titulis* professione Religiosâ, & statu Religioso; appositè Papa proponit *hunc tit.* de Domibus Religiosis. Et quamvis nomine *Domûs Religiosæ* in ampliori significatione intelligi possint Ecclesiæ, ædes quæcunque sacræ, quæ ad DEI cultum dedicatæ sunt: in proposito tamen in arctiori significato veniunt sola Monasteria, & Collegia Religiosorum; nec non Hospitalia (sic dicta ab *hospitibus* excipiendis, & tractandis) authoritate Episcopi fabricata; utì sunt *Xenodochia*, in quibus peregrini seu pauperes recipiuntur: & *Orphanotrophia* in quibus orphani educantur: & *Gerontocomia*, in quibus senes collocantur: & *Bephotrophia*, in quibus enutriuntur personarum egentium proles: & *Nosocomia*, in quibus ægroti sustentantur; de quibus in *can. in qualibet, caus. 23. q. 8.* Item Confraternitates, & alia Collegia pia, quæ constructa sunt pro exercendis variis operibus misericordiæ, & adjacent plerumque templis.

2. Dico primò: De Juri communi veteri cuncta Monasteria, & Ecclesiæ Parochiales cum annexis filialibus, ac Capellis sunt subordinata gubernio, & jurisdictioni Episcopi Diœcesani; nisi probetur aliquam ex memoratis Religiosis domibus vel viâ præscriptionis, vel privilegiô Apostolicô esse exemtam; utì exceptæ sunt hodie Regularium Ecclesiæ, & Conventus maxima ex parte. Ita Glossa & communis DD. Et constat ex *can. Omnes Basilicæ 10. caus. 16. q. 7.* Et *cap. Cùm olim 18.* junctâ Gloss. ver. *præscriptione munitum, de præscript.* Et *cap. Cùm venerabilis 7. hoc tit.* Ex *can. Monasteria, caus. 18. q. 2.*

3. Dico secundò: Similiter de eodem Jure omnia Hospitalia, Collegia ad pietatem erecta, ac alia quæcunque loca pia authoritate Episcopi fundata subjacent jurisdictioni ejusdem Episcopi Diœcesani. Ita Vallens. Zoës. Pirh. &c. Et habetur *cap. 3. 4. & 5. hoc tit.* Unde ad Episcopum pertinet providere, ne ejusmodi loca ad alios usus convertantur, quàm institutum sit à piis Fundatoribus eorundem: & constituere viros prudentes, ac pios, qui instar tutorum, & curatorum juramentum præstent de fideliter gubernando, & administrando eadem loca; qui & quotannis rationes reddant de tali sua administratione, Clement. *Quia contingit 2. hoc tit.*

4. Dico tertio: Si contingat aliquam Ecclesiam, vel Monasterium, vel Hospitale ob factam ruinam, mortem incolarum, vel aliam causam uniri alteri Ecclesiæ, vel Monasterio; censetur ejusmodi Ecclesia, vel Monasterium, vel Hospitale manere subjectum illi Episcopo, in cujus Diœcesi est situm. Ita communis DD. Et constat ex *cap. Quia Monasterium 2. hoc tit.* Unde talis Episcopus Diœcesanus

sanus potest illud visitare, & alia jurisdictionis opera ibidem exercere.

5. Dico quartò: Quamdiu domus Religiosæ Monasteriorum inhabitantur à Regularibus, nequeunt ab Episcopo transferri ad Clericos Sæculares; etsi in eis Disciplina Regularis collapsa esset: si tamen deficerent totaliter Religiosi incolæ eorum; tunc in ipsis Clerici Sæculares constitui possunt. Ita communis DD. Et habetur expressum *cap. inter quatuor 5. hoc tit.*

6. Dico quintò: Episcopus potest visitare omnia hospitalia, & alia pia loca, ac confraternitates, authoritate Episcopi erecta, & intra suam Diœcesim sita; tametsi sint aliàs exempta, & eorum administratio pertineat ad Laicos, non obstante quocunque privilegiô, vel consuetudine in contrarium. Ita statuitur in Conc. Trident. *sess. 22. cap. 8. de Reformat.* Imò & rationes quotannis exigere ab Officialibus eorundem potest, *ibidem cap. 9.* Excipiuntur hospitalia, quæ sunt sub immediata protectione Regum, *cit. Trident. cap. 8.* Vel nisi in lege fundationis eorum cautum sit, ut talia loca non visitentur ab Episcopis; utì colligitur ex Clement. *2. hoc tit.*

7. Dico sextò: Hospitalia verò, & alia pia loca absque Episcopi facultate instituta, non subjacent Episcopi jurisdictioni; nec ab eo visitari possunt. Ita Fagn. Pirh. &c. Et colligitur ex *cap. Ad hæc 4. hoc tit.* per sensum contrarium. Estque Ratio; quia talia loca non reputantur pro Religiosis domibus, etiamsi haberent connexum aliquod Oratorium; non enim concessum est, cuilibet privato erigere in domo sua Oratorium. Dummodo non habeat formam Ecclesiæ; nec Missæ ibidem celebrentur, *can. unicuique 32. & seq. dist. 1. de Consecr.*

CAP. II.

De novis Religionibus.

1. NOta primò: Post Concilium Lateranense celebratum sub Innocentio III. nulla Religio nova propriè dicta cum suis domibus Religiosis institui potest, sinè facultate, & approbatione Sedis Apostolicæ; utì constat *cap. Ne nimia 9. & ult. hoc tit.* quod est depromptum ex *cit.* Conc. Lateranensi. Et idem patet ex *cap. Religionem unic. hoc tit. in 6.* quod est desumptum ex Concilio Lugdunensi. Unde si quis profiteretur aliquam Religionem, seu collectionem virorum, sub certa regula, ritu, & habitu simul degentium; sed non approbatam à Papa, is non obligaretur ad ea, quæ promisit in sua professione; utì constat ex *cap. 1. Clementinæ 2. hoc tit. in 6.*

2. Nota secundò: Non esse tamen per prædicta prohibitum, quin tam viri separatim, & privatim solitariam vitam exercere possint, editô etiam votô castitatis, ac Obedientiæ, in manibus v. g. Episcopi; quàm etiam fœminæ separatim in suis ædibus sub certo ritu, & modo vivendi DEO deservire valeant; utì constat ex Clement. *1. in fine hoc tit.* Et notat Glossa, ac DD. communiter.

CAP. III.

De Religiosis domibus FF. Minorum de Observ. & Ref.

1. DIco primò: Omnes Domus Religiosæ FF. Minorum de Observ. & Reform. id est, Ecclesiæ, Capellæ, Oratoria, Monasteria, & alia loca Regularia, utì & Confraternitates sunt exemptæ à Jurisdictione Ordinariorum, & lege eorum, quoad regimen. Ita Brugnoli, & communis DD. Ordinis præfati. Et constat ex Mari Magno Minorum, & Prædicatorum Sixti IV. Et ex Bulla aurea *Regimini &c.* Item ex Clement. *1. & 2.* Et *cap. Nimis iniqua 16.* Et *cap. Nimis prava 17. de excess. Prælat.*

2. Nota primò: Ex dictis sequitur; quod nullus Ordinarius possit visitare personas, Ecclesias, Oratoria, Altaria, Sacristias, paramenta, hospitia, aliavè loca regularia Instituti nostri; utì ulterius eandem visitationem vetuit Pius V. Bullâ *Etsi Mendicantium.* Et Martinus V. Bullâ *Sedes Apostolica.* Excipe nisi aliqua Ecclesia nostra haberet annexam curam animarum, in qua Episcopus potest visitare illud altare, quod est deputatum pro cura; & baptisterium, ac tabernaculum Sanctissimi Sacramenti; utì habet quædam decisio Romana An. 1631. die 5. Aprilis emanata.

3. Dico secundò: Præfati tamen Minores pro erigendis suis novis Domibus Religiosis Conventuum, & Ecclesiarum dependent ab Ordinariis, ita ut eorum consensum requirere teneantur. Ita Lant. & communis DD. Et constat ex constit. Urbani VIII. Bullâ *Romanus Pontifex.* Et Clementis VIII. *Quoniam ad institutam*; ubi etiam ordinatur, ut Ordinarii locorum non concedant ulli Ordini Mendicantium facultatem erigendi novos Conventus; nisi vocatis, & auditis aliorum Conventuum Procuratoribus, ac aliis interesse habentibus.

4. Nota secundò: Ad faciendam verò tantùm translationem, seu mutationem novi Conventûs Franciscani in eadem Civitate, vel Oppido de uno ad alium locum, non requiritur licentia Episcopi; ad hanc enim instituendam sufficientem habent facultatem ipsimet Superiores Ordinis, ex privilegio Clementis IV. uti habet *Compend. Privileg. Ordinis nostri*; & tenet Lantusca, Miranda, Rodriq. &c. Patetq; ulteriùs ex Sixto IV. & Sixto V.

TITULUS XXXVII.

De Capellis Monachorum, & aliorum Religiosorum.

CAP. UNICUM.

Quis præficiendus sit Capellis Monachorum.

1. Nota primò: Progreditur Papa tractare de rebus Monachorum, inter quas etiam sunt Capellæ. Nomen autem *Capella* in sacris Canonibus aliquando usurpatur pro altari erecto in aliqua sacra æde; aliquando pro Oratorio, sive sacra ædicula à templo sejuncta, vel ipsi templo adhærens; aliquando pro sacra ædicula in ipso templo extructa, & cancellis ferreis, vel ligneis septa, unum vel plura altaria continenti; aliquando denique pro tota Ecclesia etiam Parochiali per se, & seorsim existente, dummodo non sit Collegiata. Sed hìc usurpatur Capella pro aliqua Ecclesia Parochiali unita, seu incorporata Monasterio, seu Ecclesiæ Regulari.

2. Dico primò: quando Monasterium, vel Ecclesia Regularis habet sibi unitam aliquam Ecclesiam Parochialem cum cura animarum, & populo, eidem præfici debet non Monachus; sed Capellanus sæcularis, authoritate Episcopi instituendus; de Consilio tamen, & præsentatione Monachorum. Ita Glossa, Abbas &c. Et habetur *cap. in Ecclesiis 1. hoc tit.*

3. Nota tamen secundò; Si defectus sit Sacerdotum Sæcularium habilium; aut consuetudo Regionis contrarium obtinuerit (uti obtinuit in pluribus Germaniæ Provinciis) vel Ecclesia talis Parochialis, seu Capella sit plenissimo Jure unita Ecclesiæ Regulari alicujus Monasterii; tunc Capellæ præfatæ ab Abbate præfici potest Monachus de illo Monasterio; examinandus tamen ab Episcopo, & approbandus; uti notat Pirh. Laym. &c. DD. Et consonat Trident. *sess. 25. cap. 11. de Regular.*

4. Dico secundò; In Capellis, vel Prioratibus Monasterio unitis, ubi Abbas plenissimum jus habet collocandi suos Religiosos, non potest collocare Monachos singulos, seu solitarios; sed pluribus associatos. Ita Glossa, Vallens. Pirh. & communis DD. Et ordinatur in *cap. 3. hoc tit.* Quorum visitatio, & correctio primo loco pertinet ad Abbatem; quamvis Episcopus possit supplere ejus negligentiam, *cap. quanto 7. de offic. Judic. Ordin.* In pluribus autem Provinciis præfatus canon *citati cap. 3.* de associandis Monachis in Prioratibus, vel Capellis existentibus, abiit in desuetudinem; ita ut Monachi Curati in Parochiis suis unitis, vel solitarii, vel cum uno tantùm socio collocentur.

TITULUS XXXVIII.

De Jure Patronatûs.

CAP I.

De quidditate, divisione, causis, & derogatione Juris Patronatûs.

1. Nota primò: *Præsentem titulum* de Jure Patronatûs profert Papa tanquam appendicem ad plures alios superiores titulos hujus 3. libri, in quibus egerat de dignitatibus Ecclesiasticis, Ecclesiis Parochialibus, & Domibus Religiosis, in quibus frequenter fiunt institutiones Clericorum ad præsentationem Patroni, cui competit Jus Patronatûs hìc examinandû. Dimissis autem variis ejus usurpationibus, quas vide apud Abbat. & alios DD.

2. Dico

2. Dico primò: rectè describitur Jus Patronatûs, quòd *sit legitima authoritas nominandi & præsentandi Clericum instituendum in beneficio realiter vacante.* Ly *authoritas* est genus; reliqua subeunt locum differentiæ.

3. Nota secundò: Jus Patronatûs duplex est; Ecclesiasticum scilicet, & Laicum seu Civile; utì constat ex *cap. Cùm autem 24. hoc tit. Ecclesiasticum* est, quod competit Collegio Ecclesiastico, aut personæ Ecclesiasticæ, ratione Ecclesiæ, aut dignitatis, seu beneficii Ecclesiastici, quod obtinet. *Laicum*, seu Civile, & sæculare est, quod competit Collegio sæculari, vel personæ privatæ, sive Laico, sive Clerico, non ratione Ecclesiæ, vel Ecclesiastici beneficii; sed ratione proprii patrimonii. Posset etiam addi tertia species, videlicet Jus Patronatûs *mixtum*, quod ex utroque constat, seu quod partim ratione Ecclesiæ, vel Clerico ratione beneficii Ecclesiastici, & partim ratione patrimonii competit alicui.

4. Dico secundò: quinque de causis duntaxat acquiritur Jus Patronatûs; nimirum vel ob Fundationem; vel ob Ædificationem; vel ob Dotationem; vel ob Præscriptionem legitimam, ortam ex multiplicatis præsentationibus; vel ob specialem concessionem Summi Pontificis. Ita communis DD. Et sumitur ex pluribus Canonibus. De primis tribus causis constat ex Trid. *sess. 14. cap. 12.* sic ordinante: *Ut nemo cujusvis dignitatis Ecclesiasticæ, vel sæcularis, quacunque ratione, nisi Ecclesiam, Beneficium, aut Capellam de novo fundaverit, & construxerit; seu jam erectam (quæ tamen sine sufficienti dote fuerit) de suis propriis, & patrimonialibus bonis competenter dotaverit; Jus Patronatûs impetrare, aut obtinere possit; & ut institutio reservetur Episcopo.* De quarta patet ex eodem Trident. *sess. 25. de Reformat. cap. 9.* sic statuente: *Decernit S. Synodus, ut titulus Juris Patronatûs sit ex fundatione, &c.* & paulò post: *sive etiam ex multiplicatis præsentationibus, per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat.* Ratio quintæ tandem est; quia hoc deducitur ex plenitudine potestatis Summi Pontificis, qui potest Ecclesiam, Capellam, vel Beneficium non affectum ullâ dependentiâ, ad aliquem Patronum, ob liberam sui erectionem, subjicere alicui Patronatui, pleno Jure adoptando aliquem potentem Patronum, qui authoritatem habeat ab eo, propulsandi occurrentes injurias. Et hâc viâ puto Imperatorem, Reges, Principes, similésque Magnates Jus Patronatûs acquisivisse, super Cathedrales, aliásque insignes Ecclesias, dignitates, Personatus, aliáque eminentiora beneficia, quæ olim constructæ, ac dotatæ fuerunt communibus Fidelium largitionibus, & donatis copiosis facultatibus.

5. Dico tertiò: si contingat plures simul concurrere ad erectionem Ecclesiæ, vel Beneficii, ita ut unus fundet, alter dotet; vel omnes simul fundent, etsi inæqualiter; singuli efficiuntur in solidum Patroni illius; utì habet Glossa, Laym. Less. Abb. Garcias, &c. Et colligitur ex *can. filiis, caus. 16. q. 7.* Quare stante tali concursu præsentatio capienda erit à singulis.

6. Nota tertiò: In casu pluralitatis Patronorum, actu præsentantium, collationem fieri sequentibus modis: *Primò*; si duo Patroni veri duo diversa præsentent subjecta, liberum erit Ordinario conferre beneficium, cui voluerit. Imò putat Less. ex Sylv. & Panormitano, Ordinarium in ejusmodi eventu posse collationem beneficii facere in tertium. *Secundò*; si eadem persona sit jam Ordinario præsentata à duobus Patronis, uno Ecclesiastico, altero Laico, non est in potestate Laici postea aliam personam de novo præsentare; sed prima institûi debet in beneficium; ita Less. Panorm, &c. Quod verum est, etiamsi illa alia persona à Laico de novo præsentata, majori polleret idoneitate; utì habent cit. AA.

7. Dico quartò: Quando Laicus Patronus variat in præsentandis subjectis, ad idem beneficium relinquitur arbitrio Ordinarii, investire beneficio quemcunque ex præsentatis. Ita DD. communiter: Et habetur in *cap. Cùm autem; de Jure Patronatûs.* Secus dicendum, quando Patronus est Ecclesiasticus, & diversas proponit personas: tunc enim, ùt dicitur *cit. cap.* primò præsentatus collationem beneficii obtinere debet; hic enim ex Juris dispositione currit illa Regula generalis Canonica: *Qui prior est tempore, potior est Jure.* Circa ult. artic. hujus Capituli

8. Dico quintò: Juri Patronatûs Ecclesiastici, imò justis de causis etiam Laici potest derogare Summus Pontifex; idem potest præstare Legatus à Latere, circa Patronatum Ecclesiasticum, non verò Laicum. Ita Covarr. Less. Herincx, & communis DD. Ratio primi est; quia Summus Pontifex habet universale & plenissimum Jus in Ecclesiasticos, eorúmque Jura: adeóque quando judicat expedire Ecclesiarum utilitati, potest prævenire Patronorum Ecclesiasticorum præsentationem, & statim beneficium vacans conferre personæ dignæ. Ratio secundi est; quia quando Laici deficiunt in defendenda Ecclesia; vel dotatione præstanda, vel ingratos se exhibent erga Ecclesias, aut Sedem Apostolicam, licitè potest Summus Pontifex Juri eorum derogare, quod eis Summi Pontifices, & Concilia in SS. Canonibus ideò potissimùm concess-

concessêre, ut Ecclesiam potentiâ suâ defendant, & congruam dotem præstent; ùt ostendi suprà Concluf. 2. ergo &c. Tertium, & quartum tandem resolvitur in *cap. Dilectus 6. de Officio delegati.* Et in *cap. Cùm Dilectus 28. De Jure Patronatûs.*

9. Dico sextò : Ordinarii tamen locorum regulariter neque Juri expresso Patronatûs Laici, neque Ecclesiastici suâ authoritate derogare licitè valent. Ita Covarr. Less. Wiggers, Herincx, Abbas, & communis Canonistarum. Et Ratio est; quia nullus extat Canon hoc eis concedens : & aliunde non habent indefinitam, ùt Papa, sed limitatam potestatem circa beneficia Ecclesiastica : ergo &c.

10. Nota quartò ex his sequentia Corollaria : *Primò*; Episcopum non posse licitè absque consensu pollentis Jure Patronatûs beneficia convertere, faciendo ex Ecclesia Curata Collegiatam; utì habet Lambertinus, Laym. Abbas &c. Ratio est; quia Patronus in tali casu amitteret Jus præsentandi Rectorem. *Secundò*; Episcopum similiter non posse, absque consensu Patroni, facere unionem beneficii Patronati cum alio : uti docet Cittadensis, Laym. Garcias, Azor. &c. Ratio est eadem, quæ supra. Potest tamen Episcopus hæc facere, si maneat Patrono salvum Jus Patronatûs; vel si consensus eorum requiratur ; & justæ emergant causæ hoc faciendi; utì conceditur *can. Decretum, causf. 10. q. 1.* Justæ porrò causæ erunt, occurrens valdè gravis Ecclesiæ necessitas; vel cultûs Divini promotio; vel redditũ tenuitas; utì notat Abbas, &c. DD.

CAP. II.

De Personis capacibus Juris Patronatûs, ac Juribus Patronorum.

1. Dico primò : Tam Clerici, quàm Laici sunt capaces Juris Patronatûs. Ita Zoës. Abbas, Vallens. &c. Et constat ex *cap. Quoniam 3. hoc tit.* Nam quamvis de rigore Juris Laicus nequeat habere Jus Patronatûs; cùm sit spirituale, vel saltèm spirituali annexum quid; & Laicus non sit capax Jurium spiritualium, *cap. Decernimus, de judiciis.* Attamen Ecclesia hoc Jus Laicis concessit, tum remunerationis causâ; tum ut magìs allicerentur iidem ad opera pietatis, scilicet ad fundandas, & dotandas Ecclesias, erigendáque beneficia Ecclesiastica ; utì rectè notat Zoës. & Vallens.

2. Dico secundò: Jus Patronatûs competere potest tam maribus, quàm fœminis ; tam puberibus, quàm impuberibus ; tam legitimis, quàm illegitimis. Ita Azor. Abbas, &c. Et primum constat ex *cap. ult. de concess. prebend.* Ratio secundi de puberibus, & impuberibus est ; nam non tantùm puberes ; sed etiam impuberes sunt capaces hæreditatum, quibus sæpè adhærent Jura Patronatûs. Tertium colligitur ex *can. Pie 26. & seq.* Et *can. Filiis 31. causf. 16. q. 7.* ubi generaliter dicitur, quòd Jus Patronatûs dari possit omni Christiano, qui extruxerit vel dotaverit aliquam Ecclesiam.

3. Dico tertiò : Nec Infideles, ut Pagani, & Judæi ; neque hæretici sunt capaces Juris Patronatûs, etsi hi extruxissent Ecclesias, vel easdem dotâssent. Ita Gloss. Fagn. Pirh. &c. Et primum de Infidelibus colligitur ex *cit. can. Pie*, & *can. Filiis.* Secundum de Hæreticis inde patet ; quòd Jus Patronatûs sit jus Ecclesiasticũ ; Hæreticus autem est extra Ecclesiam ; unde non competit ei Jus, & honor in Ecclesia solitus conferri, *can. Didicimus 31. causf. 24. q. 1.* Circa alterum articulum hujus Capituli

4. Nota primò : Quatuor tantùm expressa Jura reperiuntur concessa Patronis, videlicet Jus præsentandi ; honor, & primus in Processionibus ac sessionibus locus in illa Ecclesia, cujus est Patronus ; & alimonia ex redditibus Ecclesiæ quam fundavit vel dotavit, ei præstanda, quando in egestatem incidit ; utì constat ex *cap. Nobis 25. hoc tit.* Et *can. Quicunque, causf. 16. q. 7.* Et Jus defendendi Ecclesiam à se fundatam, vel dotatam, nè à potentioribus opprimatur, *can. Filiis, causf. 16. q. 7.* quæ omnia Jura sequentibus versibus exprimuntur

Patrono debetur honos, onus, utilitásque,
Præsens ut præsit, defendat, alatur egenus.

5. Dico quartò : Non competit Patronis etiam Ecclesiasticis potestas Bona Ecclesiarum, quarum Patroni sunt, administrandi, vel de illis liberè disponendi, instituendo, vel destituendo Clericos in Ecclesiis patronatis; Ita communis DD. Et constat ex *cap. Præterea 4. hoc tit.* Et Trident. *sess. 25. cap. 9. de Reformat.* Possunt ergo Patroni tantùm denunciare Ordinario Loci defectus, & negligentias obrepentes in administratione bonorum talis Ecclesiæ, ab eóque petere medelam. Similiter Patrono fundanti Ecclesiam Collegiatam non competit jus eligendi Prælatum ; præsertim si Laicus sit, *cap. Nobis 25. hoc tit.* Nec etiam Jus habet nominandi vel præsentandi Prælatum seu Rectorem in præfata Ecclesia ; sed solùm in Capella, vel Ecclesia non Collegiata,

legiata, tametsi Parochialis sit; uti colligitur ex *cit. cap. Nobis*.

6. Dico quintò: Pariter Patronus nequit authoritate propriâ, sine consensu Ordinarii Jus Patronatûs alienare; aliquid temporale ab Ecclesia patronata, vel beneficio exigere; nec aliud onus eidem imponere; nisi pensio aliqua in primæva ejus fundatione cum consensu Episcopi fuisset Patrono reservata; Ita habetur *cap. Præterea 23. hoc tit.* Et tenet communis DD.

CAP. III.

De Translatione Juris Patronatûs; ac Præsentatione à Patrono facienda.

1. Nota primò: secundùm Glossam Vallens. & communem DD. quatuor modis potest contingere translatio Juris Patronatûs in tertium aliquem, scilicet successione; donatione; permutatione; & venditione: de quibus singulis pono sequentes conclusiones, & notabilia. Et

2. Dico primò: per successionem omninò transfertur Jus Patronatûs. Ita constat ex *can. Considerandum caus. 16. q. 7.* Et quidem non tantùm ad hæredes consanguineos; sed etiam ad extraneos ex testamento succedentes, tam pupillos, quàm adultos, tam masculos, quàm fœminas transit ejusmodi Jus, *cap. 1. hoc tit.* idque mox adita hæreditate, etiam ante captam possessionem; uti notat ex Garzia Vallensis. Et quidem in solidum; quia Jus Patronatûs est individuum seu indivisibile, *cap. 1. hoc tit.* In stirpes tamen; non autem in capita; ut si ex pluribus Patronis unius defuncti extent plures hæredes, hi omnes in præsentando obtinent unam vocem; cùm hi omnes repræsentent unam personam defuncti, Clement. *1. hoc tit.* Et nullus eorum seorsim ab alio potest præsentare; sed omnes communiter, *cit. cap. 1. hoc tit.* Cæterum ut faciliùs provideatur Ecclesiis, & evitentur discordiæ, permissum est in Clement. *Plures 2. hoc tit.* ut Patroni Jus præsentandi inter se dividant ratione temporis, & inter se conveniant de Rectore, ab eis alternis vicibus præsentando.

3. Nota secundò: si hæredes, vel Patroni discordent inter se in præsentando, & propterea Ecclesia careat Rectore, potest Episcopus imperare in Ecclesia cessationem à Divinis Officiis; uti habetur *cap. Perlatum 1. hoc tit.* Aut potest tollere reliquias extra Altaria posi-tas, & ostia Ecclesiæ claudere, ut nullus ibi Missam legere valeat, *cap. 2. hoc tit.* Et demum potest instituere illum, qui plura habuerit merita, vel majoris partis consensum; si id sine scandalo fieri possit. Alioquin ipse Episcopus liberè absque præsentatione aliquem instituet, *cap. Quoniam 3. hoc tit.*

4. Nota tertiò: Jus Patronatûs potest etiam transferri per successionem hæreditariam ad Monasterium, seu Religionem, quando Monasterium est capax hæreditatis, uti habet Tambur. Pirh. &c. Similiter potest transire ad alium per legatum in testamento relictum, uti habet Sylv. Abbas. &c.

5. Dico secundò: Jus Patronatûs etiam transfertur in tertium per donationem, ità ut Patronus Laicus absque licentia Diœcesani possit Jus Patronatûs concedere alicui Ecclesiæ, vel Monasterio. Ita constat ex *cap. Illud 8. hoc tit.* Et *cap. Si Laicus, unic. hoc tit. in 6.* Ut tamen memoratum Jus validè donari possit Laico, vel etiam Clerico ut privatæ personæ, requiritur consensus Diœcesani; uti colligitur ex *cit. cap. unic.* Et *cap. Illud 8. hoc tit.*

6. Dico tertiò: Jus Patronatûs pariter transfertur per venditionem non quidem per se; hoc enim esset Simonia; Sed tamen per accidens, & concomitanter, scilicet cum universitate bonorum venditorum, v. g. alicujus Castri cui Jus Patronatûs adhæret; Ita constat ex *cap. Literis 7. hoc tit.*

7. Dico quartò: demum etiam Jus Patronatûs transfertur per permutationem similis Juris Spiritualis accedente tamen consensu Ordinarii; Ita constat ex *cap. Ad quæstiones, de rerum permut.* Non potest ejusmodi Jus permutari cum aliqua re merè temporali, *cap. Ad quæst. 6. & ult. de permut.* Circa Præsentationem.

8. Dico quintò: rectè describitur Præsentatio, quòd *sit persona per Patronum Ecclesiæ Episcopo, vel alteri ad quem institutio pertinet, legitimè facta exhibitio, ut eidem de beneficio vacante provideat.* Ly *exhibitio* est genus; reliqua subeunt rationem differentiæ.

9. Dico sextò: Patronus alicujus Ecclesiæ vacantis, vel beneficii, tametsi esset Clericus, & persona idonea, nequit præsentare seipsum; Ita habetur *cap. per nostras 26. hoc tit.* Potest tamen ejusmodi Patronus ab Episcopo motu proprio institui in illa Ecclesia, vel beneficio, si pro illa vice liberè renunciet Juri præsentandi, & nullum præcedat pactum cum Episcopo, ac absit scandalum, ùt habet Abbas, Pirh. &c. Item quando plures Patroni Clerici, vel Clericus, alter Laicus concurrunt, tunc possunt unum ex seipsis præsentare; si alioquin

alioquin sit idoneus; ut constat ex *cap. Cùm in Jure 33. de Elect.* & tenet Azor. Abb. Vallens. &c. Potest etiam filius idoneus à Patrono Patre præsentari ad beneficium vacans Ecclesiæ patronatæ, utì colligitur ex *cap. Consuluit 15. hoc tit.*

10. Dico septimò: Patronus tenetur semper ad Ecclesiam cujus est Patronus, & ad beneficia præsentare personas idoneas, & dignas; aliàs si præsentet indignas, peccat graviter. Ita Azor. Pirh. &c. Estque Ratio; quia non satisfacit muneri suo, & Ecclesiæ affert damnum, ac incommodum: unde nec Episcopus ejusmodi præsentatum admittere debet, ùt habent *cit. DD.*

11. Nota quartò: Jura Canonica gravissimè vetant, nè Clerici emant, vel aliô titulô etsi aliàs justô acquirant Jus Patronatûs, cum illa intentione, & ad illum effectum, ut filii, vel nepotes eorum in Ecclesiis patronatis ab iisdem præsententur, alioquin eodem Jure sunt spoliandi, *cap. Quia Clerici 6. hoc tit.*

12. Dico octavò: locò Patroni pupilli, vel minoris Septenniô, Tutor facere debet præsentationem; si verò Patronus sit major Septenniô, tunc ipse præsentare potest, etiam sinè Tutoris authoritate; & præsentatus à tali Patrono præferendus est præsentato à Tutore, Ita Vallens. & colligitur ex *can. Decernimus, caus. 16. q. 7.*

13. Dico nonò: si Patronus Ecclesiæ sit Laicus, is licitè variare potest in præsentando, seu mutare suam sententiam, & præsentare alium idoneum; quamdiu res adhuc est integra, seu institutio in beneficium nondum secuta; non autem si Patronus sit Ecclesiasticus. Ita communis DD. Primum patet ex *cap. Quod autem 5. hoc tit.* Et in *cap. Cùm autem 24. eod.* Secundum habetur *cap. Cùm autem 24. hoc tit.* Quando Clericus à Patrono Laico præsentatus repellitur ab Episcopo, & propterea appellet ad Summum Pontificem; interim autem dictus Patronus præsentet alium idoneum, isque ab Ordinario instituatur in beneficio, tunc hic institutus est præferendus illi priùs præsentato: quia hìc currit illud axioma, *melior est conditio possidentis*, seu illius, qui ab Ordinario institutus est; & constat ex *cap. Pastoralis 29. hoc tit.*

14. Dico decimò: si contingat extare plures Patronos ejusdem Ecclesiæ, ad quos spectat Jus Patronatûs ùt singulos; tunc possunt singuli separatim facere suas præsentationes, non consultis, vel vocatis aliis; secùs dicendum si Jus Patronatûs spectet ad ipsos ùt universos seu Jure Collegii, Ita Vallens. Garz. Ricc. &c. Ratio est; quia in primo casu non requiritur consensus simultaneus omnium; nisi statutum speciale, vel consuetudo aliud obtineret: in secundo verò requiritur ejusmodi consensus.

15. Dico ultimò: Præsentatio debet à Patrono fieri intra certum tempus à Jure definitum: unde si Patronus sit Ecclesiasticus debet fieri infra sex menses; si Laicus, infra quatuor menses, numerandos à die vacationis cognitæ: & si infra ejusmodi tempus non sequatur præsentatio, Episcopus pro illa vice liberè instituere potest personam habilem in Ecclesia, vel beneficio vacante; Ita habetur *cap. 3. & 22. & 27. hoc tit.* Et in *cap. unic. hoc tit. in 6.* Memoratum tamen tempus non oberit, neque obest illi Patrono, qui ignorat vacantiam Ecclesiæ, vel beneficii; nec illi, qui est legitimè impeditus à præsentando, utì advertit Azor. Sylv. &c.

CAP. IV.

Varia circa Jus Patronatûs resolvuntur.

1. Dico primò: Quando Jus Patronatûs transfertur in aliam personam aliquo ex supradictis quatuor modis, puta successione, donatione, &c. talis persona non potest statum Ecclesiæ, vel Rectorem ejùs mutare; nec possunt tunc pro arbitrio Patronorum Ecclesiæ permutari, Ita habetur *cap. Querimoniam 9. hoc tit.* Et tenent DD. communiter.

2. Dico secundò: Jura Patronatûs possunt dari in feudum, vel emphyteusim; sed nonnisi cum universitate rei, v. g. Castri, cui Jus Patronatûs adhæret inseparabiliter; Ita sumitur ex *cap. Cùm seculum 13. hoc tit.* Institutio in Ecclesia vacante facta ab Episcopo sinè consensu vel præsentatione Patroni regulariter est irrita, utì constat ex *can. Decernimus 32. caus. 16. q. 7.* Et ex *cap. Ex insinuatione 14. hoc tit.* Excipe nisi Patronus sit negligens in præsentando intra tempus à Jure præfinitum: vel præsentatio fiat à Patronis in discordia, ita ut ex præsentatis sinè scandalo nullus possit institui, utì notant Barbos. Garc. &c.

3. Dico tertiò: Ordinarius nequit Ecclesiam vel beneficium, quod est Juris Patronatûs concedere, vel unire alteri Ecclesiæ, beneficio, vel Monasterio, vel Canonicatibus, absque assensu Patroni, tametsi hoc fieret ad augendas Præbendas Canonicorum; Ita constat ex *cap. Exposuisti 33. de Præbendis.* Estque Ratio; quia Patronus per ejusmodi unionem perdit Jus præsentandi, sicque patitur grave præjudi-

præjudicium. Neque potest idem Ordinarius qualitates seu Conditiones beneficii in prima fundatione appositas, nec quidem cum consensu Patroni successoris, saltèm in totum, & in perpetuum mutare; sed hujusmodi mutatio ad solum Papam, utpotè qui solus plenissimam habet dispositionem circa Ecclesias, & beneficia Ecclesiastica, pertinet; Clem. 2. *in prin. de Relig. domib.* Unde Papa ex plenitudine suæ potestatis Pontificiæ etiam potest derogare cuivis Patronatui tam Laico, quàm Ecclesiastico, rationabilem ob causam, uti habet Glossa, Abbas, &c.

4. Nota primò: Variis modis deperditur Jus Patronatûs. *Primò*; si Patronus committat crimen læsæ Majestatis, vel hæresis: nam in similibus casibus Patroni universa bona Fisco cedunt, & consequenter cum eisdem Jus Patronatûs devolvitur aliò, *cap. Vergentis 10. de hæreticis.* Idem dicendum si Patronus fiat Schismaticus, vel apostata, vel fautor hæreticorum, uti notat Barb. & Pirh. *Secundò*; si Patronus occidat, vel mutilet nefariè Rectorem Ecclesiæ, sive hoc faciat per se, sive per alium; quo casu privatur Jure Patronatûs usque ad quartum gradum, *cap. In quibusdam, de pœnis.* *Tertiò*, per cessionem liberam alteri factam; vel per remissionem, *cap. 1. hoc tit. in 6.* *Quartò*, si Patronus patiatur Capellam converti in Ecclesiam Collegiatam, in qua non habet locum præsentatio; sed electio, cui se Patronus immiscere nequit suffragando; quamvis interponere possit suas partes in tractatu electionis, uti habet Gloss. & Pirh. & colligitur *cap. Nobis 25. hoc tit.* *Quintò*, si Patronus sibi usurpet per artem, vel quæsito aliquo colore Jurisdictiones, census, bona, vel Jura Ecclesiastica, uti constat ex Trident. *sess. 22. cap. 11. de Reform.* *Sextò*, si simoniacè acquisierit JusPatronatûs, eô est privandus, *arg. cap. Quia Clerici 6. hoc tit.* *Septimò*, si Ecclesia patronata penitus destruatur terræmotu, incendio, vel aliter sinè spe reædificationis; vel si redditus ejus penitus deficiant; uti notat Zoës. Pirh. &c. *Octavò*, si bona illa confiscentur, quibus Jus Patronatûs adhæret, etiam extra duos casus præfatos criminis læsæ Majestatis, & hæresis; uti habet Garz. & Vallens. *Nonò*, si Patronus ipsum Jus Patronatûs per se vendere, vel alio modo in alium transferre præsumpserit contra præscriptum SS. Canonum *cap. Quia Clerici 6. hoc tit.* Et talis Patronus subjicitur excommunicationi, ac interdicto per Trident. *sess. 25. cap. 9. de Reform.* *Decimò*, extinguitur ejusmodi Jus per extinctionem familiæ Fundatoris, si pro illis duntaxat erat constitutum; uti observat Pirh. &c. *Undecimò*, per non usum longissimi, vel saltèm longi temporis; puta si Patronus non impeditus omisit saltèm duabus vicibus præsentare Rectorem pro Ecclesia vacante; uti notat Barbos. &c.

TITULUS XXXIX.

De Censibus; Exactionibus; & Procurationibus.

CAP. I.

De Censibus.

1. NOta primò: Postquam Pontifex *priori titulo* expedivit tractatum de uno onere, quod communiter impositum est Ecclesiis, ac beneficiis, videlicet de Jure Patronatûs; consequenter prosequitur *hoc tit.* reliqua onera eorundem, scilicet census, exactiones, & procurationes. Nomen autem *Census* variè usurpatur: *primò*, pro æstimatione bonorum in ordine ad tributa solvenda, *L. 4. ff. de censib.* *Secundò*, pro ipso tributo, seu pensione annua, quam quis præstat secundùm facultates Principi in recognitionem dominii supremi. *Tertiò*, & magìs ad propositum capitur pro annuo redditu, qui solvitur Superiori Ecclesiastico ex proventibus Ecclesiæ, *cap. Constitutus 6. de relig. domib.* Unde

2. Dico primò: rectè describitur Census, de quo hìc, quòd *sit pensio quædam quæ de proventibus certæ Ecclesiæ, vel beneficii, Monasterii, vel alterius pii Loci solvitur Episcopo, vel aliis Superioribus Ecclesiasticis in recognitionem subjectionis, vel ex alia causa.* Ita deducitur ex *cit. cap. Constitutus.* Ly *pensio* est genus; reliqua ponuntur pro differentia.

3. Nota secundò: Census varias patitur divisiones, quas vide *in Schola mea Theologica, tom. 4. tract. de Virt. Cardinal. dist. 12. q. 12. n. 7.* ad propositum accommodata ejus divisio est

in Censum antiquum, & novum. *Census antiquus* dicitur ille, qui fuit impositus tempore fundationis, vel consecrationis Ecclesiæ: nam illo tempore Episcopus sibi ipsi, & Patronis, ac Fundatoribus, vel aliis Clericis ex justa causa, atq; cum Fundatorum consensu moderatum Censum potest constituere *per textũ*, & DD. in *cap. Præterea 23. de Jure Patronat.* Et *cap. Quanto 16. hoc tit.* Et *cap. Querelam 24. de elect. Census novus* dicitur, quem Episcopus primùm post Fundationẽ, aut Consecrationẽ Ecclesiis imponeret.

4. Dico secundò: Episcopus nequit Monasteriis, vel aliis Ecclesiis sæcularibus imponere novos census; nec veteres augere. Ita Glossa, & communis DD. Primum statuitur in *cap. Scientes 3. hoc tit.* Secundum constat ex *cap. Prohibemus 7. hoc tit.* DD. tamen excipiunt aliquos casus à priori regula. *Primò* potest Episcopus decrepito beneficiato renuncianti beneficium pensionem alimentorum constituere. *Secundò* pro sustentatione pauperum Scholarium. *Tertiò* pro reparatione Ecclesiæ Cathedralis. *Quartò* pro erectione Seminarii Juvenum Ecclesiasticorum. Similiter nec Clerici aliquibus Censibus novis Ecclesias onerare possunt; & si qui per collusionem Ecclesiam aliquam censualem constituerent, ab eadem amoveri debent, *cap. Cùm Clerici 11. hoc tit.* Neq; Patroni novum censum Ecclesiis, vel beneficiis patronatis imponere possunt; nec veterẽ augere, *cap. Gravis 15. hoc tit.*

5. Nota tertiò: tametsi ex aliquo Ecclesia consueverit dare annuam pensionem; non propterea ex sola solutione ejus probatur subjectio talis Ecclesiæ, aut quasi possessio subjectionis; nisi exprimatur in hujusmodi solutione, eam fieri ratione subjectionis; vel nisi aliunde probetur subjectio ex circumstantiis loci, temporis, vel personarum; uti advertit Tuschus, Abbas, Laym &c. Qui Censum exposcit ab aliqua Ecclesia debet exprimere causam, ratione cujus ei debeatur: nam ille Census, cujus causâ ignoratur, non est ex obligatione solvendus, *cap. Pervenit 5. hoc tit.*

6. Dico tertiò: Census solvendus est in moneta antiqua, quæ tunc currebat, quando Census fuit constitutus, si adhuc extet; alioquin in nova, quæ nũc currit; secundùm tamẽ æstimationẽ monetæ antiquæ, sive in illa quantitate, quæ eidem æquivaleat. Ita Abb. Fagn. Vallens. &c. Et sumitur ex *cap. olim 20. hoc tit.*

CAP. II.

De Exactionibus.

1. Dico primò: rectè describuntur Exactiones, prout de eis hìc agitur, quòd *sint subsidia quædam extraordinaria, quæ penduntur Prælatis, justa de causa ea petentibus.* Colligitur ex *cap. 6. hoc tit.* Ly *subsidia* est genus; reliqua pro differentia statuuntur. Hujusmodi Exactiones sunt tributa quædam Ecclesiastica, & consistunt in collectis pecuniariis. Talia subsidia numerantur sequentia, videlicet portio Canonica; Synodaticum, seu Cathedraticum, quarta Decimationum; & subsidium Charitativum.

2. Nota primò: Episcopis debetur Exactio illa, quæ Portio Canonica dicitur; & quidem ex relictis, & proventibus Ecclesiis obvenientibus; cujusmodi sunt legata, quæ fiunt Ecclesiis, aut aliis piis locis, *can. de his 7. & seq. caus. 10. q. 1.* Similiter debetur ipsis Synodaticum, seu Cathedraticum *cap. olim 2. hoc tit.* quod consistit in solutione duorum solidorum, id est duorum aureorum circiter, qui quotannis Episcopo solvi debent ab omnibus, ad Synodum vocatis. Pariter quarta decimationum, seu decimarum eisdem debetur, *cap. Conquerente 16. de Offic. Ordin.* Et *cap. Cùm olim 19. hoc tit.* Demum etiam debetur ipsis subsidium charitativum (quod est Exactio quædã extraordinaria propter manifestam, & rationabilem necessitatem, cum charitate à subditis postulata) uti constat ex *cap. Cùm Apostolus 6. hoc tit.*

3. Dico secundò: præfatæ Exactiones, seu subsidia præstari debent Episcopis ab omnibus Ecclesiis sæcularibus suæ Diœcesis. Ita habetur *cap. Cùm olim 19. hoc tit.* Non item à Monasteriis exemptis; bene tamen à Capellis, & Parochiis eorũ incorporatis Monasterio, habentibus curam animarum; uti constat ex *can. inter cætera 8. caus. 10. q. 3.* Præterea exigi potest ab omnibus Clericis beneficiatis Episcopo subjectis; item à Capitulo, seu Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ; uti colligitur ex Extrav. *1. hoc tit. inter Comm.* Non obligantur autem ad illud solvendum Clerici non beneficiati; etsi bona patrimonialia haberent, uti habet Azor. Barbos. &c. Nec Laici, uti constat ex *can. quia cognovimus 6. caus. 10. q. 3.*

4. Nota secundò: causas manifestas & rationabiles, ob quas Episcopus potest petere subsidium Charitativum, esse sequentes: si opus sit multis expensis pro consecratione Episcopi, vel pro fabrica Ecclesiæ; vel pro negotiis communibus Diœcesis pertractandis; vel pro profectione ad Sum. Pontificem, aut Imperatorem ob Ecclesiæ suæ, vel universalis Ecclesiæ commune bonum; vel pro itinere ad limina Apostolorum visitanda; vel ad Concilium Generale; pro defensione Ecclesiæ contra hostes, &c. uti notat Barb. Azor. &c.

CAP. III.

De Procurationibus.

1. Dico primò: Procurationes rectè describuntur, quòd *sint præstationes sumptuum necessariorum debitæ prælatis pro illo tempore, quo Ecclesias suæ Diœcesis visitant, præbendæ ex redditibus Ecclesiarum visitatarum*; Ita colligitur ex *cap. Procurationes 23. hoc tit.* Ly *Præstationis* est genus; reliqua habent rationem differentiæ.

2. Dico secundò: Prælatis visitantibus Ecclesias suæ Diœcesis, debent procurationes exhiberi: Ita habetur *cap. cit. 23.* Estque Ratio; quia cùm nemo cogatur, secundùm Apostolum *1. ad Corinth. 9.* suis militare stipendiis; meritò Prælatis in Visitatione seminantibus Spiritualia in Ecclesiarum commodum, præstantur temporalia, seu Procurationes in sustentationem. Et debentur ejusmodi Procurationes Prælatis ab omnibus Ecclesiis, etiam Regularibus, Monasteriis; item à Capellis in Ecclesiis Collegiatis erectis, Oratoriis publicis authoritate Ordinarii constructis; *cap. Cùm Apostolus 6.* Et *cap. Cum instantia 17.* Et *cap. Sopita 14. hoc tit.*

3. Nota primò: Consistunt autem Procurationes debitæ Prælatis in victualibus, id est, pertinentibus ad cibum, & potum honestum, moderatum, & sufficientem pro ipso Visitatore, ejúsque moderato comitatu; utì & in pabulo pro equis, aliísque jumentis quibus utitur; in quibus suppeditandis consuetudo Provinciæ, & facultates subditorum, qui visitantur, ac conditio Visitatoris attendi debet; utì advertit Zerola, Azor. Pirhing. &c. Unde juxta priscam Constitutionem Innocentii IV. quæ refertur in *cap. Romana 1. hoc tit. in 6.* quæ renovata est per Gregorium X. in Concilio Lugdunensi, & refertur *cap. Exigit 2. hoc tit. in 6.* ordinatur, Procurationes non esse accipiendas in moneta, seu pecunia. Sed Tridentinum *sess. 24. cap. 3. de Reform.* in optione reliquit, ut vel victualia, vel eorum locô pecunia observatâ debitâ taxâ accipi possint. Et addit ne extra Procurationes aliud quidpiam acceptetur, sive sit pecunia, sive munus quodcunque, & qualitercunque oblatum; sub pœna restitutionis dupli intra mensem facienda; ac aliis à Synodo Provinciali determinandis.

4. Dico tertiò: Procurationes debentur tantùm Prælatis personaliter visitantibus, ut Archi-Episcopis, Episcopis, Archi-Diaconis, Legatis, & Nunciis Apostolicis, ac aliis Prælatis inferioribus; Ita habetur *cap Procurationes 23. hoc tit.* Quòd si autem præfati Prælati in persona non visitaverint Diœcesim; sed alios ad hoc munus miserint; tunc non Prælatis, sed illis Delegatis Visitatoribus Procurationes præstandæ sunt, *cap. si Episcopus 37. de Offic. Ordinar. in 6.* Et Extrav. *vel Electionis, unic. hoc tit. inter communes.*

5. Nota secundò; si Visitator una die visitet plures Ecclesias, non potest à singulis singulas Procurationes exigere; sed unicâ Procuratione pro uno die contentus esse; & ad hoc omnes illâ die visitatæ Ecclesiæ juxta proportionem suorum redditūum concurrere debent, utì notant DD. in *cap. Cum instantia.* Et *cap. Procurationes 23. hoc tit.* Et *cap. 3. eod. in 6.* Si in aliquo loco nihil certi sit statutum circa procurationes præstandas; attendenda est consuetudo vicinarum Ecclesiarum *cap. Super eo 22. hoc tit.* Et si ab aliqua Ecclesia cum consensu Patroni, in fundatione, Procuratio nullâ adjectâ quantitate determinatâ, imposita sit alteri Ecclesiæ solvenda; tunc illa non debet augeri; sed secundùm modum solitum, sive consuetum solvi; nisi facultates gravatæ ita notabiliter crevissent, ut absque magno gravamine possit solvere majorem Procurationem, *cap. Quamo 16. hoc tit.*

6. Dico quartò; Jus ad Visitationes exercendas, ratione quarum Procurationes debentur, habent soli illi, qui pollent Jurisdictione ordinaria in Ecclesiis, & habent Clericos subditos; quales sunt Papa, Patriarchæ, Primates, Archi-Episcopi, Episcopi, Legati Pontificii à latere, Legati nati in casibus urgentibus, & necessitatis, Archi-Diaconi, Decani, ac alii Episcopo inferiores, quibus Jus visitandi longa consuetudine competit. Ita habent Azor. Barb. Pirh. Et constat ex Trident. *sess. 24. cap. 3. de Reform.* Visitationes debent à præfatis personis institui quotannis saltèm semel, *can. decrevimus 10. & seq. caus. 10. q. 1.* Et Trident. *sess. 7. cap. 8. de Reform.* Hæ ut ordinatæ fiant, debet Episcopus secundùm *cap. Romana 1. hoc tit. in 6.* priùs Capitulum, & Metropolitanam Ecclesiam visitare; dummodo id commodè fieri possit, & subsit causa Visitationis, uti notat Glossa. Insuper debet visitare non tantùm majores; sed etiam minores; nec tantùm Clericos, sed & populum, *cit. cap. Romana.*

7. Nota tertiò: Non potest autem Episcopus visitare Ecclesias, nec consequenter Procurationibus gravare Ecclesias Regulares exemptas v. g. Mendicantium Ordinum juxta Trident. *sess. 25. cap. 20. de Regular.* Nisi cu-

ram animarum haberent annexam; quo casu eas visitare quidem potest; sed in iis duntaxat, quæ curam animarum, & Sacramentorum administrationem concernunt, ex *cit. Trid. cap. 11. de Regular.* Similiter nec potest visitare Ecclesias, quæ nullius sunt Diœcesis, id est, quæ habent territorium separatum cum omnimoda Jurisdictione quasi Episcopali in Clerum, & populum; uti constat ex Trident. *cit. cap. 9.*

TITULUS XL.

De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

CAP. I.

De Consecratione Ecclesiæ.

1. Nota primò: Quoniam in *Superioribus titulis* actum fuit de Jure Patronatûs, quod acquiritur per fundationem, vel dotationem Ecclesiæ; & de Censibus, exactionibus &c. quæ tempore Consecrationis Ecclesiarum plerumque constituuntur; consequenter Papa addit *hunc tit.* de ipsa Consecratione Ecclesiarum.

2. Dico primò: bene describitur Consecratio Ecclesiæ, quòd *sit sacra delibutio, & dicatio ædium ad cultum Divinum erectarum, cum speciali ritu facta ab Episcopo, ad hoc, ut populus Christianus in eis opera Religionis ritè exercere valeat.* Ly *delibutio* & *dicatio* est genus; reliqua ponuntur pro differentia.

3. Dico secundò: Ecclesia legitimè constructa priusquam in ea Divina mysteria peraguntur, regulariter priùs, & quantocyùs consecrari debet; & quidem ab Episcopo Diœcesano. Ita communis DD. Et habetur *can. Ecclesias, caus. 16. q. 7.* Et *cap. 1. de reg. domib.* Poterit tamen ejusmodi Consecratio à Diœcesano committi alicui alteri Episcopo, *cap. aqua, pen. hoc tit.*

4. Dico tertiò: Consecratio est Ordinis Episcopalis; unde à solo Episcopo, & non à simplici Sacerdote fieri potest. Ita Sylv. Azor. & communis. Et habetur *cap. nemo 9.* Et *cap. nullus 15. dist. 1. de Consecrat.* Et *cap. aqua 9. hoc tit.* Idem dicendum de Altarium Consecratione. Ex speciali tamen commissione Papæ simplex Sacerdos consecrare posset Altaria, secundùm Azor. Pirh. &c.

5. Nota secundò: Consecratio Ecclesiæ fieri debet inter Missæ celebrationem, *cap. omnes 3. & cap. de fabrica 24. dist. 1. de Consecrat.* Poterit tamen etiam perfici die profano, *cap. Tua 2. hoc tit.* Antequam verò peragatur ejusmodi Consecratio, debet Episcopo constare de competenti ejus dote, *cap. Cum sicut 8. hoc tit.* Erit autem competens Dos, si sufficit pro luminaribus *can. 1. caus. 1. q. 2.* & ad honestam sustentationem Presbyteri *cap. nemo, dist. 1. de Consecrat.*

6. Nota tertiò: Consecratio semel Ecclesiæ alicui impensa, non debet reiterari; cùm instar baptismi accepti reputetur, *cap. Ecclesiis 20. dist. 1. de Consecrat.* Præterquam in certis casibus. Et *primò* si oriatur dubium de ejus Consecratione; nec appareat ullum argumentum probativum de eadem Consecratione, per aliquam Scripturam, vel testes; tunc Ecclesia potest licitè reconsecrari, *cap. Ecclesiæ 18. dist. 1. de Consecrat.* Præsumitur autem consecrata, & sufficit probatio, si id constet etiam per unum duntaxat testem de visu, vel auditu deponentem; uti notat Vallens. Vel per aliquam Scripturam in libros Ecclesiæ relatam; vel per tabulam marmoream, aut aliam, vel per signacula crucum in muris depictarum; uti habet Glossa. Et quia hujusmodi semiplenæ probationes tunc sufficiunt, quandocunque nemini fit ullum præjudicium, *cap. solemnitates 16.* junct. Gloss. ver. *Scriptura, de Consecrat. dist. 1.* *Secundò,* similiter si tota moles Ecclesiæ destructa sit, etiam quoad muros principales; & propterea quasi ex toto reædificari debeat; quo casu Ecclesia prior nec physicè, nec moraliter censetur eadem; prout constat ex *cap. de fabrica 24.* & ibi Gloss. ver. *instauranda, dist. 1. de Consecrat.* *Tertiò*, pariter reconsecratur licitè, si Ecclesia sit absumpta à flammis, vel aliter, ita ut etiam muri interiores fuerint devastati, & abrasi majori ex parte, *cap. Ecclesiis 20. dist. 1. de Consecrat.*

7. Nota quartò: Non eget autem reconsecratione Ecclesia, si ejus tectum tantùm sit à flammis absumptum: aut muri non sint majori ex parte diruti, *cap. 6. hoc tit.* Nec si successivè aliquæ partes murorum eximantur, & reparentur: quibus casibus sufficit aspersio aquæ benedictæ, *cap. de fabrica 24. dist. 1. de Consecrat.*

8. Nota quintò: Ecclesiam consecratam quinque modis posse violari, seu pollui, ita ut Divina in ea nequeant celebrari, priusquam recon-

reconcilietur. *Primò* per *injuriosam sanguinis effusionem, cap. Proposuisti. cap. ult. de Consecrat. Ecclesiæ;* & *cap. ult. Tit. eodem in 6.* Ratio est; quia magna irrogatur injuria sanctitati Loci. Necesse est autem, ut percussio, seu vulnus infligatur homini existenti in Ecclesia; non super tecto, aut turri, aut in crypta Ecclesiæ; etiamsi sanguinem ex vulnere jam extra Ecclesiam fundat, vel in strophiolum; dummodo data sit causa effusionis in Ecclesia: imò etsi vulnerans extra Ecclesiam existat; quia æquè hoc casu contra sanctitatem Loci peccat. Deinde necesse etiam est; ut factum sit notorium Juris, aut Facti notitiâ; sicut ex communi docet Sa, Durand. &c. Item necesse est; ut injuria pertingat ad culpam mortalem; ita Suar. Con. &c. Unde si casu, vel in justam sui defensionem excutiatur alteri sanguis; vel cum veniali tantùm injuria; ut cùm pueri ex veniali colera sibi sanguinem eliciunt; non violatur Ecclesia. Denique opus est; ut sanguinis non aliquæ guttæ tantùm; sed plures è naribus eliciantur; quia effusio plus aliquid significare videtur; uti docet Abbas in *cap. Proposuisti, de Consecrat.* Imò etiamsi effusio copiosa sit; si tamen percussio, & læsio non sit gravis, Ecclesia non debet censeri violata.

9. *Secundò* violatur Ecclesia per *homicidium injuriosum notorium,* quod, vel cujus causâ perpetratum est intra Ecclesiam, quamvis sinè sanguinis effusione; ita habetur *cap. Proposuisti cit.* Dixi, *vel cujus causa;* necesse enim non est; ut homo intra Ecclesiam moriatur (imò hoc ad rem non pertinet, quia si foris percussus intra Ecclesiam se reciperet, & moreretur, Ecclesia non violaretur) sed solùm requiritur, ut aliquis non sinè injuria mortali intra Ecclesiam plagam receperit, ex qua postea, etiam multis elapsis mensibus, mortuus sit. Nota etiamsi percussio, strangulatio, &c. facta intra Ecclesiam injuriosa non sit percusso; sufficit tamen quòd sit injuriosa sanctitati Loci, ipsiq; DEO, ad contrahendam Ecclesiæ violationem; ut si quis seipsum vulneret; item si Judex reo mortis supplicium in Ecclesia inferat.

10. *Tertiò* violatur Ecclesia per *illicitam, & notoriam humani seminis intra Ecclesiam effusionē:* habetur *cap. ult. de Consecrat. Eccles.* Et *cap. Ecclesiis, dist. 1. de Consecrat.* Sive ea fiat per voluntariam pollutionem; sive per carnalem copulam, etiam conjugalem: præterquam si carnalis copula, ob urgentem necessitatem, diu in Ecclesia manendo tempore belli v. g. habeatur, & probabile periculum incontinentiæ à culpa mortali excuset, ùt docet Paludanus, Less. &c. Advertendum autem est hìc: quòd secundùm DD. hæc effusio debeat fieri in vigilia, unde si in somno contingat; etsi causa ipsi data fuerit antea, non violatur Ecclesia.

11. *Quartò* violatur per sepulturam hominis excommunicati; habetur *cap. Consuluisti, de Consecrat.* Requiritur tamen post Concilium Constantiense, ut sit excommunicatus non toleratus; id est, ut sit publicè denuntiatus; vel sit notorius percussor Clerici; sicut notant Suar. Con. &c. Et Navarr. in *lib. 5. conc. 10. de hæreticis edit. 1. ad 4. quæst.* dicit, per sepulturam Hæretici, non denunciati nominatim, locum sacrum non violari; ita in *cap. Sacris, de sepulturis.* Imò neque per sepulturam hominis personaliter interdicti violatur Ecclesia: ita Suar. &c. quia nullum extat jus circa hoc.

12. *Quintò* tandem violatur Ecclesia per *sepulturam infidelis Pagani, & non baptizati;* habetur *cap. Ecclesiam 1. & 2. de Consecrat. dist. 1.* tametsi infans sit: si tamen in utero matris mortuus sit, unà cum matre fideli sepeliri potest; quia mater cum fœtu unum corpus censetur; ita Palud: & alii DD. Est autem notandum discrimen inter tres priores modos violandi Ecclesiam, & duos posteriores: quòd priores illæ violationes contrahātur per actionem culpabilem: ad posteriores verò non requiratur culpa. Circa omnia prædicta

13. Nota sextò: Pollutâ Ecclesiâ pollui simul Cœmeterium, si contiguum sit; ita ut ibi nemo possit sepeliri, antequam reconcilietur: non è contra; Ratio est; quia juxta communem Juristarum: Principale trahit ad se accessorium; non è contra; habetur etiam in *cap. unico, de Consecrat Eccles. in 6.*

14. Nota septimò: Locum sacrum in prædictis quinque casibus non censeri violatum, nisi de eis publicè constet, sive evidentiâ facti; sive confessione authoris; sive alia ratione: quare quamdiu res manet occulta, sic ut non nisi pauci sciant, Ecclesia non est polluta; polluetur autem quandocunque propalabitur; ita DD. apud Suar.

15. Nota octavò: si Ecclesia solùm sit benedicta; potest per Sacerdotem cum aqua ab ipso benedicta reconciliari; uti colligunt DD. ex *cap. si Ecclesia, de Consecrat.* Et idem dic de Cœmeterio solitariè posito violato: si verò Ecclesia sit consecrata ab Episcopo, decet per Episcopum reconciliari, aquâ ab aliquo Episcopo benedictâ, cum vino, & cinere. Prælati tamen Regulares ex privilegio Leonis X. Bullâ 6. apud Rodriq. possunt suas Ecclesias consecratas quando pollutæ sunt, reconciliare; sed aquâ ab Episcopo benedictâ, cum vino & cinere; nisi Episcopus distet ultra duas diætas;

S 3 as diætas;

as dietas; dieta una continet 20. milliaria Italica, seu 4. Germanica; tunc enim reconciliare possunt aquâ à se benedictâ. Ita Rodriq. Portel, &c. Imò ex privilegio Pontificis ejusdem possunt iidem Prælati suas Ecclesias, & Cœmeteria benedicere.

16. Nota nonò : contra Sa, Avilam, &c. Ecclesiam violatam non reconciliari per præsentiam Corporis Christi; quamvis bonâ fide contingat in ea celebrari. Ita Portel. Præpositus, &c. Ratio est; quia Ecclesia non consecrata, per hoc non consecratur, vel benedicitur, quòd ibi Missa legatur; aliàs sanè etiam loca privata in quibus celebratur, consecrarentur : adeóque nec violata reconciliatur. Si Ecclesia sub Missæ Sacrificio violetur, priusquam Canon inceptus sit ; debet Sacerdos abstinere ; si autem post Canonem inceptum, non. Ita Suar. Con. &c.

17. Nota ultimò : Discrimen esse inter Ecclesiæ violationem, & execrationem : nam pollutâ Ecclesiâ polluuntur etiam omnia Altaria ejus ; at verò execratâ Ecclesiâ per lapsum parietum, non ideò execrantur Altaria. Ita Abbas, Sylv. &c. DD.

CAP. II.

De Consecratione Altarium, & Cœmeterii.

1. NOta primò : Altare quodvis debet hodie esse lapideum; non verò ligneum, aut terreum, *cap. Altaria 31. dist. 1. de Consecrat.* Duplex autem reperitur Altare, portatile, & fixum. *Altare portatile* est, quod est mobile de loco in locum : & etiam Viaticum dicitur, *cap. ult. de Privil. in 6.* Hoc per se consecratur, & constare debet ex unico lapide integro, tantæ magnitudinis, ut pedem calicis cum patena saltèm quoad majorem partem capere possit. *Fixum* est, quod est immobile de loco in locum ; hoc non consecratur per se, sed quatenus basi est affixum, cujus saltèm tabula, seu Ara superior debet esse lapidea, uti notat Sylv. Abbas, &c.

2. Nota secundò : Altaria aliquando etiam perdere Consecrationem, ita ut opus habeant reconsecratione. Et quidem Portatile exconsecratur, quando lapis ita notabiliter frangitur, aut diminuitur, ut in nulla ejus parte integra calix cum patena secundùm majorem suam partem consistere possit ; *cap. Ad hæc 1.* Et *cap. Quod in dubiis 3.* Et *cap. Ligneis 6. hoc tit.* Et maximè si fractura contingat in illa parte, ubi extat sigillum, seu Sepulchrum Reliquiarum sanctarum : uti notant DD. in *citata Capitula.* Non censetur autem hujusmodi Altare exconsecratum, quando à ligno, cui inclusum est, separatur : nec si aliqua fractura modica in cornibus ejus contingat extra locum Sepulchri Reliquiarum ; uti notat Sylv. &c. dummodo tantum de lapide remaneat, ut capiat calicem, & patenam secundùm majorem partem earundem ; uti habet Laym. &c. Altare fixum exconsecratur, si lapis seu mensa superior à pede, vel columnis, quibus innititur, amoveatur, *cap. si motum 19. dist. 1. de Consecrat.* Vel si ita enormiter eadem mensa frangatur, maximè per mediū, vel ubi est facta Consecratio, ut ad usus sacros reddatur inepta, aut nimiùm difformis ; quod judicio, & arbitrio Episcopi relinquitur examinandum ; *cap. Ad hæc 1. hoc tit.*

3. Nota tertiò : Per exconsecrationem Ecclesiæ causatam per ruinam murorum principalium, non propterea exconsecrantur Altaria ; nec è contra ; uti constat ex *cap. 1. in fine hoc tit.* Sub una eadémque Missa in eadem Ecclesia plura Altaria simul possunt consecrari ; sicut & plures simul Episcopi, *cap. Cùm sit 5. hoc tit.* Non verò in diversis Ecclesiis ; uti notat Abbas. Et quidem quovis die eorum Consecratio fieri potest ; uti ait idem Abbas.

4. Nota quartò : Cœmeterium benedicitur eôdem modô, quô Ecclesia ; & Ecclesiâ consecratâ, censetur & adhærens ei Cœmeterium consecrari ; nam eodem ritu, & simul consecrantur ; uti constat ex Pontificali Romano : quamvis aliâs etiam seorsim consecrari, vel benedici possit ; uti notat Sylv. & Pirh. Cœmeteria benedicunt Episcopi, vel alii de eorum consensu ; uti habet Azor. Mir. &c. Cœmeterium polluitur iisdem quinque modis, quibus Ecclesia ; uti advertunt cit. DD. Et constat ex *cap. si Ecclesiam, unico, hoc tit. in 6.* & eôdem pariter modô reconciliatur, scilicet per aquam solemniter ab Episcopo benedictam ; *cap. Consuluisti, hoc tit.* quod procedit, si Cœmeterium fuerit priùs solemniter benedictum ab Episcopo : nam si nunquam fuit ab eo benedictum solemniter, vel ejus authoritate deputatum ; tunc à Rectore Ecclesiæ aquâ à se benedictâ reconciliari potest ; juxta *cap. ult. hoc tit.*

CAP. III.

Quid possint Prælati Minorum circa Ecclesias, & Ecclesiastica Paramenta benedicenda.

1. DIco primò : Generales, Provinciales, & Guardiani, ac alii Superiores locales Ord. Min. de Observ. & Refor. possunt

Possunt omnes, & singulas sui Ordinis Ecclesias, Cœmeteria, & Oratoria; uti & paramenta, ornamenta, ac alia omnia, ad Divinum cultum pertinentia, & usum Fratrum necessaria (in quibus tamen non intervenit Chrisma) solemni benedictione benedicere. Item Ecclesias, & Cœmeteria peccaminosâ sanguinis, vel seminis humani effusionne polluta reconciliare; & hoc cum aqua, etiam per prædictos duntaxat Prælatos benedicta, in locis remotis, seu dum Episcopus distat ultra duas dietas, id est 8. circiter milliaria Germanica. aliàs si præsens sit intra duas dietas, aquam ab eo benedictam adhibere debent, uti habet Portel. Rodriq. Ita Sorbus, Rodriq. &c. Et circa hoc extat privilegium Leonis X. relatum in Compend. Privileg. Ord. FF. Minorum.

TITULUS XLI.

De Celebratione Missarum; & Sacramento Eucharistiæ; & Divinis Officiis.

CAP. I.

De Celebratione Missarum.

1. Nota primò: *Hunc titulum* Papa rectè subnectit *priori*; quia Missarum celebratio fieri debet regulariter in Ecclesiis consecratis, & super Altari consecrato; similiter & alia Divina in simili Ecclesia peragi. Hæc vox *Missa* est antiquissima apud Ambros. Augustin. Cassian. Greg. & alios PP. Conc. Rom. sub S. Sylvestro; Carthag. 4. *can. 84.* ubi dicitur, omnes ab Episcopo debere admitti ad Ecclesiam usque ad Missam. Et secundùm aliquos dicitur esse dictio Hebraica, eadem quod *Missach*: secundùm verò alios, & veriùs, est vox Latina, deducta à *Missione*; & hoc sive, quia in ea mittuntur ad DEUM preces, & vota: sive quia olim paulò post principium mittebantur extra Ecclesiam Catechumeni: hi enim licèt essent in fide instructi; nondum tamē erant renati; & ideò nō erant de Corpore Ecclesiæ; & per consequens nec Sacris interesse debebant; sed dimittebantur: & nunc etiam in fine totus populus dimittitur, cùm dicitur, *ite Missa est*. Ad propositum hic Missa sumitur ex usu Ecclesiæ pro collectione omnium actionum, quæ fiunt à principio sacri Eucharistici Sacrificii, usque ad finem; in quo Corpus & Sanguis Christi consecratur, & offertur.

2. Dico primò: In Missa nostra Catholica offertur à Sacerdote verum, & proprium Sacrificium. Ita Catholici. Et constat *primò*, ex Trident. *sess. 22. can. 1.* dicente: *Si quis dixerit, in Missa non offerri DEO verum, & proprium Sacrificium; Anathema sit*: quam veritatem *cap. 2. ejusdem sess.* mirâ gravitate, & sermonis majestate fusiùs explicat. Vide *locum cit.* *Secundò* colligitur ex ipsa Christi institutione, quando dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*; ubi verbum *facite*, æquivalet verbo *sacrificate*: sic enim S. Scriptura interdum loquitur, *Levit. 15. Sumet duos turtures; dabitque Sacerdoti, qui faciet unum pro peccato, & alterum in holocaustum.* *Tertiò* patet ex innumeris antiquissimis Patribus, veritatem hanc attestantibus: unicum hic adduco Andream Apostolum; qui Ægeæ Proconsuli suadenti, ut Diis immolaret, respondit: *Ego Omnipotenti DEO immolo quotidie, non taurorum carnes; nec hircorum sanguinem; sed immaculatum Agnum in Altari*: adeóque Immolatio seu Sacrificatio jam à tempore Apostolorum fuit in praxi; hæc autem fit in Missa: ergo &c. Patet tandem *quartò* ex perpetua Ecclesiæ traditione; quæ semper intellexit in Missa offerri verum Sacrificium; & hoc ipsum in pluribus CC. definitur; ut in Nicæno I. *can. 14.* Toletano I. *can. 5.* Antisiodorensi *cap. 8.* Lateranensi *cap. 2.* Florent. &c. Confirmant hoc etiam vetustissimæ Liturgiæ, (id est Latinè *Ministeria*;) diversarum Ecclesiarum; ut Chrysostomi, Basilii, S. Jacobi Apostoli, & S. Marci Evangelistæ; quæ pro Sacrificatione SS. Eucharistiæ per modum Missæ sunt ordinatæ. Accedit tandem, quòd in Canone Missæ frequenter fiat mentio Oblationis, Hostiæ, & Sacrificii: qui Canon saltèm à tempore D. Gregorii Papæ ante annum 1000. integer extabat, ut modò legitur; & licèt usque ad tempora Gregorii aliqua verba in eo addita fuerint; adhuc etiam longè antè, & ab ipso Ecclesiæ initio majori ex parte extabat; uti in antiquissimis Græcorum Liturgiis legitur; & in Canonibus Apostolorum; & apud Clementem Papam; & Dionysium Areopagitam, qui ipsis Apostolis convixêre.

3. Dico secundò: Valor Sacrificii Missæ est simpliciter finitus. Ita S. Bonavent. & Scotus *Quodl.*

Quodl. 20. Rich. Suar. Aret. Tolet. Navar. &c. Ratio est; quia si Valor Missæ esset infinitus, sufficeret una Missa pro omnibus vivis, & defunctis; & ita satisfaceret obligatus ad plures Missas, legendo unicam; quod tamen est contra praxim Ecclesiæ, & Decreta S. Congregationis; habetúrque inter propositiones prohibitas nuper ab Alexandro VII. adeóque Valor Missæ est simpliciter finitus.

4. Dico tertiò: Sacrificium Missæ est propitiatorium pro peccatis; & hic est primus ipsius effectus. Ita communis TT. Et constat ex Trident. *sess. 22. can. 3.* dicente, *Si quis dixerit Missæ Sacrificium tantùm esse laudis, & gratiarum actionis; aut nudam Commemorationem Sacrificii in Cruce peracti; non autem propitiatorium, &c. Anathema sit.* Et ostenditur etiam Ratione; quia si in antiquis illis Sacrificiis, quæ, tantùm erant umbræ hujus, fiebat expiatio, saltèm legalis: ergo in hoc Sacrificio fit vera expiatio peccatorum. Deinde hoc ipsum indigitant illa verba S. Evangelii; *Hic est Sanguis, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* Et alia S. Pauli *ad Hebr. 5. v. 1. Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad DEUM, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis.*

5. Dico quartò: Missæ Sacrificium est etiam impetratorium, & meritorium diversorum beneficiorum, gratiarum, bonorum tam corporalium, quàm spiritualium; & hic est alter effectus. Ita communis TT. Et constat ex eodem *cit.* Tridentino; dicente; *Si quis dixerit, soli prodesse sumenti, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere; Anathema sit.*

6. Dico quintò: Missa est etiam satisfactoria pro pœnis temporalibus inferendis. Ita DD. Catholici omnes. Et constat *primò* ex *cit.* Trident. *sess. 22. can. 2.* docente: hoc Sacrificium prodesse pro *pœnis, satisfactionibus, &c. Secundò* etiam Ratio est; quia Indulgentia in probabiliori sententia est infallibiliter satisfactoria: ergo & Missa. Deinde Sacrificia antiqua emundabant ab immunditia legali: adeóque à fortiori Sacrificium novum Missæ emundat à pœna temporali peccati.

7. Dico sextò: Missæ Sacrificium prodest animabus in Purgatorio existentibus ex opere operato, & infallibiliter ad remissionem pœnarum, per modum impetrationis ab ipsis consequendam. Ita Suar. Vasq. Amic. Con. Faber noster, & alii. Et constat ex Tridentino *sess. 22. cap. 2.* Et *can. 3.* ubi directè hanc vocat Apostolorum Traditionem. Ratio etiam est; quia cùm animæ in Purgatorio sint vera, ac viva membra Ecclesiæ, atque capacia fructûs Sacrificii propitiatorii; non est ratio cur ipsis denegetur prodesse: esse autem viva membra, inde patet; quia sunt adhuc sub potestate, & dominio Ecclesiæ militantis; quamvis enim sint in termino merendi, & demerendi; non tamen sunt in termino solvendi debita contracta in vivis; & ideò in forma Ordinationis Sacerdotis dicitur; *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis, & defunctis*; cùm ergo sint sub dominio Ecclesiæ, poterunt Missis infallibili lege juvari, sicut adjuvantur vivi.

8. Dico septimò: A puncto surgentis auroræ, usque ad meridiem licitum est omni presbytero celebrare Missam. Ita communis Canonist. & Summ. Et constat ex usitata Ecclesiæ praxi. Et conceditur ab Innoc. *de Consecrat. dist. 1. cap. 48.* Porrò circa ascensum auroræ

9. Nota secundò: Punctum auroræ, calculô Mathematicorum incipere solidâ mediâ horâ, antequam solare corpus radios vibret supra horizontem; eò quòd sol adhuc distet 10. circiter gradibus ab horizonte.

10. Nota tertiò: sufficere ad evitandam culpam, si Missa inchoëtur modico tempore ante meridiem; vel etiam brevi pòst; uti habet Suar. Rodriqu. Laym. Con. & alii: hoc enim tempus non est ita mathematicè calculandum; cùm nulla Ecclesiastica lex exprimat talem calculationem: Imò si deberet porrigi viaticum, & deesset particula consecrata; posset Missa inchoari ante auroram, & post meridiem, absque Episcopi licentia; qui aliàs ob realem, & rationabilem causam v. g. præsentiam funeris Principis vel similem, potest dispensare in tempore præfixo celebrationi Missarum.

11. Nota quartò: ut licitè & ordinatè celebretur Missa, plura requiruntur: & inprimis necessaria est Ara, seu Altare, saltèm portatile; uti patet ex variis Capitibus *dist. 1. de Consecrat.* Secundò requiritur calix cum patena; hic debet esse ex auro, vel argento; vel ratione paupertatis saltèm ex stanno; uti habetur *cap. ut calix, de Consecrat. dist. 1.* nullô autem modô ex vitro; vel ligno; uti prohibetur *ibidem*: neque ex ære; vel auricalco; uti prohibetur *cap. ut calix*: quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat; ùt dicitur *ibid.* Sufficit tamen, cuppam esse ex auro, argento, vel stanno; pes enim potest esse ex ære; vel simili materia; fortè tamen transiret calix ex cupro fortiter inauratus, quales in Urbe Romana in nonuullis Ecclesiis dicuntur esse, secundùm Lug. *disp. 20.*

12. Nota

12. Nota quintò: Calix cum patena debet esse consecratus; utì habetur *cap. unic. de S. Unctione*. De pyxide etiam, sive Ciborio (idem est de Lunula in Monstrantia seu Melchisedech) aliqui docent, debere esse consecratum: alii melius sustinent, sufficere quamcunque simplicem benedictionem ejus; quam adhibere possunt ii, qui possunt benedicere Corporalia, & reliqua apparamenta, in quibus Chrisma non intervenit. Materia pyxidis hujus non est determinata; sed ex decentia debet esse eadem, quæ Calicis.

13. Nota sextò: Purificatorium, quod etiam requiritur ad celebrationem, non debet esse necessariò benedictum; unde posset quis locô Purificatorii mundum aliud strophiolum sinè scrupulo adhibere; dummodo ipsum postea non applicet ad usus profanos: Ratio est; quia nulla extat Benedictio Purificatorii in Pontificali.

14. Nota septimò: Requiri etiam ad celebrandum, amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam, & casulam; ídque sub mortali secundùm DD. communiter; quamvis, teste Præpositô, aliqui probabiliter putent, non fore mortale; si unum, aut alterum omittatur in necessitate, v. g. cingulum, manipulus, vel stola; Illud etiam probabile est; Sacerdotem posse uti stolâ pro manipulo, & cingulo; & similiter manipulô oblongô, pro stola: Ratio est; quia similem habent benedictionem.

15. Nota octavò: Requiri similiter, ut Altare, in quo celebratur, sit coopertum mappâ triplici; vel saltèm duplici; quarum una totam ejus mensam tegat: sufficit tamen una longa duplicata. Et si sit necessitas, sufficit una simplex cum Corporali. Ita Azor. Præpositus, &c. hæc si Corporali sit paulò major, potest duplicari. Prædictæ mappæ solent esse ab Episcopo, vel alio potestatem habente, benedictæ; sinè mortali tamen secundùm DD. plures etiam non benedictæ adhiberi possunt; maximè quando benedictæ commodè haberi nequeunt. Ita Vasq. &c.

16. Nota nonò: Requiri ulteriùs pro celebratione Corporale; quod ex lino tantùm esse debet; nec sericô, vel aurô in medio intextum; debet esse benedictum ab Episcopo. vel potestatem habente, simul cum Palla, quæ censetur esse pars Corporalis. Tambur. tenet Corporale, & Pallam etiam posse esse ex cannabe; quamvis enim istæ telæ specie physicâ differant; in acceptione tamen communi hominum censentur lineæ.

17. Nota decimò: Requiri etiam lumen accensum, ex *cap. Literas, de celebrat. Miss.* quòd verò in Missali præscribantur duæ candelæ, est solùm de condecentia; unde in necessitate sufficit lucerna ex oleo; imò & candela ex sævo. Requiritur etiam Crux, in medio Altaris ponenda. Ejus tamen omissio non esset peccatum mortale; cùm nullum Jus, vel consuetudo hoc dicat; quare ob hujus defectum non esset Missa omittenda: utì notat Herincx, &c. DD. Tandem Altaris frons, seu anterior pars debet esse vestita antipendiô. Vide reliqua in *Rubr. Missalis Romani novi.*

18. Nota undecimò: Per unius Missæ celebrationem super Altari non consecrato, ipsum Altare consecrari: Quod similiter dicendũ de Calice, ac aliis ornamentis: secundùm Dianam, Castrum, & DD. complures.

19. Dico octavò: Modò regulariter non licet eidem Sacerdoti legere eodem die plures Missas; præterquam in Nativitate Domini. Ita communis DD. Et habetur *cap. Consuluisti, de Celebrat. Missar.* Et *cap. Te referente.* Dixi *modò*; quia olim licitum fuit pluries in die celebrare; & S. Leo Papa, ac Bonifacius Archi-Episcopus interdum septem, & novem Missas referuntur celebrâsse. Dixi etiam *regulariter*, quia à Conclusione hac excipiuntur casus necessitatis, *eod. cap.* ubi dicitur, *Nisi causa necessitatis suadeat*; quæ dum adest, pluries celebrare licet; etiam ter, vel quater: quæ necessitas non debet esse extrema; sed prudenter determinanda; utì colligitur ex *cap. Sufficit, de Consecrat. dist. 1.* Circa hanc

20. Nota duodecimò: Casus necessitatis quinque à Palud. referri: quos etiam admittit Anton. Nav. in *Sum.* & Sylv. v. *Missa. Primus* est; si aliquis Pastor habeat duas Parochias, nec possit habere substitutum commodè; hunc casum communiter admittunt DD. imò Vasq. hunc solum; & practicatur à nostris Missionariis in Anglia, Hibernia, & Albania. *Secundus*; si Sacerdos moneatur post Communionem de communicando moribundo; potest dicere alteram Missam: si autem ante Communionem, debet ex Hostia principali unam particulam reservare. *Tertius*; in die Dedicationis Ecclesiæ, dum Ecclesia magnum populi concursum non capit; vel quando peregrini tardè adveniunt die festo; vel aliqua insignis persona v. g. Episcopus, Princeps, vel similis; etiam die feriali. *Quartus*; Pro nuptiis, ut detur Benedictio. *Quintus*; propter defunctum, sub Missa tumulandum; ultimi duo apud me non adeò certi sunt.

21. Nota decimo tertiò: In casibus præfatis, si bis celebretur, requiritur, ut Sacerdos dum primò sacrificat, sciat se postea iterum debere celebrare; adeóque ne sumat ablutionem; utì monent DD. si autem jam sumpsisset ablutionem, divisi sunt DD. alijs affirmantibus; alijs negantibus, quòd possit secundò celebrare: Cæterùm lege Capitula hujus Tituli, clara ex se. Vide etiam plurimas resolutiones concernentes hanc materiam in *Scholâ mea Theologica, tom.3. de Sacramentis, dist.5.*

CAP. II.

De Sacramento Eucharistiæ.

1. NOta primò: *Eucharistia* vox Græca est, Latinè sonat *bonam gratiam;* vel quia Christum gratiæ bonæ Auctorem continet realiter; vel quia futuram gloriam ex Christi gratia dandam significat; unde & futuræ gloriæ pignus dicitur. Alij transferunt *Gratiarum actio;* quia in honorem Passionis, & mortis Christi in gratiarum actionem consecratur.

2. Dico primò: Eucharistia est proprium, & verum Sacramentum. Ita constat *primo*, ex Florent. Concil. Lateranensi *cap. firmiter;* & Carthaginensi 3. *c.14.* ante mille ducentos, & ampliùs annos celebrato. *Secundò* ex perpetua Ecclesiæ traditione, & omnium SS. PP. consensu. *Tertiò* ex S. Matth. *26.* Marci *14.* Luc. *22.* Joan. *6. ad Cor. 1. cap. 11.* quibus in locis habetur ejus institutio. Et ratio est; quia species panis, & vini sunt quid sensibile, à Christo ordinatum ad significandam gratiam. Deinde congruum fuit, inquit Scotus, ut Christus esset nobiscum in aliquo signo sensibili sacramentali, ut magìs excitetur quilibet ad reverentiam, & devotionem ad Christum.

3. Dico secundò: Eucharistia bene definitur sic; *est Sacramentum ex institutione Divina veraciter significans sub speciebus panis, & vini, corpus & sanguinem Christi realiter contineri.* Ly *Sacramentum* est genus; cæteræ particulæ sunt differentiales. Per ly *ex institutione Divina* insinuatur causa principalis; scilicet DEUS omnium Sacramentorum Author. Per ly *veraciter significans*, insinuatur forma Eucharistiæ, quæ est relatio signi ad signatum. Per ly *sub speciebus panis & vini*, denotatur materia conversionis; quæ est fundamentum proximum talis relationis. Additur *corpus, & sanguinem;* ut ostendatur terminus, & significatum talis relationis.

4. Dico tertiò: Sacramentum Eucharistiæ est institutum in ultima Cœna. Ita communis TT. Et constat tum ex S. Evangelijs Matth. *26.* Et Marci *14.* Et Lucæ *22.* Et Joannis *6.* Tum ex Clement. unic. *de Reliquiis, & veneratione Sanctorum.*

5. Dico quartò: Sacramentum Eucharistiæ est institutum post Cœnam Legalem, seu Cæremonialem agni. Colligitur ex Trident. *sess. 22. c. 1.* dicente; *Celebrato veteri Pascha novum instituit Pascha.* Item ex Clement. unica *de Reliquiis.* Et ex illo Ecclesiæ Hymno: *post agnum typicum expletis epulis.* Habetur etiam apud S. August. *Epist. 118.*

6. Nota secundò: An autem sit institutum sub initium; an verò postquam fuit incepta; an denique sub finem Cænæ Usualis seu Communis (quæ Cœna Usualis plerumque, post Cœnam Legalem festinanter absolvi solitam, fiebat in magnis familijs, quibus unus agnus non sufficiebat pro explenda fame omnium) inter DD. controvertitur. Ego puto fuisse institutum hoc Sacramentum sub finem Cœnæ Usualis; Ratio mea sunt illa Hymni verba allata; *post agnum typicum expletis epulis.* Et illa verba S. Lucæ, & Pauli; *similiter & calicem postquam cænavit dicens:* Intellige de plena Cœna. Deinde Joannis *13.* Christus dicitur, *lavisse pedes Discipulorum* (quos lavit ante institutionem Eucharistiæ) cœnâ factâ, utique Usuali; cùm de ea subjungatur; *Surgit à Cœna, & ponit vestimenta sua;* Cœna autem Legalis Agni Paschalis fiebat stando juxta Legem: ergo cùm dicatur sedisse Christus, sedit ad comestionem Usualis Cœnæ; & illâ factâ surrexit ad lotionem pedum, & factâ lotione iterum recubuit, ad instituendam Eucharistiam: ergo &c.

7. Dico quintò: Materia idonea, necessaria, & sufficiens ad consecrandum Corpus Christi est solus panis triticeus. Ita communis Catholicorum. Et constat *primò* tum ex definitione Florent. *sess. ult.* ante Literas Unionis. *Secundo* ex ipsis Literis Unionis; & Decreto Eugenij, quod habetur post sess. ultimam, in quo definitur, Materiam Eucharistiæ esse panem triticeum, & vinum de vite. *Tertiò* patet ex facto Christi, qui hoc Sacramentum instituit in pane usuali; sed panis usualis fit ex tritico passim; nam omnis alius substituitur tantùm in defectum ejus; & panis triticeus solo nomine panis venit; reliqui cum addito, v. g. panis hordeaceus, avenaceus, &c. Accedit tandem totius Ecclesiæ usus; & perpetua Traditio: SS. item Patrum consensus, in Conclusionem conspirantium: &c.

8. Nota tertiò: Sed valde dissentiunt AA. quæ-

AA. quænam genera frumentorum sint verè triticum. Nam siliginem, far, & speltam multi putant esse essentialiter triticum (de hordeo, avena, milio communiter omnes negant.) Alij plures negant. Ego puto hanc esse regulam generalem servandam circa naturam tritici; ut illud genus frumenti assumatur pro Materia idonea Eucharistiæ, & dicatur triticum, quod communiter à peritissimis rei rusticæ in hac, vel illa regione censetur esse triticum, vel in specie infima, vel in genere.

9. Nota quartò: graviter peccare eum, qui in Materia aliqua, de qua inter DD. controversia est, consecrat. Ratio est; quia secundùm Theologos circa Materiam, & formam Sacramentorum tutior opinio est eligenda; & quia hoc Sacramentum non est necessarium necessitate medij ad salutem; facilèque exponeretur irreverentiæ Venerabilissimum hoc Sacramentum.

10. Nota quintò: Circa *Siliginem* speculativè loquendo putant AA. probabile valde esse, ipsum esse tritici speciem veram; minùs tamen præstantem, differentem tantùm accidentibus, à perfecto tritico, ob terræ siccitatem seu sterilitatem, ob quam etiam usitatum triticum degenerat in siliginem; quare hanc esse Materiam aptam Consecrationis censet D. Thomas, & alij. Henriq. Estius, Sotus, Præpositus hoc idem probabile censent de *Spelta*, & *farre* delicatissima specie tritici; quæ videntur naturam tritici participare, odorem, saporem, ac efficaciam.

11. Dico sextò: Panis triticeus debet esse confectus ex pura farina triticea, & aqua naturali. Ita communis DD. Et constat ex *cap. 1. & 4. & 7. de Consecrat. dist. 2* Et quia Christus in ultima Cœna ejusmodi pane usus est.

12. Ex quo infero primò: quòd panis triticeus confectus ex farina, lacte, oleo, aut simili liquore non sit Materia idonea; talis enim non censetur esse panis usualis; sed placenta, aut aliud genus massæ. Idem dicendum si notabilis quantitas aquæ artificialis v. g. rosaceæ admisceatur: nam quamvis, ùt dicit Cajet. & Ponc. oppositum sentientes, aqua rosacea non esset specie physicâ diversa ab aqua naturali (quod tamen negari potest; cùm qualitates aquæ rosaceæ sint plurimùm activæ, & specie diversæ) est tamen diversa specie morali; nam unum est in genere assumptorum ad aliquid ad placitum significandum; aliud verò non, quod maximam facit differentiam; ùt patet in vocibus ad placitum assumptis ad diversos conceptus significandos.

13. Dico septimò: Ad validam confectionem Sacramenti Corporis Christi assumi potest vel Azymus, vel Fermentatus panis. Ita omnes Latini, & Græci uniti. Et constat primò ex Florent. in Litteris Unionis dicentes. *Definimus in Azymo, sive in Fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, Sacerdotésque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.* Secundò etiam Ratio est; quia uterque panis verè, & propriè est panis triticeus, & usualis &c. Ratio de *Fermentato* particulariter est; quia hic est aptissimus ad usum sustentandi hominem; per quem usum effectus hujus Sacramenti significari debet. De *Azymo* verò patet ex S. Scriptura, quæ dicit Christum consecrâsse panem, & vinum die Azymorum, in quo non licebat Judæis habere Fermentatum apud se; & quando manducavit cum Discipulis in Castello Emaus, uti habetur Matth. *26.* Marc. *14.* Et Luc. *22.*

14. Dico octavò: Licèt valida sit confectio Eucharistiæ in utroque pane attamen tenentur Latini existentes in Latinorum terris, semper conficere in Azymo, sub peccato mortali. Est communis TT. Et constat ex Concil. Florent. *cit.* docente; quòd quivis teneatur ritum suæ Ecclesiæ sequi in conficiendo, cujus est membrum. Et hoc idem expressè etiam mandat Pius V. in Constitutione *Providebit &c.* quibus proinde Ordinationibus non licet contraire sub gravi culpa. Unde

15. Infero secundò: ex communi sensu DD. neque necessitas Viatici, ad celebrandum in Fermentato excusat apud Latinos. Quamvis Tannerus, & nonnulli alij oppositum etiam probabile censeant. Infero tertiò: Latinum Sacerdotem iter facientem per Græciam, & Græcum per terras Latinorum posse vel servare ritum suæ Ecclesiæ in celebrando; vel certè ritum Ecclesiæ, in cujus territorio peregrinatur. Primum constat ulteriùs ex Concilio Florent: *citato*, in quo dicitur, *Unumquemque juxta suæ Ecclesiæ consuetudinem conficere debere.* Secundum petitur ex doctrina S. Augustini, & Ambrosij, quæ habetur *can. illa, dist. 12.* docentium, quemlibet se posse accommodare Ecclesiæ moribus in qua versatur, etsi contrarientur moribus propriæ.

16. Nota tamen sextò. Si Latinus fixisset domicilium in Græcia, teneretur sequi ritum Ecclesiæ Græcæ: idem dicendum de Sacerdote Græco. Ratio est; quia ratione domi-

domicilij fit incola; adeóque obligatur ritibus, & legibus Loci. Excipe casum quò Latini in terris Græcis haberent proprium aliquod templum Latini ritûs; aut Græci è contra in nostris terris.

17. Dico nonò: solum vinum de vite est apta Materia ad Consecrationem Sanguinis Christi. Est communis Catholicorum, cum Scoto *4. d. 11. q. 7.* Et constat *primò* ex Florent. in Decreto *de Armenis.* & Trident. *sess. 13.* Estque communis, ac perpetuus usus Ecclesiæ, quæ nunquam alium liquorem admisit. Secundò, ex facto & institutione Christi Matth. *26.* qui cùm vinum consecrâsset illis verbis, *Hic est sanguis meus;* statim subjunxit illa verba; *Non bibam amòdo de hoc genimine vitis.* Idem habetur. Marci *14.* Congruentiam addit Scotus *4. dist. 11. q. 7. quia secunda pars principalis nutritionis, id est potûs, principaliter consistit in vino, tanquam potu principali.* Et de hoc habetur *de Cons. d. 2.*

18. Ex his infero quartò; nullum alium liquorem, à vino vitis distinctum, esse Materiam sufficientem; Unde excluduntur *primò* vina ex pomis, malogranatis, moris, frumento, & similibus confecta; quæ impropriè dicuntur vina; eò quòd colorem, vel similitudinem vini repræsentent. *Secundò* excluduntur aliqui liquores, qui licèt sint ex uvis, non tamen sunt vinum usuale; talis liquor insufficiens est agresta, sapa, & acetum, si jam propriè sit acetum: tunc enim specie differt à vino, ut ex utrisque diversis proprietatibus constat. Excluditur etiam vinum aquatum, seu Lora; quia substantiam vini non habet; cùm fiat ex maceratis aquâ vinaceis post mustum ex acinis expressum. Ubi tamen fieri solet vinum cum aliqua aquæ infusione, vel in musto, vel in racemis, antequam exprimantur, ex vigore & fortitudine vini judicandum est, & proportione aquæ, an talis potio vini substantiam retineat; hoc totum peritorum judicio committendum censeo. *Tertiò* excluditur à materia apta hujus Sacramenti Calicis, vinum in pane imbibitum, quia tale vinum non habet rationem potûs, qualis debet esse Materia calicis: quamvis si post Consecrationem imbibatur, conservabitur ibi Sangvis Christi; donec vini species siccentur, & simpliciter corrumpantur. Ratio est; quia quoad hoc plus requiritur ad consecrandum, quàm ad conservandum; quia in Consecratione debet verificari pronomen *Hic* ostendens per modum potûs spiritualis sanguinem Christi; factâ autem semel Consecratione, talis demonstratio non est ampliùs necessaria; sed sufficit, si tantùm retineat species vini.

19. Infero quintò: mustum esse etiam validam Materiam hujus Sacramenti. Ratio est; quia est verum vinum; imò occurrente necessitate consecratur in eo etiam licitè: ut patet ex *cap. Cùm omne crimen, de Consecrat. d. 2.* Extra necessitatem autem hoc non licet, propter impuritatem, & fæces permixtas; sicut illicitè consecratur vinum alijs liquoribus, vel etiam aromatibus permixtum.

20. Dico decimò: Vinum congelatum est sufficiens Materia Consecrationis. Est contra Alanum, Ledesmam, Armillam, Henriq. &c. Ratio est; quia, ut docet Scotus *4. d. 12. q. 4.* vinum condensari potest, & rarefieri subsistente essentia vini; cùm rarefactio, & condensatio substantiam vini non destruant; sicut congelatio aquæ, olei, & cujusvis liquoris fluxibilis non destruit præfatos liquores; quod patet ex eodem colore, sapore, vigore, post solutum gelu, in eis repertis; unde etiamsi post Consecrationem accedat congelatio, adhuc permanet ibi Sanguis Christi: adeóque vinum congelatum est sufficiens Materia Consecrationis.

21. Dico undecimò: Quodcunque vinum de vite, album, rubrum, ex utroque mixtum, cujuscunque regionis, etsi unum ab alio foret specie distinctum, est materia Consecrationis. Ita communis DD. Ratio est; quia quodlibet habet veram, & essentialem rationem vini; nihilque est, unde vel leviter conijci possit, unam potius vini speciem, quàm aliam esse institutam: imò ex praxi Ecclesiæ constat contrarium.

22. Ex his infero sextò: vinum crudum, & certis pluviosis annis valde acescens validè posse consecrari, etiamsi tendens ad interitum; uti habet D. Thomas, Herincx, & alij. Estque ratio quia adhuc est verum vinum. Quòd si autem sit ita alteratum, ut non possit discerni, num vinum sit, vel acetum; non debet in eo celebrari, etiam præsente maximo populo; & licèt urgeat Communio Paschalis. Ratio est; quia plus urget reverentia Sacramento huic debita, quæ certam materiam postulat, quàm præceptum audiendi Missam, vel communicandi.

23. Nota

23. Nota septimò : In Concil. Florent. fuisse acrem controversiam cum Armenis, utrùm vino consecrando debeat aqua misceri: ipsi enim hæresi Eutychianâ infecti, noluerunt in Sacrificiis miscere aquam vino, nè in Christo duas naturas admittere viderentur, proùt narrat Niceph. *lib. 28. c. 53.* Quos in hoc imitantur Lutherani, & Calvinistæ, qui in suo calice, aquam non admiscent vino, totámque Ecclesiam propter hanc cæremoniam ridenc.

24. Dico duodecimò : In Calice Consecrationis est permiscenda aqua vino, in modica quantitate; non de necessitate Sacramenti, aut præcepto Divino ; sed vi præcepti purè Ecclesiastici. Ita communis TT. Primum inde constat; quòd plura Concilia hanc aquæ mixtionem præceperint : ùt Tolet. Carthag. Braccaren. Florent. in Decreto *fidei*, & tandem Trident. *seß. 22. c. 7.* quare omnes conveniunt AA. Sacerdotem gravissimè peccare, talem omittendo aquæ affusionem; ideóque si ante Consecrationem advertat aquam non miscuisse; tenetur semper illam apponere. Deinde idem fundatur in facto Christi, qui teste Trident. *cit.* creditur ita fecisse ; non tamen tanquam esset de necessitate præcepti ejus Divini, nobis hoc idem faciendum; tandem quia per talem admixtionem bene repræsentatur mysterium illud, quòd de latere Christi exiverit sanguis, & aqua: & illud aliud, quòd sicut aqua miscetur vino; sic populus, qui per aquam significatur, conjungitur Christo, qui per vinum figuratur. Ratio secundi, scilicet, quòd non sit necessaria talis mixtio necessitate Sacramenti, aut præcepti Divini, colligitur ex iisdem *cit.* CC. & signanter Florentino, præcipiente Armenis servare hunc ritum miscendi aquam vino, propter conformitatem Ecclesiæ ; non propter veritatem Sacramenti. Et Trident. dicente *seß. 22. cap. 7.* hanc mixtionem debere tantùm ex Ecclesiæ præcepto fieri. Accedit consensus omnium SS. PP. unicô Cyprian. exceptô. Remanet ergo tertium verum; quòd scilicet sit solum præceptũ Ecclesiasticum de affusione aquæ in calicem.

25. Dico decimotertiò : Probabiliùs est, sola illa quatuor verba *Hoc est Corpus meum*, sufficere ad validam formam consecrativam Corporis Christi Ita Scotus, & alii DD. Ratio est; ideò alia verba præcedentia etiam spectarent ad essentiam validæ formæ Consecrativæ Corporis Christi; quia forma Consecrativa ab eis pendet quoad hoc, ut proferatur forma in persona Christi, & non ipsius Consecrantis; sed forma Consecrativa valida ab eis sic non dependet: ergo &c. Patet Min: ut forma proferatur in persona Christi, totum pendet ex intentione Ministri volentis facere, quod fecit Christus; quod inde constat ; quia si quis millies omnia verba præcedentia, & ipsam etiam formam Consecrativam proferret, non habendo intentionem de prolatione eô modô, quô Christus ea protulit, tantùm materialiter, & recitativè sinè ulla Consecratione illa proferret: ergo &c.

26. Dico decimoquartò : Forma consecrativa sanguinis in illis verbis solis essentialiter consistit ; *Hic est calix Sanguinis mei* ; vel in his æquivalentibus; *Hic est Sanguis meus.* Ratio est; quia credibile non est, Evangelistas, & Paulum *1. Cor. 11.* ubi de institutione hujus Sacramenti loquitur, Formam debitam omisisse: imò tenendum est, singulos posuisse integrum ritum essentialem hujus Sacramenti ; sed verba sola in Conclusione specificata ponuntur ab omnibus; sequentia verò, vel aliqua à nullo ponuntur, vel saltèm non ab omnibus; nam Matthæus, & Lucas omiserunt particulam *pro vobis*; Marcus ly *Remissionem peccatorum*; omnes omiserunt ly *æterni, & mysterium fidei*: similiter in Lyturgia S. Jacobi, Marci, & Basilii, quibus utuntur Græci sinè reprehensione, non ponitur ly *Mysterium fidei*: in Lyturgia S. Matth. pro Æthiopibus composita, non habetur ly *Novi & æterni Testamenti* : Plura de hoc Sacramento Capitula vide in Corpore Juris, quæ clara sunt: & plurimas resolutiones circa idem in *Schola mea Theologica, tom. 3. Tract. de Sacramentis. dist. 4.* per totum.

CAP. III.

De Divinis Officiis.

1. Nota primò : per Divina Officia *hoc tit.* specialiter Papa intelligit Horas Canonicas Et *primò* ordinat *cap. 1. hoc tit.* ut Presbyter recitet Horas Canonicas horis competentibus, cessante legitimo impedimento; etsi ex justa causa easdem persolvere possit manè usque ad Vesperas inclusivè. *Secundò* prohibetur *cap. Dolentes 9.* nè Prælati Ecclesiastici vacent usque ad mediam noctem comessationibus superfluis, vel confabulationibus : & nè Matutinum continuâ Syncopâ, id est syllabarum concisione, abbreviatione, vel omissione transcurrant. *Tertiò* ordinatur *cap. Gravi 1. hoc tit.* ut Superiores sollicitè curent, quatenus in Ecclesiis eorum horis debitis psallatur, & Officium Divinum diurnum & nocturnum debitè persolvatur.

2. Nota secundò : plurimas resolutiones concernentes Divina Officia seu Horas Cano-

Canonicas, vide in *Schola mea Theologica, tom. 4. Tract. de Religione, dist. 2.* per totum.

CAP. IV.

De Privilegiis Minoritarum circa Celebrationem Missæ.

1. DIco primò: Fratres Minores, utì & alii Regulares præsertim Mendicantes possunt dicere Missas diebus Dominicis, & Festis, quâcunque horâ debitâ; etiam antequam Parochus Loci, vel Rector principalis Ecclesiæ celebraverit. Ita declaravit S. Congregatio Concilii, *n. 5.* in Declarationibus, quæ ponuntur à Peyrino, super Constit. 7. Pii V. *§. 10.* Et Leo X. Constit. 21. *Intelleximus &c.* declarat audientes Missam in Festis, & Dominicis apud Regulares, Ecclesiastico præcepto satisfacere.

2. Nota deinde primò: Fratribus Minoribus, & cæteris Regularibus privilegiatis varias esse factas concessiones celebrandi unâ horâ ante auroram: imò ex concessione Leonis X. statim post Matutinum, & post Meridiem, etiam usque ad horam 9. Hebraicam, hoc est, tertiam nostram pomeridianam, rationabili occurrente necessitate; quæ videri possunt in compendio Privilegiorum, verbo *Missa.* Nec revocata esse hæc Privilegia per Tridentinum *sess. 22.* contra aliquos docet Rodriq. *tom. 1. q. 41. art. 5.* Lugo, & alii DD.

3. Dico secundò: Possunt omnes Sacerdotes Ordinis FF. Min. de Observ. & Ref. ac alii Regulares, de licentia duntaxat sui Superioris in Oratoriis, in domibus privatis erectis, debitè dispositis, & ritè conservatis, atque extra proprias Ecclesias in vim suorum Privilegiorum, seu principaliter, seu per communicationem concessorum, irrequisitis Parochis, & quocunque alio Superiore, Missam celebrare, & SS. Eucharistiæ Sacramentum administrare. Constat ex Bulla Pauli IV. quæ incipit, *Cùm sicut exponi,* edita ad instantiam F. Angeli Aversa Ordinis nostri Seraphici Generalis. Et alia Clementis VII. quæ incipit, *Nuper nobis.* De his legatur noster Moronus, *Responsiò 99.* ubi efficaciter probat, Regulares posse Missas celebrare, & SS. Eucharistiam distribuere in Oratoriis Sæcularium privatis, irrequisitis, & contradicentibus Parochis, ac Episcopis.

4. Nota secundò: FF. Minores, ac alios Regulares ubique locorum in Altari portatili sine licentia Episcopi posse Missam celebrare; modò sit locus reverenter, & decenter accommodatus; non tantùm tempore necessitatis; sed quocunque tempore, cùm opportunum judicatum fuerit. Et patet ex concessione Clementis VI. quæ incipit, *Virtute conspicuos.* Idem concessit nobis Minoribus Alexander IV. Et Societati JESU Paulus III. Bulla incipit: *Licèt debitum*; in qua Concessione communicamus nos Minores. Quod Privilegium concessum est etiam à Gregorio IX. & Archi-Episcopo Linconiensi directum, atque Juri communi insertum *cap. In his, de Privilegiis, & excessibus Privileg.* in quo apertè hæc veritas pro Minoribus, & Dominicanis definitur.

5. Ex quo Privilegio 4. manifesta sunt. *Primum,* Minores, & Dominicanos illam facultatem ubique celebrandi in Altari portatili possidere. *Secundum,* Illam facultatem à Jure esse confirmatam. *Tertium,* Esse independentem ab Episcoporum assensu. *Quartum,* Interpretationem illam, quæ ad facultatis hujusmodi usum, Episcoporum assensum desiderare videbatur, à Jure esse reprobatam. Ita habetur in Bullario Roderici, inter Constitutiones dictorum Pontificum.

6. Nota hìc tertiò: Quamvis prædictis privilegiis obstare videatur Decretum Tridentini *sess. 22. cap. un. de observandis, & evitandis in Celebratione Missar.* sequentis tenoris ad Episcopos directum; *néve patiantur privatis domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad Divinum tantùm cultum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda, sanctum hoc Sacrificium à Sæcularibus, aut Regularibus quibuscunque agi*: additúrque in fine: *non obstantibus Privilegiis, &c.* Verumtamen dico cum Canonistis Regularibus Brugnoli, &c. quòd si vis illius clausulæ, *non obstantibus Privilegiis*, afficeret Regulares, eorúmque Privilegia; non propterea revocaret hoc Privilegium Gregorii IX. cùm sit insertum Juri communi *cap. In his, de Privil.* Ratio est; quia inserta Corpori Juris, similibus clausulis revocatoriis, *non obstantibus Privilegiis, &c.* minimè tolluntur: quod sic probo; idem prorsùs Privilegium à Jure communi concessum fuit Episcopis, sicut & Regularibus; sed per dictam clausulam, quæ æquè ad Episcopos- ac ad Regulares, ex vi verborum sese extendit, cùm sit universalis, dictum Privilegium firmum subsistit pro Episcopis, & non censetur revocatum; utì constat ex Declaratione Cardin. referente Barbosâ, pronunciatâ 9. Septembris 1591. ergo nec revocatum est pro Regularibus. Ita tenet Brugnoli, Diana, & alii DD. apud ipsum *p. 4. tract. 4. Miscel. resolutione 106.* In hoc puncto tametsi Privilegium sit clarum, & sine Scrupulo

Scrupulo Regulares, præsertim Mendicantes, super portatili possint in quocunque loco honesto celebrare Missam.; attamen pro pace conservanda inter nos, & Loci Ordinarium, quantùm fieri potest commodè, remittantur pro facultate, seu annuentia ad Ordinarium sæculares, qui Missas à nobis desiderant in domibus.

7. Nota tandem: Esto quòd Tridentinum revocet prædictum Privilegium; quod firmiter negat Rodericus, & alii: attamen Regulares eô non obstante, in suis Missionibus, uti possunt Privilegiô Gregorii XIII. Societati JESU concessô, & per communicationem extensô ad alios Ordines.

TITULUS XLII.

De Baptismo, & ejus Effectu.

CAP. I.

De Quidditate, Institutione, Necessitate, Varietate, Materia, Forma, Ministro, Cæremoniis, & Patrinis Baptismi.

1. NOta primò: Post *tit. de Sacramento Eucharistiæ*, quô nihil in Sacrificiis potest esse majus, *cap. nihil 8. de Consecrat. dist. 1.* meritò Pontifex subtexuit *hunc* de alio Sacramento, unicè necessario ad salutem, scilicet de Baptismo. Est autem hæc vox *Baptismus* Græcum vocabulum, & significat *lotionem, immersionem*, seu *lavacrum*: In Ecclesia verò instituta est ista dictio ad significandam specialem ablutionem animæ.

2. Dico primò: bene definitur Baptismus dicendo, *est Sacramentum ablutionis animæ à peccato, consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis, facta in aqua ab alio abluente, cum intentione debita prolatis.* Ly *Sacramentum* est genus; ly *ablutionis animæ*, designat effectum Baptismi: ly *in ablutione* designat materiam proximam: ly *facta in aqua*, significat materiam remotam; *ab alio abluente* ostendit Ministrum: *in verbis certis* denotat formam.

3. Dico secundò: Verisimiliùs Baptismus fuit à Christo institutus ante mortem; licèt certum tempus assignari non possit, in quo fuerit peracta talis institutio. Ita Scotus *4. d. 3. q. 4.* Faber, Hicqu. Arct. Ponc. Brancatus, &c. Estque sententia jam communior cum S. Augustino *tract. 5. & 13. & 15. in Joan.* Item *118.* Origene *tom. 7. in Joan.* Cyril. *lib. 2. in Joan. c. 12. & 18.* Et constat ex ipsa Evangelica narratione; quia *Joan. 3.* habetur, Christum ante passionem, & mortem suam per Discipulos baptizâsse: adeóque Baptismus fuit institutus ante mortem Christi.

4. Dico tertiò; à quo Lex Evangelica cœpit obligare, Sacramentum Baptismi in re, vel in voto est regulariter omnibus parvulis, & adultis necessarium, necessitate medii. Ita communis DD. Et constat *primò*; quia ita definitur in Tridentin. *sess. 6. c. 4.* Florent. *in Decreto Eugenii.* *Secundò*; quia ita sentiunt SS. PP. & quidem Augustinus Conclusionem probat fermè ubique, ubi contra Pelagianos agit, maximè quoad parvulos. Deinde Cyprianus *Epist. 59.* dicit, universo Concilio visum esse, baptizandos esse infantes, etiam intra primum, & secundum diem à nativitate; *quia*, inquit, *si fieri potest, quantum in nobis est, nulla anima perdenda est.* S. etiam Bernardus specialiter de parvulis loquitur *Epist. 240. Parvulis*, inquit, *Christianorum Christi intercluditur vita, dum Baptismi negatur gratia, nec saluti propinquare sinuntur Salvatore licèt piè clamante; sinite parvulos venire ad me.* Ratio *tertiò* est (præter totius Ecclesiæ consensum) quia, ùt fides contra Pela. docet, omnes tam parvi, quàm magni (excipe Electam ex millibus) peccaverunt in Adam, pœnæ æternæ obnoxii: adeóque egent de necessitate remedio salutis: sed nullum aliud congruentiùs assignari potest, quàm Baptismus: ergo &c. Præterea sicut unica via contrahendi originale peccatum, est nasci in Adam, ita unica via restaurandi primam gratiam, debuit esse renasci in Christo per hoc Sacramentum: ergo &c. Dixi notanter in Conclusione: *in re, vel in voto*; quia certum est, & omnes PP. docent, in casu, quô Baptismi Sacramentum re ipsâ ob aliquod legitimum impedimentum suscipi non posset, sufficere votum ipsius, vel virtuale, vel formale; Unde & Tridentinum *sess. 14. c. 4.* docet contritionem sinè Baptismo in re suscepto aliquando sufficere.

5. Nota secundò: si loquamur de Baptismo suprà definito, unicus tantùm est, dicente Paulo ad Ephes. 4. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.*

Baptisma. Verùm cùm vocabulum hoc latiorem patiatur sensum; ideo Theologi tres communiter distinguunt Baptismos, Fluminis, Flaminis, & Sanguinis: De quibus etiam fit mentio in Jure Canonico *de Consecrat. dist. 4. cap. Baptismi vicem.* Baptismus *Fluminis*, seu Aquæ est ille Baptismus definitus suprà. Baptismus *Flaminis* est desiderium, & votum formale, vel virtuale suscipiendi in re Sacramentum: formale quidem, si quis expresè cuperet Baptismum: virtuale, si quis invincibiliter ignorans necessitatem Baptismi haberet actum amoris supernaturalis, seu contritionis de peccatis, in quo virtualiter continetur quicunque alius actus DEO placens. *Sanguinis* est Martyrium propter DEUM acceptatum: de quo S. Cyprian. *in Exhortatione ad Martyres* dicit: *esse Baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius, quod nos de mundo recedentes statim DEO copulat.*

6. Dico quartò: in defectu Baptismi fluminis sufficit Baptismus flaminis ad obtinendam salutem,& justificationem. Ita communis Catholicorum. Et constat ex omnibus illis Scripturis, in quibus promittitur justificatio, & peccatorum remissio hominibus verè pœnitentibus: cujusmodi est illa Ezech. 18. *si autem impius egerit pœnitentiam, vitâ vivet: & cùm averterit se impius, ab impietate sua animam suam vivificabit.* Sic legitur Act. 10. Cornelium Centurionem ante sumptionem Baptismi fluminis, fuisse justificatum per solum Baptismum flaminis. Consentit doctrinæ nostræ Tridentinum *sess. 14. c. 4.*

7. Dico quintò: etiam Baptismus sanguinis sufficit ad obtinendam justificationem, & salutem; quando non potest applicari Baptismus fluminis. Est pariter recepta doctrina apud Catholicos omnes. Et *primò* constat ex S. Scriptura Matth. 10. *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Et Marci 8. *Qui perdiderit animam suam propter me, & Evangelium, salvam faciet eam;* qui passus loquuntur de Martyrio, ut sufficiente ad salvandam animam: ergo &c. *Secundò* patet ex SS. PP. docentibus Martyrium conferre gratiam ex opere operato; adeóque per modum Baptismi sufficientem ad salutem: sic loquitur S. Cyprian. & August. *lib. 13. de Civit. DEI cap. 7.* ubi æquiparat, imò extollit virtutem Martyrij super virtutem Baptismi. Tertiò Ratio est; quia valde consentaneum est Divinæ misericordiæ, ut justificet tam bene hos,qui pro DEI honore proprio consperguntur sanguine; quàm illos, qui aquâ baptismali abluuntur.

8. Dico Sextò: Sola aqua simplex naturalis, elementaris, est legitima Materia remota Baptismi. Ita definitur in Florentino: Et Tridentino *sess. 7. can. 2.* his verbis; *si quis dixerit, aquam veram, & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini Nostri JESU Christi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit.* Rationem quoque colligunt PP. & DD. ex illo *Joan. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto.* Item *Act. 7. v. 36. Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Ad Ephes. 5. v. 26. mundans lavacro aquæ.* Nec aliter potest probari conclusio, inquit Scotus *4. dist. 3. q. 3.* nisi ex voluntate Christi instituentis aquam veram, & naturalem pro Materia Baptismi. Subdit tamen hujus Institutionis Congruentias; quia aqua est frigida, fluida, lucida, necessaria, & communis; quæ proprietates illi humori conveniunt, in quo debet fieri Baptismus; quia Baptismus est institutus ad reprimendum æstus concupiscentiæ, ad flectendum rigorem inobedientiæ, ad illustrandam claritatem Fidei, ad introducendum in viam salutis,& est communis omnibus, & omnibus necessarius.

9. Ex his inferuntur sequentia Corollaria. *Primum;* vinum, sanguinem, lac, oleum, lachrymas, salivam, sudorem, urinam, phlegma, & similia corporis humani excrementa. Item liquorem, & succos herbarum, arborum, florum, granorum, & similium; non esse materiam idoneam hujus Sacramenti. Ratio est; quia non sunt aqua naturalis. *Secundum* idem de nive, grandine, glacie, sale marino, nisi priùs dissolvantur, esse dicendum. Ratio est; quia licèt sint aqua elementaris, non tamen usualis; quia non sunt fluida aqua. *Tertium*; idem de aqua artificiali v. g. rosacea, quæ scilicet fit per expressionem, vel distillationem alicujus mixti, esse judicandum. Colligitur ex *cap. penult. de Baptismo.* Ratio est; quia talis aqua non est elementaris; sed potiùs subtilior, & melior pars mixti. *Quartum* per oppositum, aquam elementarem, sive calida sit, sive frigida, pluvialis, fluvialis, lacunalis, fontana, marina, acida, dulcis, vel sulphurea (utì est thermarum) pura & non mixta, turbida, vel parùm lutosa, esse materiam idoneam Baptismi; quamvis extra necessitatem ob Sacramenti reverentiam istæ impuriores non sint adhibendæ. Ratio est; quia in his omnibus qualitatibus manet aqua secundùm rationem veram aquæ. *Quintum*: & sit generalis regula in hac materia; si aqua elementaris sit ita notabiliter admixta, ut mutetur tota species, vel saltem

tèm ut liquor magìs participet de alio corpore mixto, ut fit in plegmate, saliva, cerevisia crassa, & bene cocta. Item si sit sic mixta, ut tali mixtione impediatur ablutio, v. g. in spongia, vel pasta; tunc non esse materiam sufficientem.

10. Sed quid sentiendum de quibusdam alijs alterationibus, ut de jusculo tenui, cui parum succi carnei est admixtum; de aqua farinata, cerevisia tenui, & malè cocta, lixivio &c? Respondeo in his, si necessitas extrema urgeat, posse baptizari sub conditione; repetendum tamen esse deinde Baptismum cum conditione.

11. Dico septimò: Materia proxima Baptismi est ipsa corporis in aqua ablutio, seu immersio corporis. Est communis TT. Et constat ex illo Matth. *ultimo cap. baptizantes eos &c.* id est abluentes: Et patet ex illâ forma baptizandi usitata; *Ego te baptizo &c.* Unde Magister Sent. citans verba illa S. Aug. *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, subjungit; *non utique ipsum elementum fit Sacramentum, sed ablutio facta in elemento.*

12. Nota tertiò: In Baptismo sufficere pro materia proxima tam unam, quàm trinam immersionem, juxta consuetudinem Ecclesiæ; & quidem sufficere unam tradit S. Gregorius in *Epist. ad Leandrum;* & habetur *de Consecrat. dist. 4.* Item sufficere tam aspersionem seu affusionem aquæ ad corpus, quàm immersionem corporis in aqua; uti communiter tenent DD. & observandam esse circa hoc consuetudinem Ecclesiarum.

13. Nota quartò: De fide esse, legitimam Formam Baptismi esse illam, quæ habetur Matth. *ult cap. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti;* sicut & illam aliam Græcorum; *Baptizetur servus Christi in nomine Patris &c.* Latinis tamen de factò non licet uti illâ Græcorum; quia fieret cum scandalo, & contra Ecclesiæ Latinæ consuetudinem. Quare autem Græci utantur illâ aliâ formâ in tertia persona: rationem deducit Scotus *4. d. 3, q. 3.* ex eo, quod refert Paulus *1. ad Corinth. 1.* ortum fuisse dissidium inter Christianos; gloriabatur enim unusquisque de Ministro sui Baptismi, unde dicebant; *Ego sum Pauli, ego autem Apollo; ego vero sum Cephæ;* & sic videbantur virtutem Baptismi adscribere Ministro: unde reprehendit eos Apostolus dicens; *Nunquid divisus est Christus?* ad tollendum ergo hoc schisma inter eos ordinatum fuit, ut Minister non exprimeretur in propria persona; quo scrupulo cessante tolli potuit illa Græca forma; nam Latina est institutioni Christi magìs conformis; & significat Baptismum ministerialiter tantùm procedere à Ministro.

14. Dico octavò: Ad essentiam Formæ Baptismalis ex Divina institutione, & seclusâ speciali dispensatione, necessariò proferenda sunt verba; quæ non solùm actionem Ministri, personam item suscipientis; verùm etiam probabiliùs tres Divinas Personas directè exprimunt. Est communis TT. Et Primum quoad *actionem Ministri;* habetur in Conc. Florent. in *Decreto Eugenij.* Estque Ratio quia, cùm Minister humanô modô agere debeat, debet convenienter exprimere aliquid connotans ipsius actionem. Unde secundùm multos est invalidus Baptismus, si dicatur; *baptizat te Christus in nomine Patris &c.* quamvis alij oppositum sentiant; eò quòd & hìc attentis circumstantijs ministerij Ministri exprimatur actio.

15. Nota tamen quintò: non referre, quantùm ad substantiam Formæ, sive verbis indicativi modo proferatur; uti nos Latini facimus dicendo; *Ego te baptizo:* sive ùt Græci verbis Imperativi modi, sic: *Baptizetur Servus Christi:* sive etiam deprecatorijs: dummodo vere actionem Ministri designent; similiter non est opus, ut exprimatur ly *Ego*, vel *Nos;* vel *à me;* vel *à nobis.* Quòd etiam *persona baptizati* per pronomen aliquod secundæ, vel tertiæ personæ, singularis vel pluralis numeri (quod non refert ad substantiam Formæ) sit exprimenda docent omnes TT. Et patet ex usu universalis Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ: Et constat ex illo Matth. *ult. cap. Baptizantes eos.* Tandem verba Formæ debent designare eum, super quem cadit actio Ministri: unde non valet ista forma; *Ego baptizo in Nomine Patris &c.* Ratio secundi dicti conclusionis, nimirum quòd *tres Personæ debeant exprimi*, est, quia ita patet ex institutione Christi, quæ legitur Matth. *ult. Cap. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Item ex Jure Canonico *cap. Si revera, de Consecrat. dist. 4.* Congruentiam Scotus addit: quia decuit, ut in Forma, quâ datur Sacramentum primum, & initiativum fidei, exprimeretur causa principalis gratiæ, & effectiva Baptismi, primúmque ac præcipuum fidei mysterium, quod est DEUS Unus, & Trinus; talis autem est forma in qua fit expressio trium Personarum: ergo &c. Deinde sicut inquit Doctor, Judæis datum est aliquod signum, signans Essentiam Divinam sub pro-

pria ratione, quod ipsi vocabant DEI *Tetragrammaton*; ita Christus dedit Ecclesiæ nomina significantia Personas sub proprijs conceptibus.

16. Dico nonò: Quivis homo potens abluere, & proferre verba formæ cum intentione debita, cujuscunque statûs, sexûs, conditionis, aut Religionis sit, potest esse Minister extra-ordinarius hujus Sacramenti. Ita definit Florentinum in *Decreto Eugenij*. Idem etiam docuit Nicolaus Papa in *cap. à quodam Judæo; de Consecrat. dist. 4.* Et constat ab exemplo Ananiæ *Actor. 9.* baptizantis Paulum; cùm tamen secundùm Interpretes, nec Sacerdos, nec Diaconus fuerit. Ratio à priori non debet esse alia, quàm voluntas DEI; nobis manifestata ex praxi Ecclesiæ. Congruitas verò est, summa necessitas hujus Sacramenti, ob quam non debuit in casu necessitatis coarctari ad ullos Ministros in particulari.

17. Dico decimò: soli Episcopi, & Sacerdotes sunt Ministri ordinarij Baptismi solenniter administrandi: Diaconi verò per potestatem delegatam ab Ordinario. Primum habetur in Florent. cit. in *Decreto Eugenij*: Et tradit Clemens Rom. *lib. 3. Instit. c. 11.* Congruitas ejus secundùm Scotum est; *quia per Baptismum recipitur baptizatus in collegium Ecclesiæ militantis; receptio autem alicujus in collegium pertinet ad Præsidentem, & habentem authoritatem in collegio, cujusmodi sunt in proposito Episcopi, & Sacerdotes*: ergo &c. Secundum patet ex Pontificali Romano; ubi in Ordinatione Diaconi committitur ipsi munus prædicandi, & baptizandi tanquam Sacerdotum delegato:

18. Nota Sextò: Nemo potest seipsum baptizare, etiam in necessitatis articulo, *cap. Debitum 4. hoc tit.* Unus Minister potest plures simul baptizare; & colligitur ex *Act. 2.* ubi Apostoli leguntur uno die tria millia baptizâsse; quod vix fieri potuisset, nisi baptizando plures simul. Baptismus administrari debet regulariter in Ecclesijs, *Clement. præsenti unic. hoc tit.* nisi Regum, vel Principum filij essent baptizandi *cit. Clement.* quod extendit Glossa etiam ad filios Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, & aliorum Potentatuum liberos; vel nisi aliud suadeat necessitas *cit. Clement.*

19. Nota septimò: In Baptismo omnino regulariter adhiberi debent certæ Cæremoniæ; utì constat ex Rituali Romano. Sunt autem Cæremoniæ quidam actus externi Religionis, ad DEUM colendum accommodati. Ex his aliquæ præcedunt Baptismum, & aliquæ sunt sequentes. Prima est *petitio in Ecclesiam*, quam faciunt illi, qui cupiunt baptizari, & vocantur Catechumeni. Secunda dicitur *Scrutinium*, quo Catechumeni examinantur, an firmiter, & sincerè credant? Tertia est *abrenunciato Sathanæ*, & operibus ejus sæpiùs repetita. Quarta *fidei professio* facta. Quinta *signum Crucis* in fronte, & pectore à Sacerdote impressum. Sexta *Exorcismus*. Septima est *sufflatio*, quâ significatur dæmonis expulsio, & afflatio boni spiritûs. Octava *gustus salis*. Nona *saliva*, qua tanguntur nares, & aures, & dicitur *Epheta*. Decima *impositio manuum*, & benedictio Sacerdotis. Undecima *Unctio* in scapulis, & pectore. Duodecima *abstinentia* vini & carnium ante Baptismum: Hæ omnes præcedunt Baptismum. In ipso Baptismo prima est, *nominis impositio*; secunda *Patrinorum assignatio*; tertia *immersio*, seu *aspersio*. Post Baptismum prima Cæremonia est *osculum pacis*; secunda *unctio Chrismatis* in vertice baptizati; tertia *gestatio vestis candidæ* per 9. dies: Quarta *datio cerei accensi* in manus baptizati: Quinta in Occidente dabatur lac, & mel gustandum.

20. Dico undecimò: quando in casu necessitatis confertur Baptismus, omissis Cæremonijs ab Ecclesia præscriptis, postea supplendæ sunt Cæremoniæ, si commodè fieri possit. Ita communis DD. Et patet ex praxi Ecclesiæ.

21. Dico duodecimò: Si omittantur Cæremoniæ ab Ecclesia additæ, tenet quidem Baptismus, sed peccatur mortaliter contra Religionem ab omittente; nisi parvitas materiæ excuset; vel necessitas manifesta. Ratio est; quia vergit in contemptum Ecclesiæ præcipientis, vel scandalum populi talis omissio.

22. Dico decimò tertiò: In Sacramento Baptismi requiritur etiam Patrinus ordinariè, ut licitè administretur. Ita communi DD. Et desumitur ex præceptò Ecclesiæ, quod habetur *cap. Vos autem, dist. 4. de Consecrat.*

23. Dico decimò quartò: munus Patrini est, suscipere sub suam curam tanquam parens spiritualis infantem, quoad res spirituales, præsertim quoad instructionem symboli, & Orationis Dominicæ. Ita communis DD. Et desumitur ex mente, ac praxi Ecclesiæ. Liberantur tamen Patrini ab ista obligatione, ubi est consuetudo, ut baptizati in rebus Fidei instruantur à Parochis, vel parentibus, vel pedagogis.

CAP.

CAP. II.
De Effectu Baptismi.

1. DIco primò ; Baptismus ritè ac sinè obice collatus, per modum effectûs delet omnem culpam, & pœnam, sive temporalem, sive æternam alterius vitæ. Est communis apud Theologos. Et constat *primò* ex determinatione Conc. Florentini, quod in *Decreto Fidei* dicit, hujus Sacramenti effectum esse remissionem omnis culpæ Originalis, & actualis, omnísque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur. Idem de culpæ Originalis, & Actualis deletione clarè definit Trident. *sess. 5. in Decreto de peccato Originali.* De pœnæ verò etiam temporalis amotione, loquitur eadem Synodus *sess. 6. c. 14.* ubi docet, in justificatione impii totam culpam, & pœnam æternam per Pœnitentiam dimitti ; sed de temporali pœna subjungit ; *quæ ut Sacræ Literæ docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur.* Constat *secundò* ex Sac. Scriptura ad Ephes. 5. *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Ad Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Et Joan. 3. & alibi. Et huc olim collimavit Spiritus S. quando per os Ezechielis 36. locutus est ; *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini, ab omnibus inquinamentis vestris.* Sed non potest suscipiens Baptisma mundari, regenerari, renasci, si in eo maneat culpa Originalis & actualis peccati : ergo &c.

2. Dico secundò : Baptismus prætereà etiam per modum effectûs confert fidem, spem, charitatem, & characterem specialem. Ita communis DD. Et patet tum ex *cap. Majores 3. hoc tit.* Tum ex Tridentino *sess. 6. cap. 7.* quod dicit : *in ipsa justificatione impii* (quæ habetur per Baptismum) *cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per JESUM Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem* : Et de Charactere habetur *sess. 7. can. 9.*

3. Dico tertiò : Virtualiter etiam virtutes morales in Baptismo infunduntur. Ratio est ; quia Charitas, quæ in Baptismo infunditur, eminenter omnes virtutes morales continet ; inclinat enim animam ad omnes actus virtutum moralium ; teste Apostolo, *Charitas patiens est, benigna est, &c.*

TITULUS XLIII.
De Presbytero non Baptizato.

CAP. UNICUM.
De Sacerdote, qui absque Baptismo ordinatus fuit, & Sacramenta administrat.

1. NOta primò : *Iste titulus* brevis rectè proponitur à D. Papa post priorem agentem de Baptismo ; ut appareat, quid sit sentiendum de Sacerdote, qui non ingressus per januam Sacramentorum, scilicet per Baptismum.

2. Dico primò : si quis Prebyter deprehenderet se non fuisse baptizatum, baptizetur, & rursus ordinetur. Ita dicitur *cap. 1. hoc tit.* Quia receptio Ordinis Sacerdotalis fuit irrita ; cùm Baptismus sit janua Sacramentorum, *cap. 3. & ult. hoc tit.* Quòd si verò talis nollet ordinari, potest manere Laicus : & si contraxerit Matrimonium illud erit validum ; quamvis non licitè contrahatur ; cùm tacitè videatur edidisse votum simplex Castitatis, seu continentiæ, *arg. cap. Cùm quidam 12. de convers. conjugat.*

3. Dico secundò : Presbyter credens se probabiliter fuisse baptizatum Baptismo fluminis, si sinè Baptismo moriatur ; in fide tamen S. Matris Ecclesiæ, & in confessione Nominis JESU perseveravit, ab Originali peccato solutus est, & salvatus. Ita Glossa, & communis DD. Et habetur *cap. 2. hoc tit.* Estque Ratio ; quia talis Presbyter est salvatus cum Baptismate flaminis ; talis enim sufficit, cùm eo quis baptizetur interiùs per fidem Christi *cit. cap. 2.*

4. Nota secundò ; Baptismus à Presbytero non baptizato collatus, non est reiterandus ; cùm ejus Minister possit esse quivis viator, etiam non baptizatus, habens intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, *cap. in necessitate.* Et *cap. Romanus dist. 4. de Consecrat.* Similiter nec Matrimonium, cui ejusmodi putatitius Presbyter adstitit est repetendum ; uti docet ex Joan. Hon. Engel. Ratio est ; quia Presbyter in Matrimonio non requiritur tan-

quam Minister Sacramenti, cùm ipsimet contrahentes illud sibi ministrare intelligantur; sed requiritur per modum duntaxat testis excellentis; unde fit, quòd etiam invitus, vel excommunicatus validè assistat; uti notat Barb. Sanch. Engel. &c.

TITULUS XLIV.

De Custodia Eucharistiæ; Chrismatis; & aliorum Sacramentorum.

CAP. UNICUM.

Quô pactô S. Eucharistia, & Olea S. sint custodienda.

1. NOta primò: Papa continuat titulos præsentes ad Sacramenta, signanter Eucharistiæ & Baptismi. Et *primò* ordinatur *cap. 1. hoc tit.* ut Sanctissima Eucharistia, & Chrisma fideliter sub clavibus Clericorum asserventur; alioquin si is, ad quem spectat custodia, incautè & negligenter ea custodierit, tribus mensibus ab Officio suspendi debet; & si per ejus incuriam aliquid nefandum contigerit (v.g. furtum, sacrilegium, vel sortilegium) graviore pœnâ plectendus est.

2. Nota secundò: *Secundò* ordinatur in *cap. 2. hoc tit.* nè ponantur, vel admittantur in Ecclesiis supellectiles Clericorum, vel Laicorum; nisi ob incursiones hostium, vel repentina incendia, vel alias necessitates urgentes. *Tertiò* præcipitur ut Oratoria, vasa, corporalia, pallæ Altaris, & vestimenta Ministrorum Ecclesiæ munda ac nitida conserventur, *cit. cap. 2.*

3. Nota tertiò: S. Concil. Tridentinum *sess. 23. cap. 10.* prohibet, nè Eucharistia intra Chorum, vel septa Monasterii Monialium asservetur; sed in tabernaculo in Ecclesia situato illud recondi oportet: & quidem in pixidibus argenteis, vel saltèm eburneis, non verò in ligneis, vel lapideis, uti notat Vallens. Zerola. &c. Eucharistia in tabernaculo saltèm singulis octo diebus renovanda est, etiam tempore interdicti, & in Ecclesia specialiter interdicta per *cap. Permittimus de sent. excomm.*

TITULUS XLV.

De Reliquiis; & Veneratione Sanctorum.

CAP. I.

De Reliquiis.

1. NOta primò: Nomine *Reliquiarum* intelligi corpora Sanctorum, justè defunctorum, eorúmque portiones etiam minimas, vestes, ac alia, quibus usi fuère Sancti in hac vita ad suam necessitatem ministeriúmque pœnitentiæ, ac mortificationis.

2. Dico primò: Sanctorum Reliquiæ statim ab exordio Ecclesiæ veneratæ fuerunt; & licitô meritôque cultu honoratæ. Ita Catholici omnes. Et constat *primò* ex S. Scriptura, afferente exempla cultûs diversarum Reliquiarum; sic narratur *Exod. 13.* quòd Moyses secum cum veneratione asportaverit ex Ægypto ossa S. Joseph Patriarchæ. Et *4. Reg. cap. 13.* ipsemet DEUS etiam confirmans venerationem Reliquiarum corporis Elisæi, cadaver quoddam in sepulchrum dicti Prophetæ injectum contactu corporis ejusdem illicò suscitavit, nè videlicet cultus sacri corporis profano cadavere associato tolleretur. Et *4. Reg. 23.* Josias eversis idolis, & sepulchris idololatrarum ejusdem Prophetæ ossa, casu reperta, jussit separari, & intacta manere; unde additur ibidem; *Et intacta manserunt ossa illius cum ossibus Prophetæ, qui venerat de Samaria.* Constat *secundò* rursus ex S. Scriptura, varios prodigiosos effectus Reliquiarum allegante, ex quibus earum veneratio, & cultus licitus meritúsque colligitur; sic Act. 19. Sudaria, ac Semicinctia D. Pauli ægrotos miraculosè curârunt. Et sanè cùm umbra sola D. Petri, ùt in iisdem actibus Apostolicis legitur, miracula operata sit; quantò magìs ossa, cæteræque Reliquiæ Sanctorum. Constat *tertiò* ex SS. Conciliis Oecumenicis, Cultum Reliquiarum ùt licitum & meritò ipsis impendendum definientibus;

entibus; sic determinavit Nicænum II. quod Sacras Reliquias vocat *fontes salutares*. Et *Actor.* 7. excommunicat contemnentes Martyrum lypsana. Eundem Cultum approbat Lateranense III. sub Innocentio III. *can.* 6. *tit. de Reliq. & vener. SS.* Et in Clement. *eod. tit.* Et Trident. *sess.* 25. *in Decreto de invocat. SS.* Accedunt quoque Concilia Provincialia complura; signanter Carthaginense V. Braccarense III. Moguntinum. Et tandem Gangrense, proclamans anathema in eos, qui memorias Martyrum execrantur. Addi potest tandem etiam Jus Civile, Reliquiarum venerationem commendans *de Episc. & Cleric.* L. *decernimus.*

3. Nota secundò: ut licitè institui possit Cultus privatus aliquarum Reliquiarum, non requiri approbationem earundem ab Episcopo factam; ùt rectè hìc docet Herincx; sed sufficit, quòd per relationem fide dignam, aut alia indicia fundantia moralem certitudinem, constet eas reverà esse exuvias alicujus veri Sancti. Similiter ad ejusmodi Cultum non requiritur, ut sint Reliquiæ alicujus Sancti, jam ab Ecclesia actu solemni Canonizationis in Divorum numerum relati; sed sufficit moralem habere certitudinem de ejus Sanctimonia.

4. Nota tertiò: ut autem Cultus publicus Reliquiarum aliquarum novarum, aut noviter inventarum licitè institui valeat, debent ex, antequam populo pro publica veneratione super altare, aut in alio Ecclesiæ loco exponantur, recognosci, & approbari ab Ordinario loci, adhibitis in Consilium Theologis, aliísque viris piis; imò in casu, quô gravis aliqua difficultas circa hoc oriretur, resolutio Concilii Provincialis foret expectanda juxta Trident. *sess.* 25. *in Decreto de Reliq. &c.* Quæ doctrina intelligitur de Reliquiis, quæ exponuntur ùt exuviæ Sancti Canonizati, vel Beatificati; utì tenet Herincx, Barb. Sanch. Rodriq. &c. Quæ enim exponuntur tanquam Reliquiæ necdum Canonizati, etiam Summi Pontificis approbationem requirunt; utì habet Lateranense, relatum in *cap.* 2. *de Reliq. & venerat. SS.*

5. Nota quartò: Reliquias debitè recognitas, & approbatas posse absolutè publicè coli, tametsi in diversis locis perhibeantur esse; utì de S. Adalberto Episcopo, & Martyre contingit, cujus sacra lypsana à Boëmis asseruntur esse Pragæ in Boëmia in Metropolitana Ecclesia; à Polonis verò Gnesnæ in Polonia. Ratio est; quia Cultus Reliquiarum terminatur ad substantiam, id est ad os, vel alias exuvias Sancti; unde in substantia non erratur à colentibus ubicunque illa existat; sed tantùm erratur in singularitate materiæ, dum nimirum colentes arbitrantur hanc materiam esse hujus Sancti; utì contingit in veneratione Reliquiarum plurium incognitorum, quæ è Catacumbis Romanis elevantur, & à Pontifice novo nomine Sancti insigniuntur, ac, ùt dicitur, baptizantur.

6. Nota quintò: Reliquiæ SS. nequeunt venales exponi, *cap. ult. hoc tit.* Nec debent exponi extra capsam, seu loculum, in quo sunt conditæ populo ostendi, nè Christianæ Religioni detrahatur, *cit. cap.*

CAP. II.

De Veneratione Sanctorum.

1. DIco primò: Sanctis cum Christo jam actuali beatitudine fruẽtibus meritò & licitè impenditur Cultus Duliæ. Ita communis SS. PP. & Catholicorum DD. contra complures Hæreticos. Et constat *primò* ex S. Scriptura, referente Cultum Sanctorum Angelorum, & quorundam eximiorum virorum adhuc Sanctorum in via constitutorum; sic narratur *Gen.* 18. Abraham adorâsse cultu scilicet Duliæ Angelos sibi apparentes: idem dicitur de Loth *Gen.* 16. Et de Josue *cap.* 5. *Josue.* Et Abdias refertur adorâsse Eliam Prophetam 3. *Reg.* 28. Filii Prophetarum Elisæum 4. *Reg.* 2. Nabuchodonosor S. Danielem *Dan.* 2. nullúsque istorum adorantium à S. Scriptura corripitur de ejusmodi cultu: adeóque Sanctis meritò, & licitè impenditur Cultus Duliæ. Constat *secundò* ex SS. Conciliis; nam ejusmodi Cultum ut meritò, & licitè impensum Sanctis definivit VII. Synodus *Act.* 7. pluráque alia antiqua Concilia; & rursùs novissimè S. Synodus Tridentina *sess.* 25. *in Decreto de Invocat. Venerat. & Reliq. SS.*

2. Dico secundò: Invocatio Sanctorum semper fuit licita, & meritò practicata à populo fideli. Ita SS. PP. & Theologi pariter adversùs Hæreticos. Constátque *primò* ex S. Scriptura, in qua extant varia exempla Invocationis Sanctorum non reprobata: sic *Gen.* 48. Jacob invocat & precatur Angelum, ut benedicat Filiis Joseph. Et Eliphaz supponit esse licitam, & practicabilem Invocationem Sanctorum Angelorum, dum ait *Job* 5. *Voca ergo, si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere.* Idem colligitur ex illo *Jeremiæ* 15. *si steterit Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Et Daniel *cap.* 8. & 9. Supplicat illuminari ab Angelo, & impetrat. Et in *lib.* Tobiæ, Zachariæ 1. & Apocalypsi

lypsi *cap. 5. & 8.* Angeli intercedunt ad DEUM pro hominibus, offerunt DEO preces eorum, & varia conferunt beneficia eisdem: ergo, &c. Constat *secundò* ex Conciliis Invocationem Sanctorum approbantibus; unde VII. Synodus *Act. 1.* approbat epistolam Tharasii *ad Joannem Presbyt. & Anachor.* in qua dicitur, *poscimus intercessionem Intemeratæ Dominæ nostræ DEIparæ, Sanctorum item Angelorum, omniúmque Divorum.* Eandem confirmat Concilium Calcedonense *Act. 11.* in quo exclamant Patres invocantes D. Flavium, *Flavius post mortem vivit, Martyr pro nobis oret.* Et Trident. *sess. 25. in Decreto de Invocat. SS.* ait: *bonum & utile est Sanctos invocare.*

3. Nota primò: circa servos DEI necdum beatificatos emanâsse Decretum Urbani VIII. Summi Pontificis, editum an. 1625. die 13. Martii quô prohibentur sequentia. *Primò* nè Imagines eorum in Oratoriis publicis, & privatis, vel Ecclesiis pingantur cum signis venerationem, ac Cultum aliquem præseferentibus, v. g. cum splendoribus, aut radiis circa caput, laureolis, & similibus. *Secundò*, nè ad Sepulchra eorum appendantur tabellæ votivæ, aut Imagines ex quacunque materia demùm forent; intellige stabiliter, & permanenter, ùt idem Pontifex postea declaravit. *Tertiò*, nè ad eorundem Mausolæa, vel Imagines luminaria tolerentur. *Quartò*, nè libri, miracula, revelationes, aliáque ab eis gesta edantur: *declarans* tamen, *quòd per suprà scripta prejudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, Virorúmque sanctorum Scripta, vel longissimi temporis scientiâ, ac tolerantiâ Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii coluntur.* Circa hoc Decretum putat Bassæus, & Herincx attendendam esse receptionem, & vigorem illius Urbanianæ ordinationis, quæ nonnullis in locis Christianitatis, maximè remotis ab Urbe, non viget; & aliter practicatur per longam consuetudinem, Ordinariis locorum desuper tacentibus.

4. Dico tertiò: Cultus, & Veneratio Sanctarum Imaginum est licitus. Ita communis SS. PP. & TT. Et constat *primò* ex S. Pagina, quæ testatur figuras illas, in quibus vel DEUS, vel Angeli Sancti Patriarchis, aliísque viris apparuêre, aliquo cultu, utique Duliæ, veneratos fuisse ab iisdem; sic Abraham Gen. *22.* Tres viros in Mambre apparentes adoravit, sive SS. Trinitatem, sive tres Angelos repræsentaverint. Et Loth Gen. *19.* in specie sensibili apparentes *duos Angelos pronus adoravit.* Et Daniel cum magna reverentia alloquitur *Angelum vestitum lineis, cujus corpus quasi Chrysolythus, Dan. 10.* Et Moyses Exod. *3.* nónne flammam Rubi, in qua Dominus apparebat, humiliter honoravit? Et nunquid Moyses, Josue, & Seniores expressuri Cultum Duliæ venerati sunt arcam fœderis? *Josue pronus* (inquit textus Jos. *7.*) *cecidit in terram coram Arca Domini usque ad Vesperam, tam ipse quàm Seniores Israël:* eandem Arcam in signum Cultûs solenni pompâ circumferebant Israëlitæ. Quare si Cultus Arcæ Domini, & aliarum figurarum fuit licitus olim; cur non & modò Cultus sanctarum Imaginum? Constat *secundò* ex diversis SS. Conciliis id definientibus: signanter Nicæno II. & Romano sub Gregorio III. Et Synodo VII. Generali. Et Florentino, *sess. 5.* Et Tridentino *sess. 25. de Invocat. SS. & sacris Imagin.* dicente; *mandat S. Synodus, &c. Imagines Christi, DEIparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam, non quòd credatur inesse aliqua in iis Divinitas, vel virtus, per quam sint colendæ, vel quòd ab eis sit aliquid petendum, vel quòd fiducia in Imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in Idolis spem suam collocabant; sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, ita ut per Imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.* Quo textu totus Cultus solitus à Catholicis impendi sacris Imaginibus circumstantionatè explicatur.



TITU-

TITULUS XLVI.

De Observatione Jejuniorum.

CAP. UNICUM.

De Jejunijs.

1\. NOta primò: Quoniam Veneratio Sanctorum etiam exercetur per Jejunia, in honorem, & cultum eorum assumpta; ideo priori titulo *de Sanctorum Veneratione*, additur à Papa iste, *de Observatione Jejuniorum*. Jejunium autem illud dicitur *Ecclesiasticum*, quod authoritate Ecclesiæ institutum est.

2\. Dico primò: rectè describitur Jejunium Ecclesiasticum, quòd *sit abstinentia à cibis certi generis, & pluribus refectionibus eodem die naturali aliàs solitis fieri, cum observantia determinati temporis, quô fieri debet unica refectio.* Ly *abstinentia* est genus; reliqua ponuntur pro differentia.

3\. Nota secundò: ex præfata descriptione liquet, tria necessariò in Jejunio Ecclesiastico servari debere: *Primò*, ciborum delectum, qui excludit regulariter omnem carnis, ovorum & lacticiniorum usum, ùt constat ex S. Greg. relato *dist. 4. c. 7. Par est*, inquit S. Pater, *ut quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omni quoque, quæ sementinam carnis trahunt originem, jejunemus, lacte videlicet, caseo, & ovis. Secundò*; unicam tantùm faciendam esse refectionem. *Tertiò*; certa temporis differentia attendenda est, dum fit illa unica refectio; utì notant passim Canonistæ.

4\. Nota tertiò: Circa *delectum ciborum*, qui antiquissimus est, & commemoratur à Clemente Romano, Origene, Aug. Chrys. & alijs vetustis PP. ipsum graviter obligare; unde qui absque causa sufficienter excusante (cujusmodi est in partibus nostræ Germaniæ consuetudo firmata comedendi lacticinia, & ova diebus Jejunij) dictum delectum non servat, mortaliter peccat: quidquid in contrarium blaterent cavillatores Hæretici nostri temporis, qui ejusmodi delectum appellant ex Apostolo *1. ad Tim. 4. Doctrinam dæmoniorum, pertinentem ad Judaicas Ceremonias, & inducentem Ecclesiam ad Judaizationem*: sed absque veritate: nam longè alia ratione hic delectus ciborum ab Ecclesia proponitur, quàm à Priscillianistis (quorum dogma in spiritu prævidens Apostolus appellat *doctrinam dæmoniorum*) & Judæis, reputantibus aliquos cibos ex entitate sua physica, & ratione Legis Veteris immundos. Ecclesia enim ordinando Jejunium Ecclesiasticum censet omnes cibos quidem verè mundos; sed tamen à tempore Apostolorum præcipit quorundam abstinentiam ob alios altiores fines, puta refrænationem, & mortificationem carnis luxuriantis, aliásq; spirituales utilitates, & laudabilem praxim plurium Sanctorum, qui in Veteri, & Nova Lege delectum quorundam esculentorum servârunt; utì patet in Daniele, Joanne Baptista, &c.

5\. Nota quartò: Circa *unicam refectionem*; per eam non vetari repetitam assumptionem potûs cujusque, sive in vino, sive in cerevisia fiat; utì docet Abbas, Richard. Medina, &c. DD. Ratio est; quia potus primariò non ordinatur ad alimentandam naturam physicam hominis; sed ad promovendum alimentum assumptum, ut debitè digeratur; vel ut calor sanguinis æstuantis, & sitim provocantis retundatur. Non vetatur pariter per unicam refectionem usus repetitus electuariorum, & similium, quæ instar medicinarum, ad finem curandi vires corporis deglutiuntur; nisi in eis assumendis fiat excessus, ita ut rationem cibi potiùs, quàm medicinæ habeant; utì bene advertit S. Thom. Herincx, Laym. & alij DD. Non vetatur tandem modica vespertina cænula, quam collationem appellant, longâ jam consuetudine, & benignâ Ecclesiæ Romanæ conniventiâ, introducta; cujus quantitas determinari debet prudentis, ac timorati viri judiciô proportionaliter ad regiones frigidiores receptas consuetudines, & activiores complexiones; & meô judiciô (salvo meliori) non debet plus notabiliter, quàm quarta matutinæ moderatæ refectionis pars assumi; in quam sententiam etiam inclinant Herincx, Regin. &c. Qualitas ciborum, tamen non prohibitorum, secundùm Cajet. March. Abul. Bonac. Herincx, Reginal. &c. non frangit jejunium: unde securè collatiunculam instituere potes sive in herbis, lactucis, fructibus, pane adjuncto, utì vult Tolet. Azor. Armilla &c. sive etiam in pisciculis fumatis, vel acetô maceratis, utì admittit *cap. Presbyter dist. 82.* sive etiam in parte exigua majoris piscis; utì habet Bonac. &c. sive in pluribus rebus eâ-

dem

dem refectiunculâ degustatis; ùttenet idem Bonac. March. &c. imò sive in calidis, sive in frigidis escis, maximè quando adest aliqua causa, puta debilitas Stomachi, vel præcedens labor solidus. Ita Azor. & alij DD. modò quantitas debita non excedatur. Ratio horum omnium est; quia in sententia communi Philosophorum, qualitates non nutriunt; cùm accidentia sint: adeóque sicut potus ex eo, quòd non nutriat, indifferenter assumi potest tempore Jejunij; ita dicendum de qualitatibus tenentibus se ex parte escarum esualium.

6. Nota quintò: Quòd adhuc censeatur esse unica moraliter refectio, & practicabilis absque peccato; etsi per superveniens negotium rationabile interrumpatur prandium ad dimidium horæ, vel etiam integram horam; modò servetur intentio continuandi prandium; utì habet Tolet. Regin. Less. Bonac. &c. unde ex hoc capite excusantur servitores mensarum in Cœnobijs, &c.

7. Nota sextò: si tribus, vel pluribus vicibus unô die naturali diversæ refectiones instituantur; non idcirco committi plures, vel distinctas transgressiones peccaminosas Legis Ecclesiæ præcipientis unicam refectionem; sed unicum, & solum mortale resultat ex secunda refectione: ita Sylv. Sà. Regin. Nav. Bonac. Herincx &c. Ratio est; quia pro una die naturali statuitur unum præceptum Ecclesiasticum servandum, & adimplendum unâ refectione illius diei; qui autem secundò jam est refectus, non potest ampliùs servare illud præceptum de unica refectione; adeoque qui secundâ refectione voluntariè reficitur, ampliùs non peccat: cùm peccatum non sit ubi impotentia servandi mandati adest.

8. Nota septimò circa *tempus refectionis unicæ*; etsi olim regulariter fieret post Horam Nonam decantatam, id est horam tertiam pomeridianam horologij nostri Germanici, extra Quadragesimam; utì constat ex S. Aug. *Epist. 118. cap. ult.* Cassiano, & alijs; in Quadragesima verò circa Vesperam, utì ordinat Concilium Coloniense; & memorat S. Bernardus *serm. 3. de Quadragesima*, cum alijs PP. subsequentibus tamen sæculis nostris ad consulendum virium physicarum deficientiæ notabili, consuetudo Ecclesiæ reduxit tam recitationem Horæ Nonæ in Officio Ecclesiastico, quàm refectionem, prope meridiem, & ob eandem rationem permisit etiam aliquam collatiunculam vespertinam in cibis licitis.

9. Nota octavò: In *hoc tit.* Juris statuuntur Jejunia de præcepto observanda sequentibus diebus: scilicet in Vigilijs omnium Apostolorum, præter vigilias SS. Philippi, & Jacobi, & S. Joannis Evang. cùm horum dies festi incidant in tempus Paschale: & in Vigilia Pentecostes, ac Natalis Domini, *cap. Consilium 2. hoc tit.* Præterea etiam in Quadragesima jejunandum est ex Apostolica Institutione; ut videre est in Canone Apostolico 68. Item in quatuor Anni temporibus, quibus Ordines conferuntur, pariter ex Apostolica Institutione servandum est jejunium *can. 1. & 4. dist. 76.* Item quædam alia, utì in Vigilia Assumptionis B. V. MARIÆ, S. Joannis Baptistæ, Omnium Sanctorum, & ea quæ consuetudine locorum, aut diæcesano Statutô introducta fuêre: de quibus videnda sunt Calendaria.

10. Nota nonò: si Festum Nativitatis Domini inciderit in feriam sextam, possunt Catholici vesci carnibus; nisi aliqui speciali votô, vel regulari observantia à tali esu prohiberentur, *cap. Explicari 3. hoc tit.* Si Festum Nativitatis Domini, vel Assumptionis B. V. vel alicujus Apostolorum in feriam secundam inciderit, tunc jejunium fieri debet Sabbathô præcedenti, *cap. Ex parte 1. hoc tit.*

11. Nota decimò: ob tres causas quasdam personas excusari à jejunio Ecclesiastico. Prima est *ætatis physicæ imbecillitas*: ob hanc causam Ecclesia pia Mater secundùm communem DD. sensum eximit à Lege Jejunii omnes illas personas, quæ necdum attigerunt 21. annum ætatis: eò quòd frequentiori, & copiosiori nutrimentô indigeant eô tempore: etsi & his, quando vires jam habent, suadenda sit laudabilis jejunandi praxis. Secundò ob eandem causam excusantur senes 60. annorum, vel etiam 50. si defectus corporis citiùs incipiat. Deinde ægritudine aliquâ oppressi; convalescentes; exhausti viribus; uterum gestantes; lactantes; & pauperes; ut habet Nav. Sylv. Laym. S. Anton. March. Herincx &c. Secunda est *Pietas*, permittens, ut certæ personæ, actionibus altioris Ordinis, & perfectionis majoris, non facilè compatibilibus cum Jejunio Ecclesiastico occupatæ, plures refectiones in cibis licitis eodem die licitè facere possint: Hâc viâ excusantur à Jejunio, intêdentes operibꝰ Misericordiæ corporalibus, vel spiritualibus, cujusmodi sunt omnes ministri infirmorum, id est ipsi Infirmarii; Sacramentorum Administratores, Lectores Scholarum, Verbi DEI Præcones actuales &c. notabiliter his exercitiis fatigati; utì habet Nav. Sylv. Herinx, Laym. &c. Item quidam persolventes opus Justitiæ; puta si Conjux Conjugi debitum matrimoniale reddere debeat, & exinde notabiliter debilitetur in viribus; utì habet Sanch. Sa. Less. &c. Item opus chari-

charitatis exercentes; si videlicet Conjux judicat esse expediens ad impediendam, vel sedandam rixam Conjugis, ut alterâ vice cum eo reficiatur; uti docet Medina, Laym. Nav. &c. Tertia causa est *labor fatigiosus subeundus*, pro quo vires unicâ refectione restauratæ non sufficiunt. Hac de causa liberantur à Jejunio plures personæ Mechanicas artes perficientes, v. g. Coriarii, Fabri ferrarii, & Lignarii, Fossores, Impressores præli, rustica opera sectantes, Fullones, Cœmentarii, iter pedestre fatigiosum conficientes, & in universum quotquot duris addicti sunt laboribus, attenuantibus vires physicas corporis, sive isti divites sint, sive pauperes; uti constat ex quadam Declaratione Eugen. IV. Ita Bonac. Herincx, Sylv. Nav. &c.

12. Nota ultimò: dictas causas excusare quidem à Jejunio quoad unicam refectionem; non tamen quoad abstinentiam à carnibus; nisi cum his conjungatur evidens necessitas manducandi carnes v. g. gravis infirmitas, carentia ciborum jejunalium; quibus casibus accedere debet in foro fori dispensatio Episcopi, vel alterius personæ habentis ad hoc facultatem.

TITULUS XLVII.

De Purificatione post Partum.

CAP. UNICUM.

Quid sentiendum de Purificatione post Partum.

1. Nota primò: *Hunc tit.* brevem addidit Papa, ad majorem reverentiam Ecclesiarum, aliquomodo per Purificationem fœminarum post Partum ostendendam; sicut per jejunia *priori titulo* præscripta veneratio SS. peragitur. De Purificatione necessaria facienda ante templi ingressum agit Lex Mosaica, ordinans *Lev. 12.* ut mulier post partum reputetur immunda, & arceatur ab ingressu templi, & quidem per dies 33. quando enixa est masculum; per 66. verò, quando fœmellam peperit. Ejusmodi tamen Legis necessitas Cæremonialis in Lege Evangelica evacuata est; & propterea hodie mulieres statim absoluto partu Ecclesiam ingredi possunt, si velint, ad gratias DEO agendas; *nec aditus Ecclesiæ ipsis denegandus est, ne pœna* (scilicet doloris) *illi converti videatur in culpam; si tamen ex veneratione, & reverentia abstinere aliquamdiu velint, non est earum devotio improbanda.*

2. Nota secundò: à quibusdam Doctoribus hic tractari de abrogatione præceptorum cæremonialium Legis veteris; sed de hoc puncto vide, quæ ex professo dico *tom. 3. Scholæ Theologicæ tract. de Legibus disp. 2. q. 2.*

TITULUS XLVIII.

De Ecclesiis ædificandis, vel reparandis.

CAP. I.

De Ecclesiarum Ædificatione.

1. Nota primò: Postquam Papa in *superioribus tit.* egit de Ecclesiarum Consecratione, earúmque, ac Sanctorum veneratione; meritò proponit *hunc tit.* de earundem ædificatione, & restauratione. Venit autem nomine *Ecclesiæ* hic non collectio Catholicorum, de qua procedit *caput Ecclesia 8. de Consecrat. dist. 1.* Sed templum materiale, seu ipsæ ædes sacræ, constructæ ex lapidibus & lignis, ad quas populus Orationis & Sacramentorum suscipiendorum causâ accedit. Hodie variæ sunt Classes Ecclesiarum; uti notat Barbos. nam aliæ sunt *Basilicæ*, & sunt illæ majores, ac principes Ecclesiæ; cujusmodi sunt Romæ Basilica Salvatoris, Basilicæ SS. Apostolorum Petri & Pauli, &c Aliæ sunt *Cathedrales*, & sunt illæ, quæ Sedes Episcoporum constitutæ sunt. Aliæ sunt *Collegiatæ*, in quibus scilicet adest aliquis Clericus ùt Caput, & aliqui Clerici Canonici ùt membra, qui congregantur capitulariter, habéntque Sigillum, & arcam communem. Aliæ *Regulares*, quæ erectæ sunt pro habitatione Religiosorum, sub

certa Regula à Papa approbata viventium; de quibus potissimùm procedit titulus *de Religiosis domibus.* Et titulus *de Capellis Monachorum.* Aliæ *Matrices* (quô nomine aliàs etiam veniunt Cathedrales *cap. venerabili, de verb. signif.*) quæ alias Ecclesias sibi habent subjectas, suntque instar Matrum respectu illarum ùt filialium; de quibus procedit tex. in Trid. *sess. 21. de Refor. cap. 7.* Aliæ demùm *Baptismales*, in quibus sunt fontes Baptismi pro baptizandis parochianis.

2. Nota secundò: permittitur cuilibet Fideli absque consensu, & facultate Ordinarii privatum erigere Oratorium in ædibus propriis Orationis causâ; utì constat ex *cap. unicuique 33. dist. 1. de Consecrat.* Modò in eo non exponatur campana, quæ publicè pulsetur, *cap. Patentibus 10. de Privileg.* In hujusmodi tamen Oratorio nequit regulariter celebrari Missa; nisi priùs sit ad Divinum cultum dedicatum, ac ab Ordinario designatum, ab eóque visitetur, juxta Trident. *sess. 22. in Decreto de Observan. & evit. in celebrat. Missæ.* Quid autem circa hoc operentur Privilegia Regularium, vide quæ dico in *Schola Theologica, tom. 3. tract. de Sacramentis dist. 5. q. 12.*

3. Nota tertiò: pro licitè autem ædificanda Ecclesia nova in loco publico accedere debet consensus Ordinarii, & præcaveri, nè alteri Ecclesiæ præjudicium afferatur; utì habetur *cap. nemo 91. dist. 1. de Consecrat.* Et *cap. ad hæc 4. de Relig. dom.* Et putat Azor. Abbas, Pirh. &c. Sufficere consensum tacitum Ordinarii, si videlicet is scivit Ecclesiam construi, & non impedivit; cùm tamen facilè potuisset. Ut autem regulariter procedatur in ædificatione Ecclesiæ publicæ, debet Episcopus accedere ad locum, in quo construenda est Ecclesia, ibidem publicè atrium designare, Crucem figere, lapidémque primarium ponere, *cap. nemo, 9. dist. 2. de Consecrat.* Quæ tamen omnia etiam per alium delegatum præstare potest.

4. Nota quartò: Ecclesiæ Christianæ communiter ædificandæ sunt ob rationabiles causas; puta *primò* vel ob nimiam distantiam, vel aliam magnam difficultatem, aut incommodum adeundi Parochialem Ecclesiam ad percipienda Sacramenta, ac Divina officia audienda; quibus casibus intra fines prioris Parochiæ alia Ecclesia de novo construi potest, *cap. ad audientiam 3. hoc tit.* Et Trident. *sess. 21. cap. 4. de Reformat.* quod procedit tametsi Episcopus tali Parochiali Ecclesiæ veteri præstitisset juramentum, de rebus ejus non alienandis, *cap. ult. hoc tit.* *Secundò* similiter nova Ecclesia construi potest ob necessitatem leprosorum; sinè tamen gravi præjudicio Ecclesiæ Parochialis, intra cujus limites nova construitur, *cap. cùm dicat 2. hoc tit.* *Tertiò* ob alias quoque rationabiles causas, ab Ordinario approbatas.

5. Nota quintò: forma Ecclesiarum Christianarum ex antiqua traditione consuevit esse oblonga, indicans naviculam D. Petri inter fluctus hujus Mundi salvantem. Item testatur Clemens *lib. 2. Apost. Constit. cap. 61.* Apostolos instituisse, ut Altare principale versùs Orientem erigatur.

6. Nota sextò: ut nova Ecclesia Parochialis debitè erigatur, varia præter suprà recensita requiruntur. *Primò* ut eidem competens dos assignetur, *cap. 9. dist. 1. de Consecrat.* etiam ex redditibus Ecclesiæ Matricis, si iis abundet, ita ut non obstante aliquâ subtractione eorundem, Rector Ecclesiæ competenter ali possit, *cap. ad audientiam 3. hoc tit.* *Secundò* ut citetur Rector Ecclesiæ Matricis; quamvis enim Ecclesia nova simpliciter construi possit ipsô invitô *cit. cap. ad audientiam*; non tamen eô non citatô *arg. cap. 3.* *Tertiò* requiritur, ut in circuitu talis novæ Ecclesiæ construendæ adsint ad minus 10. Parochiani *arg. can. unio. 3. caus. 10. q. 3.* *Quartò*, ut erectionem novæ Parochialis Ecclesiæ faciat Episcopus cum consilio & consensu Capituli sui. Ratio est; quia erectio talis Ecclesiæ causat dismembrationem redditutuum Ecclesiæ Matricis, sicq; habet speciem alienationis, quæ fieri nequit absque consilio, & consensu Capituli, *cap. Cùm nos 2. de his, quæ fiunt à Prælat. sinè cons. &c.* *Quintò*, ut Ecclesiæ Matrici in Ecclesia de novo erecta pro facultate loci, præter patronatum, servetur quoque competens honor, *cap. cit. ad audientiam.* *Sextò* ut jus præsentandi in Ecclesia nova servetur Rectori Ecclesiæ antiquæ, si ex talis Ecclesiæ redditibus fundata fuit, *cit. cap. 3.*

7. Nota septimò: Episcopus attendere debet, ut Ecclesia nova erigatur pietatis intuitu; non quæstûs cupiditate, *cap. si quis Basilicam, dist. 1. de Consecrat.* Item nè vicinis ædibus noceatur, puta lumen earum demendo, vel legitimum spatium constringendo: quamvis enim favor Religionis sit summus; nihilominus ad justitiæ normam est revocandus; utì notat Vallens. Si Ecclesia aliqua sit ædificata omissa dote, ejus ædificator nomine dotis rectò conveniri potest, *cap. Cùm sicut 8. de Consecrat.* Aut in subsidium ad Episcopum Consecratorem recurritur, *arg. cap. 2. de Præb.*

CAP.

CAP. II.

De Ecclesiis reparandis.

1. Nota primò: Ecclesiæ Parochiales ruinam minitantes restaurandæ sunt ex quibuscunque redditibus, ac fructibus earum; utì patet ex *can. 1. & 2. cauſ. 10. q. 3.* Et Trident. *ſeſſ. 21. cap. 7. de Refor.* si verò dicti redditus, & fructus Ecclesiarum ruinosarum non fuerint sufficientes; tunc omnes Patroni earum, & alii, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt; aut in eorum defectum Parochiani omnibus remediis opportunis ad prædictam reparationem cogendi sunt; quacunque appellatione, exceptione, & contradictione remota; utì habet *cit.* Trident. Et demùm in defectu prædictorum etiam Rectores dictarum Ecclesiarum, ac alii Clerici beneficium ibi habentes, adigi possunt ad earum reparationem, *arg. can. Decrevimus 10. cauſ. 10. q. 1.* Et *cap. quicunque 1. hoc tit.*

2. Nota secundò: Ecclesia verò Cathedralis ruinosa restauranda est ab Episcopo ex quarta redditũum suorum, *can. quatuor 27. cauſ. 12. q. 2.* Nisi consuetudo aliud obtinuisset. Quòd si autem illa quarta pars non sufficiat, ob egestatem Episcopi; tunc Canonici tenentur ad reparationem, & compelli possunt ad contribuendum ex redditibus superabundantibus præbendarum, imò & distributionum quotidianarum, *cap. ult. de his quæ fiunt à majo. par. Capit.* Et demùm in casu paupertatis utrorumque Clerici inferiores ex suis fructibus superabundantibus contribuere debent ad fabricam dictarum Ecclesiarum; utì notat Abb. Pirh. &c. DD.

3. Nota tertiò: quando ob notoriam egestatem nemo planè contribuere potest ad reparationem Ecclesiæ Parochialis; nec sit spes futuræ reparationis; tunc Ecclesia talis ruinosa poterit destrui; ac ejus jura, & fundi dotales ad Matricem Ecclesiam, si filialis sit; vel ad aliam viciniorem authoritate Episcopi transferri: in tali autem Ecclesia Matrice erigi debet Altare sub eadem invocatione, sub qua fuit Ecclesia diruta; utì habet Barb. Engel, &c. Lapides verò, & ligna destructæ Ecclesiæ, quamvis olim non licuerit ad alium, quàm Ecclesiasticum usum converti, scilicet ad fabricationem alterius Ecclesiæ *cap. ligna 38. de Conſecrat. diſt. 1.* hodie tamen Tridentinum concessit in *ſeſſ. 21. de Reform. cap. 7.* facultatem, eadem uti & locum ipsum Ecclesiæ in profanos usus etiam transferendi, non sordidos; erectâ tamen ibi Cruce.

4. Nota quartò: Ecclesia sæcularis Collegiata potest converti in aliam Collegiatam, vel Conventualem Regularem, cum consensu Ordinarii; ita tamen ut Clericis sæcularibus in illa Ecclesia, dum superstites sunt, nullum fiat præjudicium, *cap. ad audientiam 5. hoc tit.* Et *can. si Episcopus 73. cauſ. 12. q. 2.*

TITULUS XLIX.

De Immunitate Ecclesiarum, Cœmeterii, & Rerum ad eas pertinentium.

CAP. I.

De Quidditate, & Divisione Immunitatis Ecclesiasticæ, ac de Locali in Specie.

1. Nota primò: Visô in *priori tit.* modô ædificandi, & obligatione reparandi Ecclesias; *hoc tit.* Pontifex continuat tractatum de iisdem Ecclesiis, & præsertim agit de Immunitate earundem, ac cæterorum ad Ecclesias pertinentium. Describitur autem Immunitas in genere in *cap. 1. hoc tit. in 6.* quòd sit exemptio à muneribus publicis, quæ alioquin sint communia. Sed clariùs ad propositum.

2. Dico primò: optimè describitur Immunitas Ecclesiastica, quòd *sit jus, quo loca, res, vel personæ Ecclesiasticæ ab oneribus, & officiis sæcularibus liberæ sunt, atque exemptæ.* Ly *jus* est genus; reliqua ponuntur pro differentia.

3. Nota secundò: Immunitas Ecclesiastica (quæ etiam vocatur *Libertas*, seu *Exemptio Ecclesiastica*) alia est localis; alia realis; alia personalis. *Immunitas localis* est, quæ concessa est Ecclesiis, Cœmeteriis, Monasteriis, aliisque locis Ecclesiasticis. *Realis* est, quæ concessa est rebus, seu bonis ad Ecclesiam, vel Clericos pertinentibus. *Personalis* est, quæ

quæ concessa est ipsis personis Ecclesiasticis. Circa localem

4. Nota tertiò: Immunitas Ecclesiastica localis consistit in variis, quæ exerceri prohibentur in Ecclesiis, & aliis locis Ecclesiasticis, ob reverentiam loci. Et *primò* in eis tractari nequeunt causæ criminales, in quibus agitur de sanguinis effusione, vel corporali pœna, *cap. cum Ecclesia 5. hoc tit.* *Secundò* prohibentur quoque in iisdem locis Ecclesiasticis tractari causæ civiles, ad forum sæculare pertinentes; cujusmodi sunt contractus emptionis, & venditionis, omnésque negotiationes, nundinæ, profanæ Societatum conventiones, consilia, publica parlamenta; & omnes processus, ac sententiæ in eis factæ carent omni robore firmitatis, *cap. Decet 2. hoc tit.* Et à fortiori prohibentur in memoratis locis exerceri profana, fœda colloquia, ac omnia illa, quæ Divinum possent turbare officium. *Tertiò* vetantur fieri in Ecclesiis, & aliis locis sacris comœdiæ profanæ, ludi theatrales, choreæ, convivia, aliæq; similes actiones indecentes, *cap. cùm decorem, de vit. & honest. Cleric.* Denique secundùm Trident. *sess. 22. in Decreto de observ. & evitand. in Missa* ita statuitur ad propositum: *ab Ecclesiis musicas eas, ubi sive organo, sive cantu lascivum, vel impurum aliquid miscetur; item sæculares omnes actiones, profana colloquia, deambulationes, strepitus, & clamores arceantur, ut Domus DEI verè Domus DEI videatur*; & Divinum Numen, ac Salvatoris nostri cum reverentia, & devotione adoretur, *cap. 2. hoc tit. in 6.*

5. Nota quartò: Præterea *quartò* consistit Immunitas Ecclesiastica localis in hoc, nè domus Ecclesiarum, vel habitacula Clericorum, quæ actu incolunt deputentur, vel à Laicis conducantur pro hospitibus excipiendis *cap. 1. hoc tit.* *Quintò* nè in iisdem Ecclesiis recipiantur Suppellectiles privatorum; nisi tempore gravis necessitatis, *cap. fin. de cust. Euchar.* *Sextò*, nè incastellentur, seu muniantur, & in servitutem redigantur à laicis, *can. Sanctorum, caus. 10. q. 1.* præterquam tempore necessitatis de consensu Episcopi. *Septimò*, quòd Ecclesia, & alia loca Ecclesiastica sint asylus reorum eò confugientium; & tales non possint inde extrahi *cap. Inter alia 6. hoc tit.* de quo Jure pono ex professo sequens Capitulum.

CAP. II.

De Immunitate Asyli.

1. Dico primò: Jure Ecclesiastico, & Civili competit Ecclesiis, aliisque locis piis Immunitas seu Asylus, qui etsi Jure Divino introductus non sit; ei tamen, & Legi naturæ valdè conformis est. Ita Delbene, Herincx, Laym. &c. contra Decium, Lupum, Gonni, & alios quoad quartum membrum. Et primum sancitur in Concilio Arausicano I. *can. 5.* Et *can. Id constituimus, 17. qu. 4.* Et *cap. Inter alia, de Immunit. Eccles.* Secundum patet ex *C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt.* Et Auth. *de Mandatis Principum.* Tertii, quòd scilicet non sit de Jure Divino, Ratio est; quia etsi in Veteri Lege *cap. 20. Exodi & 21.* aliquæ Civitates, & Templum Hierosolymitanum à DEO constituta fuerint pro Asylo; illa tamen Lex Divina Vetus introductâ novâ expiravit; nec in Nova legitur ullibi restauratus Asylus; Unde in Lege Nova sola Potestas humana Ecclesiastica, & Laica solùm ad imitationem Synagogæ, aliqua Loca sacra affecit beneficiô Asyli. Quartum tandem etiam ostenditur; quia æquitas naturalis, & Sanctitas, ac reverentia Locorum sacrorum, postulare videtur, ut illa immunia sint à coactiva potestate Laica, circa extractionem malefactorum.

2. Dico secundò: Immunitas, & Asylus locorum sacrorum est adeò fixè radicatus in sacris Canonibus, ut nullâ consuetudine possit contra eum præscribi. Ita Delbene, Gutier. Farinacius, Rebuff. Baconus, & plures alii; contra Barbosam, Covarr. &c. Et constat ex Bulla Cœnæ, quæ singulis annis reclamat contra omnes Consuetudines introductas in præjudicium Immunitatis Ecclesiasticæ. Et ex Bulla Urbani VIII. *Romanus Pontifex*, edita an. 1639. die 5. Junii, in qua annullat, reprobat, & declarat semper fuisse nullas, & reprobas omnes consuetudines, invectas contra Immunitatem Ecclesiasticam. Idem patet ex *cap. Clericis, de Judiciis.* Tandem consuetudo non potest præscribere id, quod Lex non potest statuere (sicut determinavit S. Rota Romana, die 26. Novembris, uti habet Delbene, & Farrinacius) sed in materia Immunitatis Ecclesiasticæ, maximè quoad loca sacra, nec populus, nec ullus Princeps Laicus, nec ullus Prælatus infrà Papam quidquam statuere potest, defectu Jurisdictionis; uti patet ex *cap. solitæ, de Major. & Obed.* Et ex *cap. 1. de Constit.* ergo &c.

3. Dico tertiò: Privilegiô Immunitatis Ecclesiasticæ, gaudent omnia loca sacra, authoritate Episcopi erecta; etsi necdum consecrata, vel benedicta, sed aliâ ratione v.g. Crucis erectione ad publicum Sacrificii, & Sacramentorum usum deputata, quamvis necdum in eis Missæ lectæ sint; aut alia Divina celebrata; cujusmodi sunt Ecclesiæ, Capellæ, & Oratoria publica,

publica. Ita Abbas, Delbene, Laym. Herincx, Bac. Sylv. & communis Canonistarum. Et ita sancitur in *cap. Ecclesiæ, de Immunit. Eccles.* ubi dicitur; *Obsequiis Divinis dedicata, nullis sunt temerariis ausibus profananda.*

4. Dico quartò: etiam domus Religiosorum cum toto Claustro, gaudent Jure Asyli; uti & Hospitalia Episcopi facultate constructa; Ordinaria domus Episcopi, Cardinalium Palatia; & Sacerdos actu deferens SS. Eucharistiæ Sacramentum, à quo proinde Reus confugiens nequit avelli; item omnia habitacula Ecclesiæ, vel Oratorii, cujusmodi sunt Sacristia, Porticus, Atrium, Cœmeterium, Turres, Valvæ, & alia quomodolibet Ecclesiæ adhærentia. Ita Delbene, Herincx, Laym. Glossa, Sylv. Clarus, & communis Canonistarum. Et Primum colligitur ex *cap. Ligna. dist. 1. de Consecrat.* confirmátque perpetua consuetudo. Secundum *de Hospitalibus* habetur *cap. Ad hæc, de Religiosis domibus.* Tertium *de Domo Episcopi* constat ex *can. Id constituimus, 17. qu. 4.* sive hujusmodi Domus sit intra quadraginta passus ab Ecclesia, sive extra; ùt tenet Abbas, Laym. Covar. Diana. &c. *De Cardinalium Palatiis* intra, vel extra Urbem sitis idem habet longa rationabilis consuetudo; & tenet Barbos. Tusch. &c. Quarti *de Sacerdote deferente Eucharistiam;* Ratio est; quia præsumitur de mente Summi Pontificis, eum Privilegium Immunitatis Ecclesiasticæ etiam permittere extendi ad talem Sacerdotem; eò quòd Corpus Christi longè dignius sit locis sacris; imò ratio & fundamentum quasi immunitatis concessæ Locis Sacris: quidquid in contrarium dicat Glossa. Quintum *de Habitaculis* patet ex *can. Si quis contumax, caus. 17. q. 4.* Et ex *can. Quisquis.* Et *can. Definivit. eadem 4. qu.* ubi extenditur Jus Immunitatis ad domus, atria, & quæcunque loca adhærentia, & existentia in circuitu quadraginta passuum in majoribus Ecclesiis, in minoribus verò triginta passuum servit solummodò Reo jam existenti in loco Immunitatis, & ex eo progredienti; non autem eò primò fugienti; uti habetur *can. cit. Definivit.* dicente; *Qui Ecclesias petunt, per omnia licitum est eis in triginta passus, ab Ecclesiæ januis progredi.*

5. Dico quintò: Præfata Immunitas, & Asylus etiam remanet in Ecclesia; etiamsi Interdicto subjiciatur, violetur, polluatur, etiam ante reconciliationem; item tametsi sit diruta casu, & imperfectè constructa; modò non desinat construi. Ita Abbas, Sylv. Azor. Delbene, &c. Ratio primi, secundi, & tertii est; quia per Interdictum, Violationem, & Pollutionem, Ecclesia non perdit suam Sanctitatem; cùm hoc nullo Jure expressum reperiatur. Præterea, hujusmodi Censuræ, & Impedimenta sunt pœnalia, & odiosa: adeóque extendi non debent ultra casus à Jure positos. &c. Quartum habetur *L. ad Sacra ff. de contrah. empt.* Et L. *In tantum ff. de verb. divis.* Quintum tandem patet ex dictis; quia Ecclesia imperfectè constructa, authoritate Episcopi designata est ad Cultum DEI, & consequenter sortita est rationem Loci Sacri: ergo gaudet Immunitate Ecclesiasticâ.

6. Dico sextò: Regulariter quævis persona, expresè in Jure non excepta, sive Mas sit, sive Fœmina, sive Liber, sive Servus, sive Nobilis, sive Ignobilis gaudet Immunitate Ecclesiasticâ. Ita communis Canonist. Et colligitur ex *cap. Inter alia, de Immunitate Ecclesiastica.* Et *can. Frater. can. Miror. can. Definivit. can. Id constituimus.* Et *can. Si quis contumax. caus. 17. q. 4.* Estq; Ratio; quia Ecclesia non est acceptatrix personarum: & qualitas Maris, Fœminæ, Liberi, vel Servi, Nobilis, vel Ignobilis per accidens se habet. Ex his ulterius.

7. Dico septimò: Privilegiô Immunitatis Ecclesiasticæ gaudet Supensus, vel Interdictus ab ingressu Ecclesiæ: item Excommunicatus etiam non toleratus: item Hæreticus in aliis criminibus, præter hæresim: Imò & Infidelis in criminibus, quæ contra Fideles non commisit. Ita communis Canonistarum. Ratio primi est; quia Suspensus, vel Interdictus ab ingressu Ecclesiæ censetur solùm removeri ab Ecclesiæ introitu ad audienda Divina; non autem arceri ab ingressu materiali, ut gaudeat ejus Immunitate. Deinde Ecclesia interdicta gaudet adhuc Immunitate Ecclesiasticâ: ergo & persona interdicta. Ratio secundi est; Excommunicatio inter suos effectus in Jure expressos, non habet hunc, scilicet privare Immunitate Ecclesiasticâ. Præterea Clericus Excommunicatus non perdit Privilegium fori, & Canonis: ergo nec Laicus Excommunicatus Immunitatem Ecclesiasticam. Ratio tertii est; Hæresis respectu aliorum criminum per accidens se habet: & ex alio cap. ubi crimen non est exceptum, non habemus fundamentum excipiendi personam ab Immunitate Ecclesiasticâ: sed alia crimina Hæreticorum, præter ipsam Hæresim, non sunt excepta in Jure: ergo nec ipsa persona Hæretici. Ratio quarti est; Canones citati pro Immunitate Ecclesiasticâ loquũtur indistinctè; unde Privilegium Immunitatis Ecclesiasticæ non tam est personale, quàm locale; & in reverentiam Loci sacri concessum: Locale autem Privilegium extenditur ad omnes in loco existentes: adeóque

adeóque & Privilegium Immunitatis Ecclesiasticæ ad Infideles ad Ecclesiam confugientes ob aliqua crimina. Deinde Privilegium Immunitatis est favorabile : ergo latè interpretandum, etiam pro Infidelibus, Saracenis, Judæis, & similibus. Dixi *In criminibus, quæ contra Fideles non commisit* : quia si Judæus, Saracenus, vel alius Ethnicus flagitia committat in populum Fidelem, & ideò confugiat ad Ecclesiam; nequaquam gaudere debet ejus Immunitate; ùt bene docet Covarr. Clarus, Ambrof. Delbene, &c. quia par non est, quòd ab Ecclesia defendatur, qui ejus membra infestat. Et licèt talis Reus confugiens ab Ecclesia puniri non possit; gaudere tamen aliquô Privilegiô non meretur; utì habetur L. *Privilegia C. de Hæret. & Manich.*

8. Dico octavò : Præterea eôdem Privilegiô Asyli gaudet captus, & fugiens ex carcere, vel exilio; item condemnatus ad mortem, & eripiens se è manibus Ministrorum Justitiæ, vel ab alio ereptus, & confugiens ad Ecclesiam; item condemnatus ad triremes, & confugiens ad locum sacrum; item qui præstitô juramentô de redeundo ad carcerem, se recipit ad Ecclesiam; item Clericus delinquens, comparativè ad Judices sæculares; item alieno ære gravatus, & decoctor; verbô omnis alius gravis peccator Jure expresè non exceptus. Ita communis. Ratio horum omnium est; quia Privilegiô Asyli, cùm generale sit, gaudere possunt omnes personæ, iis demptis, quæ expresè in Jure Pontificio excipiuntur: personæ autem nominatæ in Concluf. non excipiuntur in Jure Pontificio: adeóque illæ omnes gaudent Privilegiô Asyli.

9. Dico nonò : Non gaudet autem Immunitate Ecclesiasticâ publicus Latro; neque depopulator nocturnus agrorum; neque homicidæ, vel mutilatores in Locis sacris, aut Cœmeteriis; nec viarum grassatores; proditoriè occidentes proximum; assasinus; Hæreticus quà talis; nec committens crimen læsæ Majestatis humanæ. Ita Abbas, Sylv. Henrincx, Layn. Farrinac. Hostiens. & communis Canonist. Primum, *de publico Latrone*, constat ex *cap. Inter alia, de Immunit. Eccles.* ubi adimitur Asylus. Nomine *latronis publici* comprehenditur omnis deprædator, qui palam, vel cum violentia, sive in mari, sive in flumine, sive in domibus, sive in via spoliat, ùt habet Ambrof. Delbene, Abbas, & alii. Secundum *de nocturno depopulatore agrorum* constat per *cap. cit.* Et *Constit. 10.* Leonis X. Et aliâ Gregorii XIV. hac de re ex professo emanatâ, quæ passim refertur à DD. signanter à Delbene; éstque septima in Bullario Romano. Censetur autem esse *nocturnus depopulator* agrorum ille, qui in alienis campis nocte (non autem de die) segetes, vel in vineis uvas, similésque fructus devastat, vel surripit; ùt dicitur *L. 1. C. Quando liceat.* Tertium *de homicidis & mutilatoribus* pariter constat ex *Constit. Gregoriana.* Et ex *cap. fin. de Immunit. Eccles.* Estq; Ratio; quia (ùt habet *cap. Inter alia*: Et *can. Ad Episcopos. 17. qu. 4.*) delinquens in Ecclesia, indignus est Immunitate Ecclesiæ. Et quia frustra (ùt ait *cap. Qui frustrà. de Usuris*, & *L. Auxilium, de Minoribus*) legis auxilium invocat, qui Legem contemnit. Nomine *mutilatoris* venit solus ille, qui truncat aliquod membrum, ad functiones corporis necessarium, & quod proprium habet munus ab aliis distinctum; utì sunt pes, manus, oculus, auris, lingua, membrum virile, mamillæ fœminarum, ùt observat Ugolin. Reginald. Sayr. &c. non qui aut vulnerat, vel debilitat, vel aliquid abscindit, vel destruit, quod ita necessariū non est ad munus corporis, nec habet munus distinctum, cujusmodi sunt dentes, capilli, digiti aliqui, copia sanguinis, barba, cartilago aurium, mamillæ masculi, ungues, & testes; utì habent cit. DD. & Delbene, Molina, Avila, Filliuc. &c. Quartum *de grassatoribus* habetur in *cap. cit. Inter alia*; ibi, *qui dum itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, aggressionis insidiis.* Et in *Constit.* Gregorii XIV. ibi; *Viarúmque grassatores, qui dum itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur.* Sunt autem grassatores aliqua species Latronum, in hoc tamen à Latronibus distincti, quòd Latro vocetur is, qui extra urbem vias publicas obsidet; grassator verò in ipsa urbe, *L. Capital. §. Grass. ff. de pœnis.* Quintum *de proditoriè occidentibus proximum* determinatur per *cap. 1. de Homicid.* illis verbis : *Si quis per Industriam occiderit proximum suum, & per insidias; ab altari meo avelles eum, ut moriatur.* Item habetur in *Constit.* Gregor. sub hoc titulo comprehenditur omnis occisor, occidens per insidias proximum suum incautum, nullibi sibi præcaventem ab insidiis, ùt dicitur L. *Propter insidias C. qui accusare non possunt.* Sextum *de assasinis* colligitur ex eadem *Constit.* Gregoriana recepta; & continua praxi Ecclesiæ, atque communi DD. sensu, privante omnes assasinos formales Asylô. Sunt autem *assasini* illi, qui pecuniâ, vel aliô æquivalente conducti, incautum aliquem occidunt; ùt habet Menoch. Gutierez, Clarus, Delbene, Imola, &c. Septimum *de Hæreticis* patet; quia hi pertinaciter discredentes Ecclesiæ propositionibus, indignos se reddunt, ut Ecclesiæ gremiô recipiantur, fugientes ad eam

eam ob crimen hæresis, ob quod aliàs morte plecterentur; habetur enim horum exclusio ab Immunitate Ecclesiasticâ in *cit. Constit.* Gregorii XIV. Ultimam tandem *de committentibus crimen læsæ Majestatis humanæ*; inde constat, quia & isti à privilegio Immunitatis Ecclesiasticæ excipiuntur in dicta *Constit.* Greg. XIV. Et meritò; quia tale delictum in Principis personam commissum est atrocissimum, ita ut infamis mors Reo propterea infligatur, sequatur bonorum confiscatio, & de eo etiam post fata possit fieri inquisitio, ac Rei memoria damnari; ùt habetur L. *Quisquis. C. ad L. 1. Juliam Majest.* Hujusmodi crimen censetur committere, quisquis actionem damnosam in personam Principis exercet v. g. eum occidendo, vulnerando, percutiendo, conjurando, machinando, hostiliter insequendo, vel revelando hostibus secretum Principis, ut ab iis capiatur. Idem esto judicium de consulentibus, favorem præstantibus, ùt habet Delbene, & alii DD.

10. Dico decimò: Immunitas Ecclesiastica, de qua hìc, operatur sequentes effectus: Quòd nullus audeat confugientes ad Ecclesiam, vel residentes inde abstrahere; neque quisquam impedire potest, quò minùs eis præstentur alimenta, vestes, & alia necessaria vitæ. Ita communis Canonistarum. Primum deciditur in *cap. Inter alia, de Immunit. Eccles.* Et *c. De his, qui ad Ecclesiam confugiunt.* Et *can. Definivit. caus. 17. q. 4.* Unde si Reus per vim à Laica potestate abstrahatur à loco sacro, debet eidem, aut æquè tuto, commodo, ac sacro loco restitui; utì habet Herincx, Delbene, Covarr. & communis Canonistarum; habetúrque *cap. Inter alia, de Immunitat. Eccles.* Et extrahens potest excòmmunicatione compelli ad restitutionem; utì habetur *can. si quis, caus. 7. q. 4.* Secùs dicendum si Reus suâ sponte, vel inductus blanditiis, falsis promissis, & dolis egressus à sacro loco capiatur à Laica potestate; ùt habet Navar. Bonac. & Farinac. Secundum expresè determinatur *L. 2. &* L. *præsenti. C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt.* Item *can. Nullus*, *can. Miror.* Et *can. Id constituimus, caus. 17. q. 4.*

11. Dico undecimò: Reus sæcularis in Asylo constitutus, non potest in loco sacro incarcerari, neque vinculis ligari; neque aliô modô vexari; neque spoliari rebus secum in Ecclesiam allatis, neque aliis damnis affici; neque ad mortem, aut pœnam aliquam corporalem damnari, sive per Judicem sæcularem, sive per Ecclesiasticum. Ita Covar. Decian. Bonac. Delbene, Abbas, Cartell. &c. Primum, Secundum, Tertium, Quartum, & Quintum; apertè vetatur L. *Præsenti. C. de his qui ad Ecclesiam confug.* Et *can. Definivit, caus. 17. q. 4.* ubi indefinitè prohibetur, nè existenti in Immunitate Ecclesiastica, aliqua vis, nocibilitas, vel damnum inferatur. Sextum habetur *cap. Inter alia, de Immunit. Eccles.* Et *can. Id constituimus. cit. caus. 17. q. 4.*

12. Dico duodecimò: Infringentes Immunitatem Ecclesiasticam, extrahendo Reum ex loco sacro, vel hoc mandantes, committunt Sacrilegium, incurrunt infamiam, pœnam pecuniariam trigintra librarum argenti, & Excommunicationem. Ita Delbene, Gutier. Sylv. Farinac. Zerola, & plures alii apud Delbene. Primum constat ex *can. Sacrilegium, caus. 17. q. 4.* Et quia infringentes Immunitatem Ecclesiasticam per extractionem Rei ex loco sacro, in re gravi lædunt sanctitatem loci sacri, in cujus honorem ab Ecclesia est invecta Immunitas: & consequenter gravem faciunt injuriam loco sacro: ergo committunt Sacrilegium. Secundum habetur in Lege Caroli IV. quam vide apud Scortiam *Epist. 29.* Tertium ordinant antiqui Canones, renovati per Trident. *sess. 29. cap. 20.* & per *Constit:* Gregor. *cit.* Quartum habetur in *cap. Noverit, de sent. Excommun.* Et *can. Sicut antiquitùs.* Et *can. Frater.* Et *can. Miror.* Et *can. Quisquis.* Et *can. Si quis contumax, caus. 17. qu. 4.*

CAP. III.

De Immunitate reali, & personali.

1. Dico primò: Ecclesiæ, ac personæ Ecclesiasticæ, earúmque res, regulariter sunt exemptæ utroque Jure à solutione Tributorum, & Gabellarum. Ita Bonac. Filliuc. Hugol. Lugo, Less. Azor. Layman. Herincx, Diana, & communis Canonistarum, ac Legisperitorum. Et primò *de Jure Canonico* constat ex *cap. Non minus.* Et *cap. Adversùs, de Immunit. Eccles.* Et *cap. Quamquam, de Censibus, in 6.* Et *cap. 1. de Immunit. Ecclesiar. eodem lib.* Item in Clement. *Præsenti, de Censibus.* Et Bulla Cœnæ: quibus locis etiam infliguntur Excommunicationes, & Interdicta, exigentibus Vectigalia ab Ecclesiasticis. Accedit novissimè Trident. *sess. 25. c. 20.* Secundò *de Jure Cæsareo* sancitur *L. Sancimus, C. de SS. Ecclesiis.* Et Auth. *Item nulla communitas, C. de Episc. & Cleric.* ex qua cape sequentia formalia: *Item nulla communitas, vel persona publica, vel privata, collectas, vel exactiones angarias, vel parangarias Ecclesiis, vel aliis piis locis, aut Ecclesiasticis personis imponere præsumat.*

2. Dico

2. Dico secundò: Exemptio Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum à gabellis, & tributis habet radicem, & fundamentum in Lege Divina, & Naturali, volente, ut à Summis Pontificibus, & Principibus sæcularibus, Status Ecclesiasticus, bonáque ei adjudicata per Leges humanas, omnino immunia reddantur; Etsi Jure Divino expresso eô ipsô immunia non sint. Primum est Lug. Less. Bonac. Laym. Homoboni, Hugolin. &c. Secundum est Lessii &c. Tertium Covar. Mald. Victoriæ, Arragon. Ledesmæ &c. contra Lug Bonac. Laym. &c. Primum colligitur ex *cap. Quamquam, de Censibus.* Et Trid. *sess. 25. c. 20.* dicente; *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem DEI ordinatione, & Canonicis Sanctionibus constitutam esse.* Et deducitur ex Veteri Testamento Gen. *47.* ubi Joseph à Gabellis, & tributis exemit terram Sacerdotum. Item *1. Esdræ 7.* Artaxerxes immunitatē Vectigalium præstitit Sacerdotibus, & Levitis: ergo, &c. Secundum *de Lege Naturali* patet; quia Personæ Ecclesiasticæ Divinis rebus sunt addictæ, orationibus, & Sacrificiis Regnorum calamitates potenter avertētes, & Regna conservantes: ut proinde dixerint Constantinus, & Constans Imperatores; *Scientes magis Religionibus, quàm Officiis & labore corporis, vel sudore Rempublicam nostram contineri.* Præterea ejusmodi Personæ communes Principum sæcularium, aliorúmque Christi Fidelium Pastores, & Judices animarum efficiuntur, plurima eis beneficia salutis conferentes: quare Jus naturale dictat, eas eximendas per Imperatores, à sæcularibus oneribus gabellarum, & Tributorum, in gratitudinis vicem. Quare piissimus Imperator Constantinus, primò omnium exemit Ecclesiasticas personas ab oneribus personalibus censuum publicorū; uti habetur *can. Qualibet. caus. 23. qu. 8.* Justinianus immunitatem præstitit in Causis civilibus, & quibusdam tributis; uti habetur *Novell. 83. & 123.* Et tandem alii Imperatores totaliter eos exemerunt; ùt videre est in diversis eorum Sanctionibus, & ordinationibus. Ratio tertii est; Tum, quia nullum Jus extat Divinum, expressè ipsô factô eximens Ecclesiasticas personas, & Ecclesias à solutione Tributorum Regiorum. Tum quia in principio Christianismi erant subjecti Principibus sæcularibus; uti deducitur ex illo Apostoli *ad Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*; in quem locum ait Chrysostomus: *Ostendens ista omnibus imperari, & Sacerdotibus, & Monachis, non solùm sæcularibus*; quæ subjectio utique se extendebat ad solutionem Tributorum; Quare hujus solutionis praxis vigebat in primitiva Ecclesia; ùt colligitur ex *can. si Tributum, 11. q. 1.* dicente: *Si Tributum petit Imperator, non ei negamus; agri Ecclesiæ solvant Tributum.* Et ex *can. Tributum, 23. qu. 1. Quod in ore piscis invenitur, pro Petro, & Domino dari jubetur; quia de exterioribus Ecclesiæ, quod constitutum antiquitùs est, pro pace, & quiete, quâ nos defensare debent, Imperatoribus persolvendum est.* Quam praxim non observâsset Ecclesia, si extaret expressum Jus Divinum, eximens Ecclesiasticas personas, earúmque bona, à solutione Tributorum.

3. Dico tertiò: Privilegiô exemptionis solvendarum gabellarum, & tributorum, gaudent omnes, & soli sequentes Ecclesiastici; videlicet omnes Clerici Sacrorum Ordinum, & Beneficiati, Religiosi, & Religiosæ, sive perpetuò Claustrales, sive Mendicantes sint; Clerici etiam Minorum Ordinum, & Tonsurati, etiam Beneficiô, vel Obsequiô alicujus Ecclesiæ carentes; modò conjugati non sint; Novitii Regularium; præterea omnes Ecclesiæ, omniáque Loca pia, & Monasteria Regularium, quoad sua bona. Ita Lugo, Less. Covar. Mald. & communis Canonistarum. Ratio, *de Clericis Sacrorum Ordinum, & Beneficiatis*; item *de Religiosis, Ecclesiis, Monasteriis. Locis piis, & horum omnium bonis*, est; quia præfatæ personæ, Loca, & bona, Jure Canonico sunt propriè personæ Ecclesiasticæ, loca, & bona Ecclesiastica: sed personæ Ecclesiasticæ, loca, & bona Ecclesiastica gaudent privilegiô exemptionis solvendarum gabellarum; uti habetur *cap. Quamquam; de Censibus, in 6.* Unde & in *Bulla Cœnæ* excommunicantur imponentes, exigentes, & cooperantes his, onera similia civilia, his verbis; *Excommunicamus omnes, qui absque speciali, & expressa Summi Pontificis licentia, imponunt collectas, decimas, talias, præstantias, aut alia onera personis Ecclesiasticis, aut eorum bonis, sive Ecclesiarum, aut Monasteriorum ipsorum; aut imposita exigunt, aut à sponte dantibus recipiunt, aut his actibus quodammodo cooperantur:* ergo &c. *De Clericis Minorum Ordinum, & initiatis primâ tonsurâ* colligitur ex *cit. cap. Quamquam.* Et *L. Presbyteros, C. de Episc. & Cleric.* Et quia hi censentur esse veræ personæ Ecclesiasticæ. Dixi: *modo conjugati non sint*; quia tales ex *cap. unic. de Clerico conjugato, in 6.* Et Trid. *sess. 23. cap. 6. de Reformat.* solvere tenentur. *De Novitiis* patet; quia hi in favorabilibus pro Religiosis habentur, & gaudent eorum Privilegiis, & consequenter exemptione à solutione gabellæ.

4. Dico quartò: Ecclesiastici tamen obligantur solvere tributa in sequentibus casibus. *Primò*; si negotientur; quô casu ex rebus emptis vel venditis tenentur solvere Vectigal. *Secundò*; quando acquirunt bonum aliquod, cui priùs annexum erat onus reale perpetuum, v. g.

v.g. Census servitutis. *Tertiò*; quando exactio communis tributi, æquè cedit in particulare commodum, etiam Ecclesiasticorum; & quando Laicorum facultates reverà non sunt sufficientes, in ordine ad succurrendum publicis Reipublicæ necessitatibus. Ita Less. Lugo, Castro Palao, Bonac. Barbos. Suarez, &c. Primum constat ex *cap. Quamquam, de Censibus in 6.* quod caput Ecclesia ordinavit, in ordine ad deterrendos Clericos à negotiatione lucrativa; quare eosdem negotiatores spoliat etiam Privilegiô clericali, *cap. Ex Literis 16. de vita & honestate Cleric.* si ter moniti à Superiore non desistant à negotiatione. Secundum deducitur ex *cap. Pastoralis*; *De Decimis.* Et quia dicit communis Regula Juris, *cap. Cum non sit, 33. Res quæcunque cum suo onere transit.* Tertium patet; quia æquitas naturalis dictat, ut qui sentit commodum, sentiat & onus; quare si Ecclesiasticus æquè primariò sentiat commodum ex apertura alicujus fossæ, in quam desluere debent superfluæ humiditates in suos & totius alicujus Castri agros, sterilitatem inducentes; vel quando aquæductus trahendi sunt ad irriganda prata, tam sua, quàm Castri; Ecclesiasticus pro rata Tributum dare debet ad horum facturam; & ejusmodi onus subire; cùm ipse sentiat commodum particulare. Aliter dicendum esset; si facienda essent aliqua, quæ directè, & primariò respiciunt bonum Communitatis; & secundariò tantùm commodum Ecclesiasticorum: puta si pontes publici, muri, vel fontes Castri alicujus essent reparandi; utì tenet Bart. Panor. Sylv. Barbos. Salon. &c. Quartum tandem constat ex *cap. Adversùs.* Et *cap. Non minus*; *de Immunit. Ecclesiar.* ubi etiam dicitur, quod ad hoc requiri, & accedere debeat Episcopi, & Cleri consensus quoad capita majora v.g. Decanorum Foraneorum, Prælatorum Exemptorum, & Capituli Episcopalis. &c. Imò modò accedere debet regulariter consensus Summi Pontificis; utì patet in Bulla Cœnæ: præterquam quando periculum est in mora; utì habet Less. Sylv.

5. Dico quintò: Quando in dictis quatuor casibus Ecclesiastici reluctantur, & sunt negligentes in solvendis Tributis, vel gabellis, non possunt cogi ad solvendum à potestate sæculari; sed ab Ecclesiastico Judice. Ita Sylv. Panorm. Felin. Lugo, Lopez, Hostiensis, &c. contra Baldum, Olanum, Murejam, Richardum, &c. Ratio est; quia Ecclesiastici per plura capita Juris Canonici; maximè autem per *cap. un. De Cleric. Conjug. in 6.* generaliter exempti sunt à Jurisdictione potestatis sæcularis, ita ut ab ea nec molestari, nec conveniri possint: adeóque etiam in casu reluctationis solvendæ gabellæ, & ubi vi coërcitivâ, seu coactivâ contra eos procedi debet.

6. Nota autem: in Jure graves pœnas esse statutas contra violantes Immunitatem Ecclesiasticam per Impositionem collectarum, & aliarum exactionum super Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas. Et *Primò* excommunicari possunt, *cap. Non minùs 4. hoc tit.* *Secundò* quicunque collectantes Ecclesias, vel Clericos ipsô factô incurrunt Excommunicationem, *cap. Clericis 3. hoc tit.*

TITULUS L.

Nè Clerici, vel Monachi, sæcularibus negotiis se immisceant.

CAP. UNICUM.

Quæ ministeria, & Officia sæcularia sint prohibita Clericis.

1. NOta primò: *Superiori tit.* ostendit Papa Immunitatem triplicem Clericis concessam à Sacris Canonibus; nunc isto *ultimo tit.* hujus tertii libri in medium affert illa opera, quæ dedecent statum tam insignem, Immunitate Ecclesiasticâ munitum, eáque prohibet; & sunt varia: Unde

2. Nota secundò: *primò* itaque prohibet *cap. 1. hoc tit.* nè Clerici, vel Monachi munera injusta accipiant; vel etiam dent: nec pro aliquo sæculari quæstu pretio aliquem conducant: contentiones, lites, vel rixas non ament: in plateis cũ sæcularib⁹ non disputent, exceptâ defensione Orphanorum, aut Viduarum: conductores sæcularium rerum, aut procuratores non sint; nec turpis verbi, vel facti joculatores,

res, vel alearum lusores; nec gulæ, & ebrietatis sectatores; nec pondera injusta, vel mensuras habentes; nec negotium injustum exercentes, &c. *Secundo* prohibet iisdem *cap. 2.* nè sint laicorum ministri, vel procuratores. *Tertiò* vetat *cap. 3.* nè Religiosi profiteantur Leges; vel Physicam, id est Medicinam; & qui egressi ex claustris ejusmodi professuras exercuerint, & intra spatium duorum mensium non redierint, excommunicandi sunt.

3. Nota tertiò: præterea *quartò* inhibet *cap. 4. hoc tit.* nè Clerici, vel Monachi assumant, vel exerceant procurationes villarum, aut jurisdictiones sæculares sub aliquibus Principibus, seu judiciis præsint; sub pœna depositionis ab officio; aut graviori, si Religiosus sit: cùm hoc (inquit *cit. capitulum*) sit contra doctrinam Apostoli dicentis, *nemo militans DEO, implicat se sæcularibus negotiis. Quintò* iisdem interdicit Papa *cap. 5. hoc tit.* exercere judicium sanguinis; sub eadem pœna. *Sextò* similiter *cap. 6. hoc tit.* prohibet ipsis omnes negotiationes lucri causâ; & hoc sub interminatione anathematis. *Septimò* etiam vetat Papa *cap. 8. hoc tit.* Clericis, & monachis practicare munus Tabellionis, seu Notarii. *Octavò* per alios canones inhibentur ipsis generaliter omnia illa opera, & officia, quæ avocant à contemplatione, & spiritualis vitæ instituto, cui mancipati sunt, *can. duo sunt, caus. 12. q. 1.*

4. Nota quartò: Religiosi habitum Religionis malitiosè dimittentes in scholis, vel alibi, incidunt in pœnam excommunicationis ipsô factô, *cap. 6. hoc tit.* Eandem incurrunt accedentes ad studia sinè Prælati licentia, *cap. 2. hoc tit. in 6.* Monachi sæculariter viventes, & alios suô exemplô corrumpentes, ad Observantiam Regularem compelli debent. Quòd si tales ausu temerario restiterint, illis ejectis alii inducendi sunt in Monasteria dictorum Religiosorum, *cap. 7. hoc tit.*

Finit Liber III. Decretalium; quem humiliter submitto emendationi S. Matris Ecclesiæ.



LIBER

LIBER IV. DECRETALIUM D. GREGORII PAPÆ IX.

PRÆNOTATIO.

TErminatò Librò III. Decretalium, tractante de Clericis Sæcularibus, & Regularibus, ac de rebus, quæ Ecclesiasticis, & Laicis sunt communes; Summus Pontifex congruo ordine proponit Librum hunc IV. Decretalium, qui tractat de iis, quæ propriè spectant ad Statum solorum Laicorum, & pertinent ad forum, ac judicium Ecclesiæ; cujusmodi sunt Sponsalia, Matrimonia, aliáque ipsis cohærentia, cap. accedens, de procurat: de his ergo sit

TITULUS I.

De Sponsalibus; & Matrimoniis.

CAP. I.

De Quidditate; Divisione; Requisitis; Obligatione; & Effectu Sponsalium.

1. NOta primò: Quia Sponsalia sunt quædam Matrimonii inchoatio, vel præcedens dispositio ipsius vinculi matrimonialis; ideò eorum tractatum cum Papa præmitto in *sequentibus Capitulis*. Derivatur autem hæc vox *Sponsalia* teste Ulpiano *à spondendo L. 2. ff. de Sponsal.* eò quòd in more positum esset apud veteres, ut parentes, vel tutores, vel amici puellam viro sponderent, stipularentur, seu promitterent in Uxorem; unde & puella sic stipulata dicebatur *Sponsa*, & vir *Sponsus, cit. L. 2. & 3. ff. eod.*

2. Dico primò: rectè describuntur Sponsalia; quòd *sint futurarum nuptiarum mutua promissio*. Ita constat ex L. 1. *ff. de Sponsal.* Et *can. nostrates, caus. 30. q. 5.* Ly *promissio* est genus; reliqua ponuntur pro differentia.

3. Nota secundò: Sponsalia dividuntur *primò* in ea, quæ sunt de futuro; & in ea, quæ sunt de præsenti. *Sponsalia de futuro* (quæ propriè Sponsalia dicuntur *cap. 2. hoc tit.* & de quibus potissimè hisce Capitulis primis agitur) sunt illa, quæ in mox præmissa conclus. sunt descripta. *Sponsalia de præsenti* sunt mutuus consensus maris, & fœminæ in matrimonium; seu sunt ipsum matrimonium, contractum quidem, sed necdum consummatum, can.

can. desponsatam, caus. 27. q. 2. Et *cap. 9. & 15.* ac aliis, *hoc tit.* Tale Matrimonium, & Sponsalia fuêre inter D. Virginem MARIAM, & Joseph, Matth. *1. cap.* expressa illis verbis; *cùm esset desponsata MARIA Mater JESU Joseph.* Et sub hac acceptione etiam D. Virgo vocatur Sponsa Josephi; & D. Josephus dicitur Sponsus Virginis. *Secundò* dividuntur in pura; & conditionata. *Prima* fiunt sinè conditione. *Secunda* cum adjuncta aliqua conditione, v. g. accipio te uxorem, si habeas tantam dotem. De his ex professo infrà *tit. 5.*

4. Nota tertiò: ut subsistant Sponsalia propriè dicta, seu de futuro, necessariò requiruntur varia. *Primò*, ut sint liberè facta, & cum sufficienti deliberatione; utì habet communis DD. Ratio est; quia Sponsalia ordinantur ad Matrimonium: ergo sicut Matrimonium necessariò requiritur, ut sit liberum, & cum sufficienti deliberatione factum; ita etiam Sponsalia. Præterea Sponsalia obligant sub peccato mortali: adeóque debent esse actus liber, & cum sufficienti deliberatione elicitus. Ex hoc sequitur, filiós, & filias non posse à Parentibus, curatoribus, vel amicis, cogi ad Sponsalia: & si cogantur, sunt eô ipsô invalida: neque possunt à Sponsalibus contrahendis sinè gravi causa impediri; utì habet communis DD. post D. Thomam *22. q. 140. art. 5.* Et deducitur ex *can. Sufficiat, caus. 27. qu. 2.* Et *cap. Veniens 1. de Sponsalibus.*

5. Nota quartò: Si tamen gravis causa adesset, possent licitè liberi à Parentibus impediri à contrahendis Sponsalibus; etiam implorata Judicis authoritate; v. g. Si Filius cogitet contrahere cum Sponsa multùm dispari in conditione, ex quo Familiæ dedecus, scandalum, discordiæ, capitales inimicitiæ, & similia incommoda resultarent. Imò si Sponsalia jam essent contracta, possunt absolutè impediri, nè sequatur Matrimonium. Ratio est; quia versantur circa rem illicitam; puta Matrimonium contrahendum cum peccato; quod est læsivum charitatis, & pietatis; quare hìc locum habet Regula Juris 69. *In malis promissis fidem non expedit servare.* Et ita docent etiam Gutier. Navar. Sanch. Brugnoli, &c.

6. *Secundò* requiritur; ut sint facta cum consensu mutuo utriusque, seu respectivo, id est ultrò citróque pariente obligationem; utì habet Brugnoli, Laym. Vallens. Nam quorum unum futurum est corpus, unus debet & esse animus, *can. de nepotis, caus. 31. q. 2.* Unde est commune dictum DD. *Sponsalia non posse claudicare*; id est, non posse ex una parte esse consensum & obligationem; & non ex altera.

7. *Tertiò* requiritur, ut Sponsalia non sint merus actus internus; sed aliquô signô externô, v. g. verbis, traditione annuli, Scripturâ, &c. expressus; ita communis DD. Et Ratio est; quia Sponsalia sunt verus contractus humanus; talis autem aliquô signô externô aptô innotescere, & celebrari debet, ut unus contrahens alterum intelligat: intentio namque mente retenta nihil operatur in humanis contractibus, L. *cùm plures 60, §. locator ff. locati.* *Quartò* requiritur, ut Sponsalia non sint ficta; sed contineant veram, & seriam promissionem; utì habet Sanch. Pirh. Et fictè faciens Sponsalia peccat graviter. *Quintò* requiritur certa ætas, ita ut contrahentes intelligant, quid agant. Et hæc ætas communiter debet esse saltèm Septennium completum; utì tenet communis DD. Et habetur *cap. 3. 4. & 5. hoc tit.* Et *L. de Sponsal. 14. ff. eod.* Nec hìc suppletur ætas per malitiam; eò quòd Canones expresse exigant Septennium completum; ùt rectè contra Covarr. & Canis. observat Zoës. de singulis his requisitis plura in sequentibus titulis dicentur ex professo.

8. Dico secundò: Sponsalia obligant sub mortali ad implementum. Ita S. Thomas, Sanch. Zoës. &c. Et constat ex *cap. Ex literis, 10.* Et *cap. Requisivit 17. hoc tit.* Estque Ratio; quia Sponsalia sunt circa materiam gravem, & important contractum reciprocum; adeóque obligant sub mortali ad solemnizandum Matrimonium. Unde

9. Nota quintò: Sponsi omnibus modis admonendi, & inducendi sunt, ut fidem datã servent, *cap. Præterea 2. hoc tit.* Et Judex Ecclesiasticus resilire volentem à Sponsalibus sinè justa causa, & invitô alterô Sponsô, post canonicam admonitionem censuris Ecclesiasticis compellere potest ad servandam promissam fidem, *cit. cap. 2.* Et *cap. Ex literis 10. hoc tit.* Et quia generaliter *cap. 1. de pact.* ordinatur, *ut pacta inita suam retineant firmitatem; aut conventus, si se non cohibuerit* (id est correxerit) *Ecclesiasticam sentiat disciplinam*; quia grave est fallere fidem; nihílque fidei humanæ tam congruum est, quàm ut pacta serventur, & adimpleantur, *L. 1. ff. de pactis.* Censuræ tamen Ecclesiasticæ non illicò infligendæ sunt volenti resilire, *cit. cap. Ex literis*: Sed priùs is per alias pœnas congruentes, ut carceris, & similes, adigendus est ad implementum Sponsalium; ùt notat ex Basil. Ponc. & aliis DD. Vallensis.

10. Dico tertiò: Sponsalium de præsenti effectus est, quòd derogent Sponsalibus prioribus de futuro. Ita communis DD. Et constat ex *cap. Sicut 22, hoc tit.* Estq; Ratio; quia

quia contractus Sponsalium de præsenti, seu Matrimonii est fortioris vinculi; eò quòd contineat traditionem corporis. Imò eadem Sponsalia quando transeunt in Matrimonium per modum effectûs derogant etiam secundis Sponsalibus de præsenti, ac Matrimonio secundo, copulâ carnali consummato, *cap. pen. hoc tit.* Unde si contingeret aliquem cum duabus successivè contraxisse Sponsalia de præsenti, is adhærere debet priori Sponsæ, eámque habere uxorem, *cap. 1. hoc tit.* tametsi cum posteriori jam habuisset consuetudinem, *cap. 3. & fin. hoc tit.*

11. Nota sextò: Effectus autem Sponsalium de futuro est illa gravis obligatio implendi, & solemnizandi Matrimonium; de qua suprà *Concl. 2. & not. 5.* Unde etiam per dispositionem Juris Canonici extincta est lex quæ habetur in veteri C. *hoc tit.* vigore cujus alterutri desponsatorum, vel patri, in cujus est potestate, licuit Sponsalibus de futuro renunciare.

12. Nota septimò: Obligatio instar effectûs Sponsalia de futuro ita afficit, ut ea etsi clam, & sinè testibus, ac arrhis contracta fuissent, obligent ex justitia ad Matrimonium contrahendum; uti constat ex *can. Desponsatas 46. caus. 27. q. 2.* Et *cap. Ex literis 10. hoc tit.* Et consurgit præfata obligatio etiam in illo, qui Sponsionibus fictis Sponsalia referentibus induxit puellam ad copulam carnalem: quare eandem deinde tenetur ducere; uti habet Rodriq. Armil. Sylv. &c. contra Ledesm. Gabriel &c. Estq; Ratio; quia mulier tradendo copiam, & usum sui corporis, constituit contractum innominatum hunc; *do tibi corpus meum, eâ lege, ut tu postea me ducas in uxorem*; in similibus autem contractibus, si una pars adimplevit, etiam altera ex justitia adimplere obligatur; cùm aliàs altera pars sinè ratione damnificetur.

13. Nota tamen ultimò sequentes exceptiones ab hac generali doctrina. *Primò*; casu quo puella decepta esset malæ famæ, non tenetur eam fornicarius ducere. Ratio est; quia non ratione promissionis; quæ cùm ficta fuerit, non inducit obligationem. Nec ratione damni; quia talis fœmina nullum est passa damnum singulare: quare satisfacit solvendo pretium culpæ; si illa fœmina consueverat corpus suum locare pro mercede. *Secundò*; non tenetur eam ducere, si fornicarium decipiat promittendo, se esse Virginem; cùm reverà non sit: vel esse divitem; & tamen non est; ùt habet Regin. Ledesm. Vasq. Ratio est; quia utrobique intercessit dolus. *Tertiò*; si puella post deceptionem cum alio copulam carnalem habuerit, pariter non tenetur eam ducere. Ratio est; quia *frangenti fidem, fides frangatur eidem*, inquit Regula Juris: sed hìc fuit fracta fides: ergo &c. *Quartò*; si puella sit notabiliter impar fornicario, in nobilitate, divitiis, aut potentia; & hoc sciebat puella decepta; etiam non tenetur eam habere uxorem, Ita Vasq. Molin. Sanch. &c. Ratio est; quia copula non censetur digna tantô pretiô; & puella debebat supponere, eum deceptoriè agere: tenetur tamen fornicator eam competenter dotare. *Quintò*; non tenetur, si fornicarius timeat ex futuro Matrimonio cum tali puella rixas gravissimas, scandala, vel alia gravia damna oritura. Ratio est; quia hæc longè præponderant fidei servandæ illius contractûs Sponsalitii.

CAP. II.

De Arrhis; Solemnitate Sponsalium; déque Impedimento publicæ honestatis, ex eis resultante.

1. Nota primò: per *Arrhas* hìc intelligi id, quod quasi pignoris locô sibi tradunt Sponsi; cujusmodi sunt catenæ aureæ, annuli &c. Hujusmodi Arrhæ non tantùm Jure Civili, sed etiam Ecclesiastico intervenire possunt in contractu Sponsalium, si eas tradiderit una duntaxat pars, ipsas amittit si culpâ suâ resileat à Sponsalibus; adeóque Matrimonium non sequatur: redeunt tamen ad ipsum, si sequatur Matrimonium, L. *mulier 5. C. de Sponsal.* Quòd si utraque pars arrhas dederit, & receperit; tunc resiliens injustè & perdit suas, & acceptas restituere tenetur, si verò una pars tantùm eas tradidit, & non suâ culpâ, sed alterius partis Matrimonium non sequatur; tunc ipsa perdit arrhas receptas; & insuper tenetur duplum restituere; vel plus, si ita conventum sit in contractu Sponsalium, *L. pen. C. de Sponsal.* Dummodò resiliens sit major 25. annis, nam minor 25. annis non tenetur ampliùs, quàm accepit restituere, *cit. L. pen.* Circa pœnas

2. Nota secundò: Omnes pœnas propriè dictas, quas Sponsi adjicerent contractui Sponsalium, v. g. certam partem patrimonii in casu resilientiæ tradendam solvendam à resiliente, tam per Jus Civile, quàm per Canonicum irritas esse; uti patet ex *L. mulier 5. C. de Sponsal.* Et ex *cap. Gemma 29. hoc tit.* Circa solemnitatem Sponsalium

3. Nota tertiò: ad valorem Sponsaliorum non requiritur præsentia Parochi, aut ullius testis;

testis; sed valent etiam clandestinè contracta. Ita declaravit sæpiùs S. Congregatio. Et Tridentinum præsentiam Parochi tantùm requirit ad Matrimonium; circa verò Sponsalia nil ordinat: & meritò; quia ex clandestinis Sponsalibus non sequuntur illæ inconvenientiæ, ob quas Tridentinum annullat Matrimonium clandestinum; scilicet ad evitandum concubinatum spretô primô Matrimoniô, clandestinè contractô &c.

4. Nota quartò: Sponsalia de futuro per secutam copulam carnalem transibant secundùm Jus antiquum in Matrimonium, etiamsi præsentia Parochi non accederet, & verba de præsenti, *cap. 15. & 30. hoc tit.* Quod etiam procedit hodie in illis Regionibus, ubi Tridentini decretum, quod habetur *sess. 24. de Ref. matrim.* non est receptum. At secundùm novum Jus Tridentini *cit. loc.* in locis, ubi est receptum, hujusmodi Matrimonia clandestina non subsistunt; unde Sponsalia de futuro per subsecutam copulam non transeunt in Matrimonium; nisi per verba de præsenti, sive per expressum consensum coram Parocho, & testibus Matrimonium rursùs contrahatur: unde derogatum est in hoc *cit. Capitulo, Is qui 30. hoc tit.* Circa ultimum articulum hujus Cap.

5. Nota quintò: Impedimentum publicæ honestatis esse quandam quasi affinitatem, seu propinquitatem, invectam à Canonibus, profectam ex Sponsalibus de futuro ob publicam honestatem morum: consonum enim videtur honestati, ut propter inchoationem Matrimonii, quæ fit per Sponsalia, prohibeatur Matrimonium cum consanguineis unius Sponsi cum altero. Itaque hodie oritur ejusmodi impedimentum publicæ honestatis ex Sponsalibus de futuro validis; non verò ex invalidis, ex quacunque causa talibus; utì habet Trident. *sess. 24. cap. 3. de Ref.* Et S. Congregatio Concilii apud Joan. Gallen. & notat Pirh. &c. DD. Sed tamen Sponsalia etiam valida primum gradum consanguinitatis non excedunt, tam in linea recta, quàm transversa, ex *cit. Conc.* quare contrahens Sponsalia de futuro cum aliquo, vel aliqua, non potest deinde validum inire Matrimonium cum patre, vel matre, fratribus, vel sororibus, vel filiis Sponsi alterius, vel Sponsæ: potest autem cum aliis Consanguineis sive ascendentibus, sive descendentibus, sive collateralibus: nam hi alii omnes conjuncti sunt Sponsis ultra primum gradum, quem impedimentum hoc non excedit. Circa formam Sponsalium

6. Nota sextò: Forma Sponsalium consistit in verbis, aut signis exterioribus, quibus declaratur consensus mutuus in Matrimonium: & verba magìs apta sunt hæc, vel his similia; *promitto, quòd te in uxorem accipiam*: vel *promitto, quòd te in uxorem ducam*: vel *promitto, quòd meus maritus eris*: vel *mea uxor eris. cap. pen. hoc tit.* tolerantur & hæ formulæ: *volo tecum contrahere*: & *volo te ducere*; & *volo te habere uxorem*: & *promitto quòd te habebo uxorem*: & *ducam uxorem*, & *nullam aliam nisi te.*

CAP. III.

Ex quibus causis dissolvantur Sponsalia de futuro.

1. Dico primò: Sponsalia puberum de futuro dissolvuntur mutuô contrahentium consensu. Ita communis DD. Et habetur *cap. Præterea 2. hoc tit.* Estq; Ratio; quia alii contractus naturâ suâ solubiles mutuô consensu dissolvuntur; adeóque & contractus Sponsalium. Deinde res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur, *cap. 1. de R. I. in 6.* Et nihil tam naturale est, quàm eo genere quidquam dissolvi, quô colligatum est, *L. nihil 35. ff. eod.*

2. Dico secundò: Dissolvuntur etiam Sponsalia, si inter Sponsos aliquod impedimentum oriatur, v.g. si Sponsus carnaliter cognoverit sororem Sponsæ, aut illius consanguineam in secundo gradu. Ita communis DD. Et constat ex *cap. Cùm in tua, de Sponsal.* hoc asserente.

3. Dico tertiò: Solvuntur quoque Sponsalia per Professionem Religionis approbatæ. Ita DD. omnes. Et habetur ex *cap. 2. de Convers. Conjugat.* Estque Ratio; quia Matrimonium ratum solvitur per Professionem: adeóque & Sponsalia.

4. An verò solvantur ipsô factô per ingressum, sive susceptionem habitûs? Controversia est: saltèm ex parte ingredientis: communior autem opinio cum Sanch. Regin. Bonacin. Gutier. dicit, solvi Sponsalia, tam ex parte ingredientis; quàm in sæculo remanentis. De remanente est res certa; quia ingrediens censetur suo Juri cedere tacitè; adeóque altera pars poterit resilire. De ingrediente (intellige animo serio) etiam ostenditur; quia obligatio Sponsalium censetur facta fuisse cum hac tacita conditione: *Nisi melior status eligatur*: per ingressum autem Religionis eligitur melior. Unde Novitius semel vestitus, si postea sinè sua culpa egrediatur, secundùm *cit.* Doctores non tenetur stare contractis priùs Sponsalibus. Ratio est; quia obligatio semel extincta non reviviscit.

5. Dico

5. Dico quartò : Solvuntur etiam Sponsalia per Susceptionem Ordinis Sacri. Ita Doctores communiter. Ratio est ; quia Ordo est impedimentum dirimens Matrimonium ; adeóque & Sponsalia. Votum tamen suscipiendi Ordinem Sacrum ; utì & Votum simplex castitatis superveniens non dissolvunt Sponsalia ante contracta, juxta communiorem opinionem, quæ est Navarri, Sylv. Palud. &c. quamvis multi oppositum probabiliter etiam doceant. Ratio est ; quia in contractu Sponsaliũ nec ex natura rei ; nec ex dispositione Juris ; nec aliunde subintelligi videtur conditio ista : *Nisi voluero ducere vitam cælibem* ; *aut suscipere Sacrum Ordinem*, sicut ex dispositione Juris subintelligitur ; *Nisi voluero ingredi Religionem*. ergo &c. Prob. Ant. quia aliàs consimili fermè ratione contendi posset, subintelligi posse hanc conditionem ; *Nisi postmodum voluero à Matrimonio abstinere, & DEO liberiùs vacare*, etiam præscindendo à voto castitatis ; quod est falsum.

6. Nota primò : si Sponsalia fiant post emissum votum simplex castitatis, sunt invalida. Ratio est ; quia sunt promissiones de re illicita ; quæ proinde non obligant.

7. Dico quintò : solvuntur pariter Sponsalia per Matrimonium cum alia validè contractum ; etsi sint jurata. Ita communis Canonist : Et habetur in *cap. Scienter, de Sponsalibus*. Et *cap. Sicut ex Literis. ibid.* si tamen aliud Matrimonium sit invalidum, videtur manere obligatio ad priora Sponsalia. Ratio est ; *quia ex sua iniquitate non videtur quis reportare commodum.* secundùm Reg. Jur. Pars tamen innocens tunc liberabitur. Ratio est ; quia alter tentando aliud Matrimonium, fregit fidem ; & ideò tacitè Juri suo cessisse videtur.

8. An autem priora Sponsalia solvantur per posteriora, cum alia contracta, cum qua habuit copulam carnalem ; variant DD. Ego judico cum Doctoribus aliquibus, non dissolvi priora ex parte fornicantis ; nisi prima Sponsa renunciaverit suo juri : non enim videtur copula cum altera Sponsa habere vim evacuandi jus primæ Sponsæ, & obligationem Sponsi : *Cùm nemo ex iniquitate sua commodum debeat reportare* : quare pars fornicans compelli potest ad nuptias.

9. Dico sextò : si Sponsa fornicetur post Sponsalia etiam jurata potest Sponsus resilire. Ita omnes Canon. Et constat ex *cap. Quemadmodum, de Jurejurando*. Et quia Sponsus ideò promisit Matrimonium, ut Sponsa fidem servet. Idem dic de Sponsa, quando fornicatur Sponsus. Similiter si Sponsa vi opprimatur, & defloretur, Sponsus resilire potest à Sponsalibus. Ita Covar. Henriq. Con. &c. Et patet ex *can. Raptor, 27. q. 2.* junctâ Glossâ, verbo *Poterit*. Et est Ratio ; quia etsi non peccet Sponsa ; in æstimatione tamen humana fit notabiliter vilior : propter quod etiam secundùm Sanch. Gutier. &c. non datur compensatio delictorum ; si Sponsus, & Sponsa post Sponsalia fornicentur : etsi enim quoad fractionem fidei facta sit quædam compensatio ; non tamen quoad vilitatem notabilem ; quæ specialiter oritur in Sponsa ; ex cujus parte proinde supervenit notabilis mutatio, ratione cujus solus Sponsus potest resilire. Imò putant plures Authores, Sponsum posse resilire, si Sponsa permittat se turpiter tangi tantùm ab alio frequenter ; si autem id permittat Sponsus, non ideò potest resilire Sponsa ; cùm in Sponso non censeatur esse notabilior vilitas.

10. Dico septimò : si fornicata sit Sponsa ante contracta Sponsalia, & hoc scivit Sponsus, non potest resilire ; potest tamen, si non scivit ; & noluisset contrahere, si hoc scivisset ante. Ita Sanch. cum aliis DD. Ratio primi est ; quia scienti, & acceptanti vilem Sponsam, non fit injuria. Ratio secundi ; quia corrupta Sponsa censetur notabiliter vilior ; & consequenter non ducibilis, si sciretur à Sponso. Secùs est de Sponso, qui etsi subinde priùs fornicatus fuerit ; non ideò poterit Sponsa resilire. Ratio est ; quia fornicatio reddit Sponsam tantùm viliorem ; non autem Sponsum. Deinde Sponsus ducens fornicariam, fit bigamus, & ineptus ad Sacros Ordines suscipiendos ; quod est magnum præjudicium. Quod si tamen Sponsus fuisset Scortator, & frequens nimis in fornicando ante Sponsalia ; item si habuisset prolem ex fornicatione, potest Sponsa post Sponsalia resilire. Ita Herincx, &c. DD.

11. Dico octavò : etiam propter fornicationem Spiritualem dissolvi possunt Sponsalia ; puta propter Apostasiam, vel Hæresim. Ita Sanch. Regin. &c. Ratio est ; quia fornicatio spiritualis etiam censetur notabilis fœditas, & mutatio, dans causam resiliendi sufficientem.

12. Dico nonò : Dissolvi quoque possunt Sponsalia, quando Sponsus (idem dic de Sponsa) insciâ Sponsâ, vel non consentiente, dimissâ patriâ se transfert ad aliam Regionem, sinè animo redeundi. Ita passim Canonistæ. Et habetur *cap. de illis, de Sponsalibus*. Et est Ratio ; quia transferens censetur cedere juri suo.

13. Dico decimò : si tam Sponsus, quàm Sponsa præsentes sint ; sed unus est in mora, nè Ma-

nè Matrimonium contrahatur; tunc si Matrimonio sit præfixus certus dies, eô elapsô, innocens pars sit libera à Sponsalibus. Ita Navar. Abbas, Con. Sanch. &c. Et constat per *cap. Sicut, de Sponsalibus.* Et quia Sponsalia fuerunt conditionata.

14. Dico undecimò: Quando supervenit quæcunque gravis mutatio; vel vitium, contractatui Sponsalitio, v.g. lepra, paralysis; notabilis corporis deformitas; morum asperitas; notabilis infamia; paupertas &c. Item si Parentes Sponsæ recusent dare dotem; tunc potest altera pars meritò resilire. Ita Sylv. Abbas, Angelus, Henriqu. &c. Et patet ex *cap. Quemadmodum, de Jurejurando.* Estque Ratio; quia intentio spondentis non censetur se extendisse ad causam tam difficilem, deterrentem à Matrimonio.

15. Dico duodecimò: Dissolvi possunt etiam Sponsalia, quando ex futuro Matrimonio gravia scandala, vel mala meritò timentur; v.g. graves inimicitiæ inter Sponsos, vel consanguineos. Ratio est; quia non tenetur quis cum magno suo damno, aut proximi scandalo, stare promissis.

16. Denique est Regula generalis, & recepta apud Doctores; posse solvi Sponsalia, etiam jurata, quandocunque emergit nova causa; vel accidit mutatio; aut occurrit inconvenientia hujusmodi, quæ si ab initio fuisset, meritò, & rationabiliter homines talis statûs, & conditionis à promittendo recessissent. Ita Navar. Abbas, Sylv. Sanch. &c. Ratio est; quia promissio intelligitur facta rebus in eodem statu permanentibus.

17. Nota pro complemento hujus Cap. Si manifestè constet, sufficientem adesse causam dissolvendi Sponsalia, potest pars altera resilire propriâ authoritate, non expectatâ sententiâ Judicis: si verò dubitetur de sufficientia; requiritur sententia Judicis; ob probabile periculum injustitiæ, dum spoliatur alter in dubio jure sibi acquisito. Plura de Sponsalibus vide apud Sanchez, Coninch, Henriqu. Paludanum, Ledesmam, Sylvestrum, Navarr. Covarr. &c.

CAP. IV.

De Quidditate; Institutione, Materia, Forma, & Ministro Matrimonii.

1. NOta primò: *Matrimonium* sic dicitur, vel quia mulier nubit, ut mater fiat: vel quia partus magis onerosus, & laboriosus est matri, quàm patri. Matrimonium aliàs etiam in Jure vocatur Conjugium, Connubium, & Nuptiæ, L. *in eo jure 41. ff. de rit. nupt.* *Conjugium* appellatur à *jugo* domesticæ curæ, cui vir & mulier pariter adstringuntur, *can. Cum initiatur 5. caus. 27. q. 2.* *Connubium* verò, & *Nuptiæ* dicuntur à *nubendo*, id est velando; quia Sponsæ pudoris gratiâ caput suum obnubere solebant, antequam Sponsis traderentur, *can. nec illud, caus. 30. q. 5.*

2. Nota secundò: Matrimonium in *cap. Illud 11. de præsumpt.* describitur, quòd *sit maris, & fœminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem* (id est, cohabitationem) *retinens.* Et *Instit. de patria potest.* in principio. Verùm quia secundùm Scotum *4. dist. 26. q. un.* tria in Matrimonio distinguuntur, scilicet contractus Matrimonialis in fieri; vinculum ipsum inter Conjuges permanens; & ratio Sacramenti: ideò pono alias definitiones magis distinctas. Et

3. Dico primò: Matrimonium, ùt dicit contractum in fieri, rectè definitur, quòd *sit maris, & fœminæ mutua translatio corporum suorum pro usu perpetuo ad procreandum prolem, debitè educandam.* Ut autem dicit vinculum, quòd *sit perpetua, & indissolubilis conjunctio, orta ex consensu, eorum verbis, aliisque signis expresso.* Ut demùm dicit rationem Sacramenti, quòd *sit expressio certorum verborum. vel signorum æquivalentium, maris, & fœminæ ad se invicem significantium traditionem mutuæ potestatis corporum, ad prolem debitè procreandam, ex institutione Divina efficaciter significans gratiam, conferendam mutuò contrahentibus, ad conjunctionem mutuam animorum.* Ita in terminis Scotus *cit.* & post ipsum Scotistæ. Et Ratio est; quia hæ definitiones Matrimonii, in triplici sensu debitè & distinctè explicant acceptionem Matrimonii triplicem.

4. Nota tertiò: Triplex præterea reperiri Matrimonium; scilicet Legitimum, Ratum, & Consummatum. *Legitimum* est; quod consensu legitimo inter personas non prohibitas constitutum est. *Ratum* est; quod includit legitimum; & addit Rationem Sacramenti, per quam majorem firmitatem acquirit. *Consummatum* est; quod accedente reali corporis usu perficitur, & completur. Ita Brugn. Layman. Sanch. &c.

5. Dico secundò: Matrimonium in ratione contractûs indissolubilis fuit à DEO institutum, statim in principio mundi. Ita communis Theologorum, cum Scoto *cit.* S. Bonaventura, S. Thom. &c. contra Manichæos, docentes nuptias esse à malo Deo institutas. Et patet ex Genesi, ubi hujus Institutionis legitur promul-

promulgatio, ab Adam facta *cap. 2. Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea: propter quod relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori suæ; & erunt duo in carne una:* quæ verba ponderans Tridentin. *sess. 24. cap. 1. de Reform.* ait; *Matrimonium perpetuum, indissolubilémque nexum primus humani generis parens Divini Spiritûs instinctu pronunciavit*; cùm dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, &c.* adeóque cùm Adam tantùm pronunciaverit ex inspiratione DEI Matrimonium in ratione contractûs, censetur DEUS ipse id instituisse in principio mundi.

6. Dico tertiò: Valdè conformè fuit Legi naturæ, ut Matrimonium in ratione contractûs indissolubilis institueretur. Ita Scotus *cit.* Branc. Hiq. &c. Ratio est; quia indissolubile Matrimonium valde conducit ad generis humani propagationem; ad bonam prolis educationem; & plurima inconvenientia evitanda, quæ natura abhorret.

7. Dico quartò: Matrimonium Fidelium in Lege nova est propriè dictum Sacramentum, à Christo institutum. Ita Scholastici omnes; contra Hæreticos modernos. Et constat primò ex definitione Concilii Braccarensis I. *Can. 11.* Item Tolet. I. *in Confessione Fidei.* Et Florentin. ac Tridentin. *sess. 24.* dicente; *Cùm igitur Matrimonium in Lege Evangelica veteribus connubiis, per Christum gratiâ præstet, meritò inter Novæ Legis Sacramenta annumerandum Sancti Patres, Concilia, & universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt.* Patet secundò; quia, ùt inquit Scotus, Christus *Matth. 19.* Matrimonium, quod priùs erat contractus nudus, evexit ad rationem Sacramenti, dum dixit; *Quod DEUS conjunxit, homo non separet.* Tertiò, idem habetur in SS. Patribus; maximè S. Augustino *lib. de fide, & operibus, cap. 7.* dicente; *In Ecclesia nuptiarum non solùm vinculum; verùm etiam Sacramentum ita commendatur; ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere.* Videatur etiam S. Ambrosius *lib. 1. de Abraham, cap. 7.* Cyrillus Alexandrinus &c. Quartò etiam Ratio est; quia valdè congruum fuit, ut saltèm pro Lege gratiæ, sicuti cætera Christi juga suavia sunt, & lævia; ita & hoc tam firmum, & indissolubile jugum leve redderetur à Christo, per superadditionem virtutis, & efficaciæ Sacramentalis, causando in ritè suscipientibus gratiam sanctificantem; per quam & Conjuges firmiùs inter se animô, & corpore unirentur; & officium propagandæ, atque ad cultum DEI educandæ prolis sanctiùs exercerent, ac remedium ingenitæ concupiscentiæ convenientiùs consequerentur; maximè ex quo Christus ipse repudium uxorum, quod antiquis fuit levamen, sustulit.

8. Dico quintò: Materia Matrimonii sunt corpora Conjugum contrahentium, mutuò tradenda; Forma est consensus, legitimè & sensibiliter ab eis expressus. Ita Antoninus, Palud. Covar. &c. DD. Ratio est: quia Materia & Forma hujus Sacramenti est eadem, quæ est Materia Contractûs; Christus enim contractui in natura sua invariato, solùm addidit dignitatem Sacramenti: sed contractûs Matrimonialis Materia sunt corpora contrahentium; & Forma est consensus, sensibiliter expressus: ergo &c. Quia tamen corpora contrahentium sunt contractui extrinseca, instar objecti, & materiæ circa quam; idcircò non sunt Materia intrinseca Sacramento, & essentialis, seu *ex qua*; quæ propriè hìc non debet dari; sicut neque in aliis contractibus datur Materia *ex qua*; sed tantùm *circa quam*; v. g. in venditione equi, equus est Materia tantùm *circa quam* versatur contractus.

9. Dico sextò; Minister essentialis hujus Sacramenti non est Sacerdos; sed sunt ipsi contrahentes. Ita communis Doctorum apud Bellarm. *lib. 1. de Matrimonio cap. 6.* Sotum, &c. Ratio est primò; quia Minister Matrimonii est, qui verborum Formam profert, quibus Sacramentum perficitur; sed verba quibus hoc Sacramentum perficitur, Conjuges contrahentes proferunt, sive immediatè, sive mediatè per Procuratorem, vel Epistolam; ergo &c. Ratio est secundò: quia ante Tridentinum Matrimonium clandestinum, id est quod sinè præsentia Sacerdotis celebratur, erat verum Matrimonium & Sacramentum, quod tribus perficitur, Materiâ scilicet, Formâ, & Ministrô. Itaque Sacerdos non est Minister essentialis, sed tantùm accidentalis; quatenus ex officio jungit, & benedicit Conjuges contrahentes. Unde dicunt Theologi Sacerdotem in mortali assistentem Matrimonio non peccare; eò quòd non ministret essentialiter, nec conficiat Sacramentum. Ita Sanch. *lib. 2. disp. 6.* Gutier: Henriqu: &c. DD.

CAP. V.

De Consensu, tum Contrahentium, tum Parentum circa Matrimonium; & de Celebratione ejus per Procuratorem, vel Epistolas.

1. Dico primò: Ut Matrimonium debitum sortiatur valorem, omnino est necessarius mutuus liber Consensus contrahentium, per verba, vel signa alia æquivalentia, de præsenti expressus. Ita communis Canonistarum, & Theolog. Et Ratio est; quia Matrimonium est contractus, & mutua traditio, atque acceptatio corporum contrahentium: adeóque utrobique est necessarius mutuus consensus, sinè quo præfata non subsistunt. Et ex Matrimonio resultat continua vitæ Societas; mutua Conjugum charitas; indissolubilitas; aliavé onera Matrimonii, quæ postulare videntur liberum, & mutuum Conjugum Consensum.

2. Dico secundò: Debitum Matrimonii valorem facit etiam solus Consensus Conjugum, sinè assensu Parentum, vel Curatorum. Ita DD. Catholici; contra Lutherum, ejúsque sequaces. Et constat ex Tridentino *sess. 24. cap. 1. de Reform.* anathematizante eos, *qui falsò affirmant, Matrimonium à Filiisfamilias sine consensu Parentum contracta esse irrita; & parentes ea rata, vel irrita facere posse.* Item per *can. Sufficiat, caus. 27. q. 2.* ubi dicitur; *Sufficiat secundùm Leges eorum Consensus, de quorum conjunctionibus agitur.* Et accedit Exemplum Sacræ Scripturæ, in qua legitur Tobias ex Consilio Angeli, sinè Parentum scitu, & assensu, legitimum contraxisse Matrimonium.

3. Nota tamen primò: Quòd celebraturi Matrimonium, Parentum, & Curatorum Consensum (quantum fieri potest) requirere, & obtinere debeant ex quadam congruentia, reverentia, & honestate; ùt passim docent Doctores. Ab hoc tamen excusat causa justa; puta si Parentes, aut Curatores molesto, vel difficili nimìs Matrimonio eos vellent copulare.

4. Nota secundò: Quòd certæ pœnæ Contrahentium in quibusdam Regnis statutæ, & ordinantes posse exhæreditari contrahentes sinè Consensu Parentum, & Curatorum, secundùm Sanch. & alios DD. nullum habent valorem ampliùs in foro Ecclesiastico: quia Jus Canonicum potiùs favet libertati Matrimonii; jubétque causas, & leges Matrimoniales spectare ad Ecclesiam; & non ad forum Laicale; per *cap. Tuam, de Ordine cogn.* & Trident. *sess. 24. Cap. 20.*

5. Si objiciatur contra hoc; Ex Jure Canonico *can. Aliter, caus. 30. quæst. 5.* dicens; *Aliter legitimum non fit Conjugium; nisi ab his, qui super fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, uxor petatur, & à parentibus, & propinquioribus sponsetur.* Respondeo glossando Jus, & dicendo; per ly *non legitimum* hìc non intelligi idem, quòd contra leges rigorosas; quasi invalidum, vel nullum sit Matrimonium: sed quòd non sit solemne, decens, & honestum, sicut de lege congruentiæ deberet esse. Et hic sensus colligitur ex contextu ipsius *can. Aliter &c.* ubi eodem tenore requirit, ut Sponsi biduò Orationi vacent; & ut Sponsa à Paranymphis custodiatur, ac similes conditiones; quibus tamen omissis Matrimonium est validum, & legitimum.

6. Dico tertiò: Consensus merè internus ipsorùm Conjugum non sufficit; sed debet esse exteriùs expressus. Et Ratio est; Tum quia ratio contractûs humani, & mutuæ traditionis, atque acceptationis hujusmodi Consensum exteriùs expressum postulat. Tum, quia ipsa ratio Sacramenti hoc exigit, cujus pars essentialis est sensibilis expressio interni consensûs. Et perpetuus Ecclesiæ usus fuit, ut sensibilibus signis celebrentur Consensus Matrimoniales.

7. Nota tertiò: Præfatam expressionem Consensûs non debere necessariò fieri verbis; sed sufficere etiam nutus, & alia signa, v. g. seria capitis ad interrogationem de traditione, & acceptatione inclinatio, manûs porrectio ad factam petitionem; item secundùm praxim aliquorum locorum, impositio, & acceptatio annuli, in digito: idem est, si parentes exprimant Consensum nomine prolium præsentium, & non contradicentium, *cap. un. de Sponsalibus impub. in 6.*

8. Dico quartò: Potest etiam per Epistolam inter absentes fieri contractus Matrimonii. Ita communiter DD. Et constat ex *L. Mulierem, ff. de ritu nuptiarum.* Usitatiùs tamen defactò in Ecclesia fit per Procuratorem; & quidem validissimè; prout dicitur *cap. finali, de Procurator.* Ut autem servetur forma Tridentini præscripta, ubi est Tridentinum receptum, deberet fieri, ut Procurator Consensû sui principalis, ejusdem nomine exprimeret, coram Parocho, & testibus.

9. Dico quintò: Potest hujusmodi Procurator esse tam masculus, quàm fœmina. Est communis DD. Et Ratio est; quia Jura hìc neutrum prohibent. Tale Matrimonium per Pro-

procuratorem factum, omnino est verum Sacramentum; ùt habet Con. Sylv. Henriq. Sanchi: quia adsunt omnia essentialia Sacramenti; nec requiritur præsentia eorum, quibus ministratur, ficut in baptismate, & aliis Sacramentis; cùm hoc Sacramentum celebretur per modum contractûs, qui fieri potest etiam inter absentes.

10 Nota quartò: Verba adhibenda à Procuratore, quando contrahit nomine alterius, debent esse ista, vel æquivalentia; *Recipio te in uxorem nomine Cæsaris*; vel ista; *Cæsar accipit te in uxorem me mediante.* Similiter fœmina debet respondere; *Ego te mediante duco Cæsarem.* Ita Covar. Sanch. &c.

11. Dico sextò: Procurator non peccat mortaliter, contrahendo Matrimonium nomine alterius in peccato mortali. Ita Brugnoli, &c. DD. Ratio est; quia non pertinet ad ipsum ex Officio ministrare hujusmodi Sacramentum: nec est Minister consecratus ad hoc munus. Contrahentes tamen peccarent, si in mortali essent, quia ponerent obicem gratiæ Sacramentali recipiendæ. Ita Rebellus, Con. Gutier. Unde absentes etiam tenentur esse in gratia eô tempore, quô probabiliter putant Procuratorem contracturum: tunc enim recipiunt Sacramentum, sive dormiant, sive vigilent; imò etsi essent tunc amentes. Ita *cit.* AA.

CAP. VI.

De Matrimonio coacto; simulato; déque Indissolubilitate Matrimonii; & Polygamia.

1. Nota primò: Matrimonium propriè *coactum* dici illud, quod celebratum est ob gravem metum, id est, cadentem etiam in constantem virum, injustè incussum, ad finem Matrimonii; ùt passim docent Doctores.

2. Dico primò: Coactio, violentia, & vis gravis injusta ponunt impedimentum dirimens Matrimonii; unde Matrimonium coactum, seu conclusum ob metum gravem injustè incussum, est irritum, & nullum. Ita Canonistæ & D. Thomas, S. Bonaventura, Richar, Palud. &c. Et constat ex *cap. Cùm locum.* Et *cap. Veniens.* Et *cap. Consultationi, de Sponsalibus; & alibi.* Dixi in conclusione, *ob metum gravem*; quia Matrimonium celebratum cum incussione metûs levis subsistit; talis enim non censetur libertatem contrahentis adimere, unde & in *cap. Cùm Dilectus, de his, quæ vi.* Et in *L. nec timorem, ff. de eo, quod metûs causa,* levis timor non æstimatur in hoc, & quovis alio contractu, etiam in professione Religionis, levi metu causata; ùt habet Sanch. Laym. &c. Dixi etiam *injustè incussum*; si enim justô titulô incutiatur à Judice, vel à Lege v. g. Defloratori Virginis, ut cum ea copuletur, Matrimonium validum censetur; utì habetur in *cap. Ex literis, de Sponsalibus.* Dixi *ad finem Matrimonii*; quia metus, etiam gravis, incussus ex alia causa justa, vel injusta, non invalidat Matrimonium etiam occasione istius metûs contractum. Et est Ratio; quia non censetur quis tunc ab alio compelli ad Matrimonium; sed ipsemet eligit hoc medium ad se liberandum.

3. Hinc sequitur *primò*: Validum esse Matrimonium cum Filia Judicis, celebratum à Petro, detruso in carcerem ob deflorationem Petronillæ. Quia etsi metus carceris gravis sit, & invalidet alios contractus incarcerati, per *L. Qui in carcere, ff. de eo, qui metûs caus.* Quia tamen metus ille Petro non incutitur causâ extorquendi Matrimonium; ideò Matrimonium subsistit. *Secundò*: Si Rex obsidione gravi pressus Filiam alteri obsidenti Regi in Conjugem offerat, eô fine, ut pax sequatur; Matrimonium habebit debitum valorem. Excipe nisi Rex obsidens ad extorquendum Matrimonium, castra plantâsset ante urbem. *Tertiò*: Si genitor deprehendat Plautum in actuali concubitu cum filia, eúmque gladiô velit transfodere; Plautus autem spontaneè offerat Matrimonium cum illa filia violata, ut mortem evitet; validum contraheretur Matrimonium. *Quartò*: si quispiam mortaliter ægrotus, promittat Medico, se ducturum ejus filiam in uxorem, si medicamentum curativum præbuerit, & re ipsâ de præsenti contrahat Matrimonium; validè contrahit.

4. Dico secundò: Matrimonium contractum cum solo metu reverentiali Patris, Matris, vel Curatoris &c. manet validum. Ita Sanch. Con. Less. Abbas, in *caput cùm virum n. 8. de Regular.* contra Navar. Rodriq. &c. Ratio est; quia talis metus non tollit libertatem ad Matrimonium requisitam, esto ipsam aliqualiter minuat.

5. Nota tamen secundò: Hujusmodi metum etiam irritare Matrimonium, si ei sint conjunctæ minæ Patris, vel Matris, vel sævitia: Item si timeatur gravis, & diuturna indignatio Patris,

Patris, vel Matris, vel alterius Personæ, à qua contrahentis vita, & fortunæ pendent; ùt habet Abbas, Ledesm. Leff. Sanch. &c.

6. Dico tertiò: Solæ preces importunæ, ac sæpiùs repetitæ, non sufficiunt ad invalidandum Matrimonium. Ita Brugn. Laym. & alii DD. Ratio est; quia hæ preces non censentur incutere metum injustum, cadentem in constantem virum.

7. Dico quartò: si autem cum importunis precibus juncta sit reverentia personæ rogantis; v. g. si Princeps apud Tulliam intercedat pro Scipione, ut eum sibi in Maritum assumat, vel hoc jubeat; tunc redditur invalidum Matrimonium. Ita Sanch. Laym. Brugnoli, Leff. Conink &c. Ratio est; quia duæ hìc concurrunt impulsiones, hominis scilicet Authoritas, & precum importunitas; quæ duo libertatem adimere censentur. Circa *simulatum* Matrimonium

8. Dico quintò: Quando intercedit ex partè unius, actu contrahentis, simulatio animi, Matrimonium est nullum. Ita Laym. Brugn. Sanch. &c. Ratio est; quia nisi adsit verus consensus, non oritur valor in Matrimonio, *can. sufficiat, caus. 27. q. 2.* Et *cap. Cùm locum, de Sponsalibus.* at ubi est simulatio animi, non est verus consensus; & consequenter nullum Matrimonium.

9. Nota tertiò: Quòd taliter simulans gravis peccati tam Sacrilegii, quàm injustitiæ reatum contrahat; ùt docent Theologi communiter; cùm & irreverentiam Sacramento, & injuriam alteri parti, bonâ fide contrahenti inferat; unde obligatus manet ad hoc compensandum per verum consensum in Matrimonium; ùt dicit Brugnoli, & Laym. Nisi mulier decepta à simulatore, falsò se jactâsset Virginem; si enim Virgo non fuerit reperta, *Deceptio deceptione tollitur, ac mutuò compensatur.* Vel nisi ex tali Matrimonio infelices exitus succrescerent; puta rixæ inter cognatos, & uxorem, & alia scandala: vel nisi simulator esset altioris familiæ; dummodò spe Matrimonii, copula non intercesserit: vel tandem, nisi simulator aliud postea Matrimonium verô consensu contraxerit; quibus omnibus casibus secundùm Ledesm. Sylv. Henriqu. &c. compensatio non potest aliter fieri, nisi per verum consensum novum in Matrimonium cum decepta.

10. Dico sextò: Una pars contrahentium non tenetur alteri credere, etiam juranti, se cum simulatione animi iniisse Matrimonium. Ita Laym. Brugn. &c. Et constat juxta *L. Generaliter C. de numerata pecunia;* ubi dicitur *Nimis indignum est, ut, quod suâ quisque voce dilucidè protestatus est, id propriò valeat testimoniò confirmare;* & quia præsumi debet idem fuisse in corde, quod in ore; juxta, L. *Dabis ff. de suppel. leg.* ubi dicitur; *Non arbitror quemquam dicere, quòd non sit:* adeóque non tenetur altera pars, etiam juratoriè alleganti deceptionem, & simulatum animum credere, quousque dilucida indicia suæ deceptionis exhibeat coram Judice Ecclesiastico. Circa indissolubilitatem Matrimonii

11. Dico septimò: Matrimonium consummatum Jure Divinô est ita indissolubile, ut in nullo casu, præterquam tribus infrà specificandis quoad vinculum possit dissolvi. Ita Catholici Doctores. Et primò hoc constat ex Conciliis Generalibus, statuentibus graves excommunicationes contra solventes Matrimonia consummata: sic in Concilio Libert. *can. 4.* ordinatur: *Mulier, quæ ob viri adulterium alteri nupsit, non recipiatur ad communionem, nisi post mortem prioris Mariti.* Et in Canonibus Apost. *can. 47.* sinè ulla exceptione, excommunicari jubetur ille, qui uxore dimissâ, aliam ducit: Tandem novissimè Tridentinum *sess. 14. can. 5. & 7.* Conclusionem clarè definit. & *sess. 24.* in principio appositè sic dogmatizat. *Matrimonii perpetuum, indissolubilémque nexum, primus humani generis parens Divini spiritûs instinctu pronunciavit, cùm dixit: hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; quamobrem relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ; & erunt duo in carne una:* adeóque Matrimonium consummatum est indissolubile. Constat idem secundò ex illo Apostoli *1. ad Cor. 7. Mulier alligata est Legi, quanto tempore vir ejus vivit, quòd si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat.* Et illo *qui Matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, & vir uxorem non dimittat.* Constat tertiò ex SS. Patribus, signanter Aug. *lib. 2. de Adulter. Conjug. cap. 4.* dicente; *Hæc verba* (subintellige modò citata ex *Epist. 1. Cor. 7.*) *toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plena sunt; nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit; nisi prioris esse desierit, esse autem desinit uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur; licitè itaque dimittitur Conjunx ob causam fornicationis; sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit, etiam ob causam fornicationis.* Eadem verba Apostoli explanans S. Chrysost. *serm. de libello repudii* ait; *Quando igitur licebit illi secundas nuptias contrahere? tunc, ubi à catena liberata fuit, quando vir morietur solùm.*

12. Nota nunc quartò tres particulares casus,

sus, in quibus tantùm Matrimonium etiam consummatum dissolvitur. *Primus* est; si moriatur alter Conjunx; & hunc exprimunt Concilium Libert. & Apostolus citatus *1. ad Cor. 7.* Patres, ac Theologi omnes. *Secundus* est casus conversionis unius Conjugis ad fidem, altero remanente in infidelitate, & nolente ullô modô converti; quo casu post certum tempus Conjunx conversus potest celebrare licitè Matrimonium novum, dissolutô priori, etiam consummatô: circa quod tamen consulatur Papa; vel Ordinarius Loci. *Tertius* erat in veteri Lege, in qua referente *Deutern. cap. 24.* concessit DEUS Judæis libellum repudii, in certis casibus; quo secundùm DD. passim, & probabiliter Scotum in *4. d. 33.* dissolvebatur priùs Matrimonium, etiam quoad vinculum: etsi reclament aliqui Interpretes, & Theologi dicentes, per repudium non fuisse solutum Matrimonium quoad vinculum, neque unquam repudium licuisse; sed fuisse tantùm à DEO permissum, ob duritiem cordis Judæorum, tanquam minùs malum, ad evitanda majora mala. Prima tamen Doctrina est receptior, & verior.

13. Dico octavò: Matrimonium tamen ratum est dissolubile per solemnem Religiosam Professionem unius Conjugis; item per Pontificiam dispensationem. Primum est communis Theologorum apud Scotum, Covar. Sanch. Pontium &c. Secundum est Navarr. S. Antonini, Reginaldi, Conink, Bellarm. contra Herincx, & alios AA. Primum definit Tridentinum *sess. 24. can. 6.* Et deciditur sub Alexandro III. *cap. Verum*, & *cap. Ex publico*, *in Extravag.* Joannis XXII. quæ incipit *Antiqua*. Secùs est, si tantùm voveatur continentia in sæculo, etiam in manibus Episcopi: Aut si alter Conjunx suscipiat tantùm Ordinem Sacrum; ùt declarat idem Joannes XXII. *Extrav. cit.* Et ex his DD. deducunt; quòd quivis Conjugum post quodcunque etiam longum tempus, quô tamen Matrimonium non consummat, possit ingredi Religionem; quod secundùm *cap. Ex publico*, de convers. Conjug. non tenentur consummare per redditionem debiti intra bimestre. Hoc tempore si Conjunx meditans Religionis ingressum vi opprimatur ad consummandum Matrimonium, non quidem solvitur Matrimonium per Professionem; potest tamen ingredi Religionem. Ratio est; quia hìc per alterius injuriam, non debet spoliari suo Jure: & alter debet sibi imputare; quòd tunc debeat in cœlibatu permanere. Ratio secundi dicti conclusionis est; quia legimus Summos Pontifices quandoque ob bonum aliquod insigne Ecclesiæ; vel ad tollenda scandala, dispensâsse in similibus Matrimoniis ratis; sic fecit Paulus III. Martinus V. Adrianus IV. & Pius IV. teste D. Antonino *3. part. tit. 1. §. 3.* & docet Navar. Sanch. Gutier. Con. Reginald. Rebellus, &c. Ratio petitur ex suprema facultate, quam habet Summus Pontifex ad facienda ea, quæ sunt necessaria bono Regiminis Ecclesiæ. Et quia Pontifex potest dispensare in voto solemni Religionis, quod majus est; & defactò dispensatum fuit cum Nicolao Monacho dein Rege Arragoniæ: Et cum Constantia Moniali Filia Rogeri Regis Siciliæ: adeóque à fortiori in Matrimonio rato id præstare potest. Circa Polygamiam.

14. Dico nonò: bene describitur Polygamia, quòd sit *pluralitas uxorum, vel maritorum simul, vel successivè.* Ly *pluralitas* est genus: reliqua ponuntur pro differentia.

15. Dico decimò: Polygamia plurium uxorum, vel maritorum successivè post mortem prioris Conjugis non est prohibita; sed licita. Ita Catholici, contra Montanum, & Cathaphryges, appellantes secundas nuptias fornicationem. Et constat ex D. Paulo *ad Rom. 7.* Et *1. ad Cor. 7. Si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat.* Accedit communis Ecclesiæ consensus, tolerans secundas nuptias. Et doctrina S. Augustini *lib. de Bono Viduit. c. 12.* conclusionem asserentis.

16. Dico undecimò: Polygamia plurium uxorum, vel maritorum simul est omnibus Christianis Jure Divinô prohibita. Ita communis Canonistarum, & TT. Et constat ex Tridentino *sess. 24. can. 2.* Et deducitur ex illo Matth. 19. *Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur.* Et ex illo Gen. 2. *Quamobrem relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*; ubi nota, quòd *uxori* dixit; & non *uxoribus.* Estq; Ratio; quia unitas uxoris magìs congruit educationi prolis; sinceriori inter Conjuges affectui; & ut evitentur rixæ, ac discordiæ domesticæ: Unitas etiam virorum magìs prodest generationi prolis, aliísque bonis Matrimonialibus. Concessit nihilominus DEUS in Lege Veteri Polygamiam, quoad Uxores plures simul; sicut refert Vetus Testamentum de Abraham, Joseph, Davide &c. & hoc permisit DEUS, ut electus populus, & DEUM verum confitens, numerô paucus, copiosiùs multiplicaretur post diluvium; maximè quando homines amplius non attingebant tam longam annorum seriem.

TITULUS II.

De Desponsatione Impuberum.

CAP. UNICUM.

Variæ Resolutiones circa Sponsalia Impuberum; & de ætate nubentium defactò.

1. NOta primò: *Priori tit.* generico tractante de Sponsalibus, & Matrimonio in genere subnectit Papa istum specificum tractantem de Sponsalibus, & Matrimoniis impuberum in specie. Intelliguntur autem per *Impuberes* illæ personæ, quæ necdum sunt assecutæ talem corporis habitum, seu aptitudinem, ut generare possint, *cap. 3. hoc tit.* Per *Puberes* verò intelliguntur illæ personæ, quæ assecutæ sunt memoratum habitum; quod censetur fieri in fœmina anno 12. ætatis; in maribus verò anno 14. *cap. 2. hoc tit.* Dicuntur puberes à *pube*, id est à pudentia, seu pudore corporis; eò quòd hæc loca primò lanuginem ducant, *cap. 3. hoc tit.*

2. Dico primò: ut Sponsalia Impuberum valida sint, requiritur septennium completum in utroque Sponso. Ita communis DD. Et habetur *cap. 4. & 5. hoc tit.* Estque Ratio; quia ad ejusmodi contractum requiritur usus rationis, & aliqua prudentia, ac consequenter ætas septennis, in qua usus rationis & aliqualis prudentia post transactam infantiam advenire solet, *L. in Sponsalibus 14. ff. de Sponsal.* Quòd si tamen unus Sponsorum finitô septenniô necdum esset assecutus usum rationis; Sponsalia evadunt invalida, *cit. L. 14.*

3. Nota secundò: si duo infantes inter se, vel unus major septenniô, alter verò minor, Sponsalia contrahant ipsi, vel eorum locô parentes; ejusmodi Sponsalia sunt invalida, nec tractu temporis post expletum septennium convalescunt; nisi appareat liquidò ex verbis, vel signis eorum (puta si Sponsos se nominent, vel ut Sponsos osculentur, vel aliter Sponsalia ratificent; utì notat Vallens.) ipsos post septennium in eadem voluntate perdurare; utì dicitur *cap. Si infantes 6. hoc tit.*

4. Nota tertiò: Si ambo impuberes contrahant Sponsalia, neuter potest resilire ante pubertatem; post pubertatem verò uterque potest, utì habetur *cap. De illis 7. hoc tit.* Ratio etiam primi est; quia meritò hoc statutum est, nè propter ætatis inconstantiam sæpius contrahant, & iterum rescindant Sponsalia. Ratio secundi est; quia impuberes non omnino intelligunt quid agant; adeóque adeptâ pubertate uterque eorum resilire potest. Et quidem is, qui citiùs pubertatem assequitur, non expectatâ alterâ pubertate alterius resilire potest; utì habet Covar. & Zoës. sed talis qui priùs assequitur pubertatem, illico reclamare debet, nè videatur consentire in Sponsalia, *cap. 7. hoc tit.* Sufficit autem si talis reclamatio fiat intra triduum à pubertate obtenta, *arg. L. fin. C. de judic.* quia illicò dicitur fieri, quod intra triduum fit. Si contingat impuberes juramentô firmare sua Sponsalia; tunc neuter Sponsus etiam adeptâ pubertate resilire potest: utì tenet probabiliùs Gloss. Covarr. Sanch. Zoës. Et colligitur ex *cap. Ex literis 10. de Sponsal.*

5. Nota quartò; Parentes pro filiis puberibus nequeunt valida contrahere Sponsalia de futuro; nisi tales filii in Sponsalia sic contracta tacitè, vel expressè, verbô, vel factô consentiant, *cap. Tua, 1. hoc tit.* Possunt tamen pro filiis impuberibus, quorum voluntas necdum discerni potest contrahere, *cit. cap. 1.* Quamvis nulla inducatur obligatio ex parte talium filiorum adimplendi Sponsalia; quia defectu consensûs ejusmodi Sponsalia fuerunt invalida, *can. non est caus. 30. q. 2.* Unde quando in *cit. cap. 1. hoc tit.* dicitur, filium assecutâ ætate debitâ teneri adimplere Sponsalia contracta à Patre, id intelligendum est, nisi reclamaverit illicò tempore opportuno; utì notat Barbos.

6. Nota quintò: si pubes contrahat Sponsalia cum impubere, tenetur hunc expectare usque dum venerit ad annos pubertatis, *cap. De illis, 7. hoc tit.* nisi metu gravi coactus ea fecisset, *cap. Ex literis 11. eod.* nam sicut metus gravis Matrimonium dirimit; ita & Sponsalia de futuro; utì notat ex Abb. Pirhingus. Si contingat aliquam puellam impuberem desponsari, & traduci in domum Sponsi; eáque effecta pubes postulet facultatem celebrandi nuptias cum altero; non est audienda, si Sponsus prior juret, se illam carnaliter cognovisse, *cap. continebar 6. hoc tit.* Nam credendum est viro *cit. cap.* cùm pro eo stet præsumptio; nisi puella contrarium plenè probaverit. Impubes qui per verba consensum Conjugalem exprimentia contraxit Sponsalia, etsi sæpiùs conatus sit Sponsam carnaliter cognoscere, sed irrito

irrito conatu; potest nihilominus adveniente pubertate resilire à Sponsalibus; uti colligitur ex *cap. Attestationes 10. hoc tit.* Sponsalia contracta cum impubere minore septenniô, convalescunt, & inducunt justitiam publicæ honestatis, per cohabitationem mutuam post septem annos, *cap. Duo pueri 12. hoc tit.* Ratio etiam est; quia post septennium præsumitur consensus mutuus intercessisse inter Sponsos, uti notat Vivan. Pirh. &c.

7. Nota sextò: Sicut ad Sponsalia contrahenda ætas legitima est septennium completum, *cap. 4. hoc tit.* ita ad contrahendum Matrimonium legitima ætas est pubertas, sive annus 14. completus in masculis, in fœmellis 12. completus, *cap. ubi non est 2. hoc tit.* Potest tamen Episcopus dispensare ex justa causa, scilicet pro bono pacis, ut impuberes Matrimonio jungantur; uti constat ex *cap. 2. hoc tit.* Imò putat Covarr. Matrimonium ante pubertatem initum valere simpliciter; dummodo adsit exercitium generandi, & discretio rationis ad se obligandum. Valet etiam Matrimonium, quod celebratum est à pubere, qui necdum potest cum fœmina commisceri carnaliter, nec generare: cùm aliàs adsit ætas legitima. Matrimonium pariter contractum, etiam ante pubertatem, si malitia suppleat ætatem; nisi violentia intercesserit, *cap. De illis 9. hoc tit.* Censetur autem tunc malitia supplere ætatem, si ante annos pubertatis adsit aptitudo ad copulam conjugalem, & prudentia, *cap. fin. hoc tit.* id est discretio, & judicium rationis sufficiens ad cognoscendum statum conjugalem.

TITULUS III.
De Clandestina Desponsatione.

CAP. I.
De Matrimoniis Clandestinis.

1. Nota primò: continuat Papa discutere materiam de Matrimonio, & assignare Impedimenta dirimentia ejusdem; & *hoc tit.* agit de vitio clandestinæ Desponsationis, quod quandóque solet afficere quædam Matrimonia, & ex quo resultat impedimentum dirimens Matrimonii contracti. Capitur autem hic *clandestina Desponsatio*, pro ipso Matrimonio clandestino, seu clam contracto, *can. Conjunx 9. caus. 27. qu. 2.* Censetur autem clandestina Desponsatio, seu Matrimonium clandestinum esse illud, quod celebratur omissis solemnitatibus à Jure requisitis, scilicet præsentiâ proprii Parochi, testium, & denunciationum; quæ aliàs faciunt Matrimonium solemne.

2. Dico primò: clandestinæ Desponsationes, seu Matrimonia clandestina etiam Jure antiquo fuêre prohibita, & illicita; si tamen aliqua ejusmodi contra Ecclesiæ prohibitionem contracta fuissent, erant valida. Ita Sylv. S. Thomas, & communis DD. Primum constat ex *can. nullus 2.* ac aliis, *tota caus. 30. q. 5.* Estq; Ratio; quia clandestinæ Desponsationes fovebant frequentia peccata adulterii, ac alia; nam quidam viri cum una fœmina clam contrahebant, & cum alia palam, cúmque ea in perpetuo adulterio vivebant. Insuper in hujusmodi Matrimoniis clanculatibus intercesserant quandoque impedimenta dirimentia; quæ defectu publicitatis Matrimonii ignorabantur. Secundum constat ex *cap. 2. hoc tit.*

3. Dico secundò: sed Jure novo Desponsationes clandestinæ sunt irritæ, ac invalidæ: unde hodie clandestinitas ponit impedimentum dirimens Matrimonii etiam contracti. Ita communis DD. Et constat ex Trident. *sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrimonii* dicente; *qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, vel ordinarii licentia; & duobus, vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit.* Itaque Ecclesia irritavit Matrimonia clandestina ob rationes *conclus. 1.* tactas; nec tamen per hoc mutavit essentiam Sacramentorum à Christo institutorum; cùm indirectè, per accidens, & mediatè annullaverit tantùm contractum humanum, qui in Matrimonio adesse debet; quô annihilato irritum redditur & Sacramentum, quod fundatur in ejusmodi contractu.

4. Nota secundò: validæ tamen adhuc hodie sunt clandestinæ Desponsationes in illis locis celebratæ, ubi citatum Tridentini decretum vel non fuit promulgatum; vel non receptum; uti notat Zoës. Sanch. Rebell. &c. Et colligitur ex ipso Tridentino, quod *cit. loco* decernit, ut hujusmodi decretum robur non habeat in unaquaque Parochia, nisi post 30. dies à prima die publicationis in eadem Ecclesia

clesia factæ numerandos. Peccant tamen sic clandestinè contrahentes in illis locis; sicut etiam peccâssent, si ante Tridentinum clam contraxissent: cùm ex dictis *concl. 1.* clandestina Matrimonia semper fuerint prohibita & illicita.

CAP. II.

De Solemnitatibus, quibus Clandestinæ Desponsationes evacuantur.

1\. NOta primò: tres Solemnitates, utì dixi suprà, requirit Matrimonium, ut non censeatur esse clandestinum; sed solemne, scilicet præsentiam Parochi, testium, & denunciationes. De prima

2\. Dico primò: Validum est Matrimonium, sive celebretur præsente Parocho Sponsi, sive Sponsæ; si sint sub dispositione diversarum Parochiarum. Ita communis DD. Et declaravit S. Congregatio teste Rebello *lib. 2. q. 8.* Et est Ratio; quia quilibet Parochus habet potestatem administrandi Sacramenta suis ovibus.

3\. Dico secundò: Etiam extra Diœcesim, & propriam Parochiam, potest proprius Parochus suos Parochianos validè copulare; licèt à Curato Loci, ubi copulat, non obtineat facultatem. Ita Gutier. Conink, Regin. &c. Ratio est; quia Pastor potest oves suas pascere Sacramentis, ubicunque existant; cùm administratio non sit actus Jurisdictionis contentiosæ, sed gratiosæ, qui secundùm Doctores ubique potest exerceri. Ut tamen omnia licitè fiant, ordinarius salutandus esset.

4\. Dico tertiò: Validum erit Matrimonium, cui assistit Parochus proprius, etsi non sit Sacerdos; imò etsi sit suspensus, interdictus, vel excommunicatus, toleratus tamen. Ita Henriq. Ledesm. Rodriq. Sanch. Conink, *disp. 27. dub. 7.* Et Ratio est: quia assistere non censetur esse actus Jurisdictionis, vel administrationis Matrimonii; sed tantùm actus testimonii, qui à præfatis validè præstatur; Unde Tridentinum tantùm petit *verùm Parochum præsentem*, abstrahendo ab aliis modificationibus; sed Parochus necdum Sacerdos, suspensus, & interdictus, & excommunicatus toleratus, adhuc censetur esse verus Parochus, nisi aliter in sententia suspensionis exprimatur: ergo &c.

5\. Dico quartò: Matrimonio Vagorum quilibet Parochus validè propriâ authoritate assistit; non tamen licitè. Ita Sanch. Laym. &c. Ratio primi est; quia vagorum quisque censetur esse Parochus in loco, ubi pro tempore copulationis degunt; & nulla jura hujusmodi Matrimonia invalidant. Secundum constat ex Trident. *sess. 24. c. 6.* ubi Parochis *præcipit, nè Vagorum Matrimoniis intersint, nisi priùs diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delatâ, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.*

6\. Dico quintò: Invalidum est Matrimonium, celebratum coram Parocho illius loci, ad quem Sponsus, vel Sponsa aliquoties tantùm in anno, ad modicum tempus accedit, pro colligendis fructibus, vel causâ recreationis. Ita Navar. Sanch. Gutier. &c. Ratio est: quia ille Parochus non censetur esse proprius Parochus Sponsi, vel Sponsæ: cùm in ejus Parochia Sponsus, vel Sponsa principale, vel stabile per notabilem partem anni non figat domicilium.

7\. Dico sextò: Sacerdos quisque etiam Regularis, qui non est proprius Parochus, & tamen assistit Matrimonio sinè licentia proprii Parochi, vel Episcopi, incurrit ipso Jure novô Tridentini suspensionem; antiquô verò excommunicationem. Ita Canonistæ omnes. Et constat de suspensione, ex Trident. *sess. 24. c. 1.* Et de excommunicatione ex Clementina, *de Privilegiis*: quæ tamen modò putatur abolita, secundùm Rebellum, & cæteros DD. De secundâ Solemnitate *Testium*

8\. Nota secundò: Duos saltèm testes debere adesse Matrimonio solemni, & quidem ita moraliter præsentes, ut intelligant, quid agatur, ut verè testificari possint, Matrimonium utriusque consensu esse celebratum; *arg. L. 209. ff. de Verb. signif.* Quod etiam de præsentia Parochi dicendum. Item debent esse contestes, id est simul præsentes. Non est tamen necesse, ut sint rogati, vel vocati: sed sufficit, quòd adsint, & ad hoc adhibeantur, sive metu, sive dolô adducti sint: utì habet Navarr. & colligitur ex *L. 1. ff. de Testibus.* Quod etiam de præsentia Parochi sentiendum.

9\. Nota præterea tertiò: Quòd testes Matrimoniales possint esse quæcunque personæ, doli capaces, cujuscunque ætatis, & statûs, etiam impuberes, fœminæ, consanguinei, Pater, Mater, Infidelis, Excommunicatus, & similes; qui aliàs in aliis causis civilibus, & contractibus repelluntur. Ita Conink, Ledesm. Sanch. Veracrux, &c. Ratio est: quia Tridentinum nullum excipit. Deinde causa Matrimonii est favorabilis, & consequenter amplianda quoad testium adhibitionem. Circa *Denunciationes*

10\. Nota

10. Nota quartò: Eas omnino debere præmitti Matrimonio ex ordinatione Concilii Lateran. & Tridentini *cap. 1. de Reform. Matrimonii*; & quidem trinas: tribus Festis continuis, vel Dominicis sibi succedentibus, hac de causa, ut detegantur impedimenta Matrimonii, si quæ adsint. Quæ proinde denunciationes secundùm DD. sinè peccato mortali non possunt omitti à Curato, sinè habita remissione Ordinarii. Dicunt tamen bene Canonistæ, & Theologi apud Sanch. Laym. &c. has denunciationes non spectare ad substantiam Matrimonii; unde si omitterentur, etiam malitiosè, validum esset Matrimonium.

11. Nota quintò: Episcopos posse dispensare, ut nullæ præmittantur denunciationes, si Matrimonia celebrentur inter Magnates, Senes, Sponsos disparis conditionis, ob pudorem Sponsorum; & similes rationes; uti habet Conink, Rodriqu. Laym. Henriq. &c. Imò debet quandoque dispensare, si ex denunciationibus præmissis tumultus probabiliter oriretur inter consanguineos, malitiosè volentes impedire Matrimonium; aut timeretur sterilitas Sponsæ inducenda; si concubinarius, qui publicè putatur fuisse verus maritus, copulandus esset; si Matrimonia tempore Adventûs, vel Quadragesimæ sint necessariò celebranda, &c. quæ omnia Tridentinum prudenti Ordinariorum judicio relinquit.

12. Nota sextò: si periculum manifestum sit in mora, & Ordinarius non possit accedi; tunc potest Parochus Sponsos copulare sinè denunciationibus tribus, vel factâ unâ pro tribus; uti habet Sanch. Con. Rodriq. Sot. &c. Ratio est; quia potest tunc Epikeiâ uti, & declarare, hìc cessare legem denunciationum; ùt inquit Layman. hìc, & alii DD.

13. Nota septimò: duas à Jure statui pœnas ipsis clandestinis Matrimoniis. *Prima* est illegitimatio prolium, ex clandestina desponsatione progenitarum: nam quamvis aliàs filii ex invalido Matrimonio nati, quando uterque Parens, vel saltèm alter bonâ fide contraxit ignorans impedimentum, sint legitimi *cap. Ex tenore 14. qui sint filii legitimi.* Nihilominus si illud Matrimonium invalidum sit ratione clandestinæ desponsationis; tunc filii ejus occasione prodeuntes erunt illegitimi, non obstante bonâ fide parentum ignorantium tale impedimentum; uti habetur *cap. Cùm inhibitio 3. hoc tit.* *Secunda pœna* est, ut illi, qui scienter præsumpserint clandestinè contrahere intra gradus prohibitos, separentur, & spe dispensationis Apostolicæ consequendæ careant, ex Tridentino *sess. 24. cap. 5. de Reform. Matrim.* Sunt pariter ordinatæ duæ pœnæ pro facientibus Desponsationes clandestinas. *Prima* est, quòd tales redduntur inhabiles, non absolutè ad ineundum Matrimonium; sed ad sic contrahendum, id est clandestinè; uti habet Trident. *sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.* *Secunda* est arbitraria Episcopo ex *cit.* Trident. Tandem etiam Sacerdotibus illegitimè assistentibus Matrimoniis clandestinis, imponitur pœna suspensionis triennalis ab officio; vel alia etiam gravior *cap. Cùm inhibitio 3. hoc tit.*

TITULUS IV.

De Sponsa Duorum.

CAP. UNICUM.

Resolutiones variæ de Sponsalibus geminatis.

1. Nota primò: progreditur Pontifex in eadem materia matrimoniali, & *hoc tit.* adducit impedimentum dirimens Ligaminis, quod intervenit in geminatis Sponsalibus de præsenti.

2. Dico primò: Ligamen prioris Matrimonii ponit impedimentum dirimens Matrimonii; unde successivè contrahens Sponsalia per verba de præsenti cum duabus mulieribus, debet adhærere primæ. Ita communis DD. Et habetur *cap. 1. hoc tit.* Estque Ratio; quia vinculum prioris Matrimonii est indissolubile. Si verò priùs contraxerit Sponsalia tantùm de futuro cum una; & postea per verba de præsenti cum altera, debet adhærere secundæ; uti habetur *ibidem.* Et Ratio est; quia Sponsalia de futuro, per Sponsalia de præsenti, tanquam perfectius vinculum, dissolvuntur.

3. Dico secundò: Sponsalia de præsenti, seu Matrimonium prius actu contractum, seu ratum, sed non per copulam carnalem consummatum, per aliud subsequens Matrimonium

um copulâ carnali consummatum non dissolvuntur. Ita communis DD. Et habetur *cap. 3. & 5. hoc tit.* Et Ratio est; quia vi primi Matrimonii translatum est in uxorem primam dominium corporis ad petendam copulam; unde nequit vir, qui non est ampliùs dominus sui corporis, illud transferre in aliam uxorem in ordine ad eandem copulam; uti observat Fagnan.

4. Dico tertiò: lite pendente super Matrimonio, sive sit interposita appellatio, sive non, nequit celebrari aliud Matrimonium cum alia. Ita communis DD. Et habetur *cap. 4. hoc tit.* Estq; Ratio; quia si lite pendente in causa Matrimoniali primum Matrimonium pronunciaretur validum; tunc secundum Matrimonium foret adulterinum, & invalidum; ac propterea pendente lite nequit celebrari aliud Matrimonium.

TITULUS V.

De Conditionibus appositis in Desponsatione, vel in aliis Contractibus.

CAP. I.

De Conditionibus appositis in Contractibus Sponsalium, & Matrimoniorum.

1. NOta primò: *prioribus titulis* Sponsalia, & Matrimonia concernentibus rectè addit Papa hunc de Sponsalibus sub conditione factis, resolvendo varios casus circa ejusmodi, & alios conditionatos contractus. Per *Conditionem* autem intelligitur suspensio contractûs in futurum tempus, & eventum incertum, *§. sub conditione, Instit. de V. O.* explicatur plerumque per voculam, *si* v. g. *despondeo te mihi, si pater tibi dotem mille aureorum dederit.* Sponsalia ergo conditionata sunt, quæ celebrantur cum appositione alicujus conditionis per verbum *si* expressæ. Conditiones porrò aliæ sunt generales; aliæ speciales. *Generales* sunt, quæ afficiunt omnes Contractus, & ipsis tacitè insunt, licèt non exprimantur; talis est in hoc contractu; *contraho tecum Matrimonium, si vixerimus.* *Speciales* sunt, quæ certos duntaxat contractus modificant; & aliæ sunt *intrinsecæ*, quæ nimirum necessariò insunt contractui Matrimoniali, ita ut absque ipsis non subsistat; talis est in hoc Contractu Matrimoniali, *accipio te in uxorem, si non es mea coonsanguinea.* Aliæ sunt *extrinsecæ*, absque quibus potest subsistere contractus matrimonialis: talis est in hoc, *accipiam te in uxorem, si pater consenserit.* Rursùs ex his quædam sunt conditiones possibiles, & contingentes; quæ scilicet non necessariò eveniunt. Quædam impossibiles, quæ scilicet non possunt evenire unquam; talis est in hoc contractu matrimoniali; *accipiam te in uxorem, si stellas ex firmamento detraxeris*; vel *si chymeram interfeceris.* Quædam *necessariæ*; quæ scilicet infallibiliter evenient; ut in hoc contractu, *contraho tecum, si cras sol orietur.* Iterum quædam conditiones apponibiles in Desponsationibus possunt esse honestæ; quædam turpes; quædam indifferentes seu impertinentes. Et ex turpibus quædam sunt contra substantiam, & bona Matrimonii; talis esset in simili contractu, *accipio te in uxorem, si procreationem prolis evitaveris*; & in isto *despondeo te mihi, quousque venustiorem, aut locupletiorem te reperero.* Vel *si adulterata fueris.* Quædam verò ex turpibus non militant contra substantiam, & bona Matrimonii; talis esset in isto contractu, *accipio te in uxorem, si furtum feceris.* Demùm sunt etiam conditiones relatæ in tempus præsens; relatæ in præteritum; & relatæ in futurum.

2. Dico primò: Matrimonium conclusum cum addita conditione turpi, incompatibili cum ratione Matrimónii, seu ejus indissolubilitate: item incompatibili cum bono prolis, & Fidei conjugalis, est nullum. Ita Doctores communiter. Et habetur ex *cap. fin. de conditionibus appos.* dicente; *si conditiones contra substantiam Matrimonii inferantur; puta si alter dicat alteri, contraho tecum, si generationem prolis evites; vel donec inveniam digniorem; aut si pro quæstu adulterandam te tradas; Matrimonialis contractus quantumcunque sit favorabilis, caret effectu.*

3. Dico secundò: subsistit nihilominus Matrimonium, celebratum cum turpi conditione compatibili cum substantia Matrimonii; licèt illa conditio nondum sit adimpleta, vel sub conditione impossibili. Ita Less. Gutier. &c. Et habentur hujusmodi conditiones per *cap. ult. de condition. appos.* pro non adjectis; modò

modò adhuc in contrahentibus sit verus consensus: adeóque subsistit Matrimonium cum iis contractum.

4. Dico tertiò: Matrimonium modificatum conditione honestâ, ut neuter copulam Matrimonialem petat; sed in perpetua castitate vivat; vel uterque Religionem amplectatur, est validum. Ita communis DD. Et Ratio est; quia Matrimonii essentia consistit in dominio mutuo unius in alterius corpus ad usum generationis; cum tali autem dominio consistere potest obligatio non utendi corpore ad hunc finem; cùm usus distinguatur à dominio. Et hujusmodi Matrimonium celebrârunt Beatissima Virgo, & S. Joseph; ùt docet Paludanus, Rebell. Ledesm. &c.

5. Dico quartò: si apponatur in Matrimonio conditio in futurum, v. g. *contraho tecum, si dies Judicii Universalis sit futurus*, statim oritur valor in Matrimonio. Ita Perez, Sanch. Brug. Rebell. &c. Ratio est; quia Sacræ Literæ infallibiliter attestantur, diem Judicii Universalis futurum; adeóque cùm eventus ejus, per modum conditionis Matrimonio adjectus sit infallibilis, statim debet exsurgere valor Matrimonii.

6. Dico quintò: si apponantur conditiones, relatæ in præsens, vel præteritum, dicendo; *Concludo tecum Matrimonium, si es persona nobilis*; *vel si fuisti conversa nuper ad fidem*, pariter Matrimonii valor eò ipsò inducitur. Ita S. Bonav. Laym. S. Thomas &c. Et constat per L. *Cùm ad præsens, ff. de rebus creditis.* Et accedit Ratio; quia quilibet contractus ex partium contrahentium conventione voluntaria vigorem acquirit: adeóque & contractus Matrimonialis Conditionalis, si conditiones veritate nitantur.

7. Dico sextò: si conditiones appositæ ipsi contractui Matrimoniali sint relatæ in futurum, v.g. *contraho tecum, si dotem 1000. aureorum obtinueris à Genitoribus*: vel *si parentes consenserint in meum contractum Matrimonialem*: suspenditur Matrimonii validitas, usque ad conditionis eventum, & eâ adimpletâ statim validum censetur Matrimonium, sinè novo consensu. Ita Abbas, Laym. Navarr. Conink. &c. Primum constat apertè ex *cap. Super eo, de cond. apposi.* Et est Ratio; quia conditiones hujusmodi suspendunt alium contractum, cui apponuntur; juxta *cap. De illis, eod.* Et L. *si ita stipulatus, ff. de Verbor. Obligat.* adeóque & Matrimonialem. Ratio secundi est; quia quivis contractus, celebratus cum conditione honesta, relata in futurum, eâ adimpletâ purificatur, ac perficitur: sicut habetur in *L. Potior. ff. Qui potiores in pignore*: adeóque & contractus Matrimonialis.

8. Nota denique: si Plautus cum Petronilla, & Paulina, per verba de præsenti, sub conditione de futuro contraxisset, fit maritus illius, cujus conditio priùs adimpletur, utì habet Brugnoli. Ratio est; quia Sponsa, cujus conditio priùs adimpletur, censetur esse potior jure. Si verò utriusque conditio simul adimpleatur; tunc neutrum Matrimonium validum celebrare potest; utì habet Sylvester, Ledesm. Conink, &c. Et Ratio est; quia ex *cap. Literis, de Sponsalibus*, incertitudo vitiat Matrimonium.

CAP. II.

De Conditionibus appositis in aliis Contractibus.

1. NOta primò: tangit Papa in *hoc tit.* etiam quosdam alios conditionatos contractus, & ponit resolutiones canonicas super eos. Et *primò* dicit, si in fundationibus Ecclesiarum, aut Collegiorum Ecclesiasticorum, vel beneficiorum, & similium, quæ pietatis, & Divini cultûs causâ sunt instituta, adjiciatur in donatione modus, statim valet donatio; tametsi non servetur modus: neque potest agi ad revocandam donationem; sed solùm ut modus impleatur; nisi id sit cautum expressè in fundatione, *cap. Verum, 4. hoc tit.* Estque Ratio; quia modus adjectus tali donationi non est principalis causa finalis talis donationis; quippe quæ censetur facta principaliter in honorem DEI, & pro salute animæ, vel remissione peccatorum donantis. Quòd si tamen modus adjectus esset finalis principalis causa ipsius donationis; tunc rectè agitur ad revocationem ejus, quod donatum est; quamvis non esset adjecta clausula revocatoria *L. Cùm te 6. C. de pact. inter empt. & vendit.*

2. Nota secundò: præterea resolvit Papa *cap. Cùm sit 2. hoc tit.* si servus ideò manumissus sit sub conditione, ut fiat Monachus; is autem ante professionem deserat Monasterium; tunc iterum servituti subjiciendus est: si verò talis professus fuerit, deinceps cogendus est, ut in Monasterio maneat, nè voluntas manumittentis prætereatur.

TITULUS VI.

Qui Clerici, vel Voventes Matrimonium contrahere possunt.

CAP. I.

De Impedimentis Matrimonii in Genere.

1. NOta primò: *hoc, & aliquot sequentibus tit.* agit Papa de aliis impedimentis dirimentibus, ob quæ nequeunt celebrari contractus matrimoniales validi. Et inprimis *isto tit.* adducit susceptionem Ordinis Sacri; & emissionem voti solemnis continentiæ, quæ dirimunt Matrimonium, ac invalidant. Priusquam autem ad eorum specificorum examen descendam, præmittam doctrinam generalem, de Impedimentis Matrimonii. Unde

2. Nota secundò: Impedimentum Matrimonii generali sua acceptione est obex quidam Matrimonii, ritè contrahendi. Et discriminatur in dirimens; & impediens. *Dirimens* impedimentum est, quod non tantùm illicitum; sed & irritum facit Matrimonium tam contractum, quàm contrahendum. *Impediens* tantùm est, quod quidem illicitum reddit Matrimonium contrahendum; contractum tamen non invalidat. Numerum, ac Naturam utriusque sequentibus explanabo. Unde

3. Dico primò: In Ecclesia Catholica est potestas statuendi quædam Impedimenta Matrimonii, tam dirimentia, quàm impedientia tantùm. Ita Catholici contra Hæreticos. Et sic definit S. Tridentina Synodus *sess. 24. can. 3. & 4.* Patétque ex vetusta Ecclesiæ praxi, in diversis Conciliis, & Canonibus determinante quædam Matrimonii impedimenta. Et Ratio idem suadet; quia si Principes sæculares, & Respublica certis contractibus Civilibus possunt licitè apponere quasdam conditiones, ob bonum commune; cur pariter Ecclesia non haberet potestatem apponendi contractui Matrimoniali certas conditiones, & Impedimenta, eum destruentia, aut impedientia, ob considerabilem Fidelium utilitatem? Cui Christus reliquit omnem Authoritatem, prudenter, & utiliter statuendi ea, quæ saluti Fidelium expedire judicârit.

4. Dico secundò: Summus Pontifex, Concilia Generalia, & probabiliter etiam Episcopi in sua Diœcesi, possunt introducere impedimenta Matrimonii. Ita communis TT. quoad primum, & secundum; tertium habet Bonacin. Covar. Avers. Mastrius, Sanch. contra Suar. Con. &c. Ratio primi, & secundi est; quia in praxi hactenus observatum est, diversa Generalia Concilia, & Summos Pontifices, utpotè capita Ecclesiæ, apposuisse Matrimoniis ea impedimenta, quæ hodie extant. Et Ratio idem suadet: quia in omni Republica bene instituta (qualis est Ecclesia Catholica) supremi Magistratus, & Summi Principes possunt abusus Contractuum Civilium tollere: & conditiones rectas eis apponere; adeóque & Concilia Generalia, ac Pontifices contractui Matrimoniali, cùm sint Supremi Magistratrus, & Summi Pontifices Ecclesiæ. Ratio tertii est; quia Episcopus vi Officii sui est perfectè Pastor, & Princeps in sua Diœcesi: adeóque plenam habet potestatem condendi leges in sua Diœcesi pro suis ovibus, & subditis; & consequenter statuendi impedimenta Matrimonii, si sic requirat salus subditorum.

5. Dico tertiò: Nullus purè sæcularis Princeps potest statuere impedimenta Matrimonii Fidelium. Ita Victoria, Conink, Henriqu. Mastr. & communis Canonistarum. Et Ratio est: quia Ecclesia causas Matrimoniales, eò quòd Matrimonia essent elevata à Christo ad rationem, & dignitatem Sacramenti, sibi reservavit: uti patet ex Tridentino *sess. 24. can. 3. & 4.* Et ex *cap. Tuam, de Ordin. cognit.* Et ex *tit. De consanguin. & affinitate.* Et ex perpetua Ecclesiæ praxi.

6. Dico quartò: Potest tamen Princeps, vel Magistratus fidelis, vel infidelis, statuere impedimenta Matrimonii respectu suorum subditorum Infidelium. Ita communis DD. Et Ratio est; quia Matrimonium Infidelium subditorum, sunt merus contractus humanus, carens ratione Sacramenti: adeóque circa hos possunt plenè disponere Supremi Principes, & Magistratus, sicut circa alios humanos contractus, apponendo eis impedimenta dirimentia, & prohibentia.

7. Dico quintò: Princeps Infidelis non potest statuere impedimenta Matrimonii pro suis subditis Fidelibus. Ita Caspensis Mastrius,

strius, Aversa &c. Et Ratio est; quia Matrimonia Fidelium subditorum sunt à Christo elevata ad Statum Sacramenti sublimiorem, & consequenter non censentur ampliùs comprehensa in potestate, & Lege cujusvis Principis sæcularis.

8. Dico sextò: Probabiliùs solemniter celebrantes Matrimonia cum impedimento dirimente, committunt peccatum mortale inobedientiæ, & Sacrilegii. Ita Ledesma, Mastr. Laym. &c. Et Ratio est; quia taliter solemnizantes Matrimonia abutuntur ritu, & nomine Sacramenti, cum ejus irreverentia, & injuria, & in re gravi agunt contra Jus Ecclesiasticum.

9. Nota deinde tertiò: In universum Impedimenta dirimentia, moderno Jure Tridentini esse 14. sequentibus Versibus complexa:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultûs Disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Si sit Affinis, si fortè coire nequibis.
Si Parochi & duplicis desit præsentia testis,
Raptáque sit Mulier, nec parti reddita tutæ;
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Impedimenta verò solùm impedientia, ex crimine non orta sunt numero 5. sequentibus Versibus inclusa:

Ecclesiæ Vetitum, necnon tempus Feriatum,
Atque Catechismus, Sponsalia, jungito Votum;
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Alia verò Impedimenta impedientia ex crimine orta numero 7. his Versibus communiter referuntur:

Incestus, raptus, Sponsalia, Mors Mulieris,
Susceptus propriæ Sobolis, Mors Presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem
Accipiat, prohibent hæc Conjugium sociandum.

10. Dico septimò: quando duo contrahunt cum impedimento dirimente, eô detectô debent separari, quoad cohabitationem, Ita communis Canonistarum. Et Ratio est; quia in his adest morale periculum carnalis commercii denuò practicandi, quòd ampliùs licitum non est.

11. Dico octavò: Si unus Conjugum tantùm sit conscius impedimenti lege Divina dirimentis, non potest alteri ignoranti debitũ reddere, etiam sub dispendio vitæ, famæ, & incursu excommunicationis à Judice Ecclesiastico infligendæ. Ita Sylv. Mastr. Medina, Nav. Victoria &c. Et constat ex *cap. Inquisitioni, de sent. Excom.* Et *cap. Litteras, de restitutione spoliatorum.* Et accedit Ratio; quia fornicatio nunquam est licita, etiam ad vitandam quamcunque jacturam; sed in casu Conclus. esset fornicatio; cùm nullum ibi sit Matrimonium: ergo &c.

12. Nota autem quartò: Conscium impedimenti dirimentis, cautè, & prudenter se debere gerere, ad evitanda specificata pericula, & damna; unde debet petere statim dispensationem, abstinendo interim ab omni copula carnali; & dispensatione obtentâ debet procurare consensum novum ab altera parte, nullitatem Matrimonii aliquomodo alteri parti ignaræ notificando; uti habet receptior doctrina Scoti *4. d. 35. q. 1.* Adrian. Nav. Con. Sanch. Herincx. &c. contra Cajet. Sotum, Cordubam &c. eò quòd alioquin pars ignara nullitatis, per suum novum consensum tantùm intenderet confirmare contractum, priùs factum, quem credebat esse validum, sed interim fuit invalidus, & qui quà talis non validatur per hunc approbativum tantùm consensum. Ego tamen arbitror sufficere ad convalidandum Matrimonium, si alteri parti dicatur per modum cujusdam signi amoris; *si non essem conjugatus, te acciperem in Conjugem, & ex nunc accipio*; & altera pars ignara nullitatis respondeat; *Et ego te acciperem, & modo accipio.* Hìc enim intervenit verus novus Consensus, in novum etiam Matrimonium.

13. Sed quid si conjunx ignarus nullitatis, & repetens modò dictô novum consensum esset ita dispositus, quòd si sciret nullitatem sui Matrimonii, & qualitatem impedimenti, quamvis jam sublati, nullatenus tunc contrahere vellet; sed quia nescit, ideo suum consensum repetit? Respondeo cum distinctione; si sit ita dispositus in actu secundo, habens scilicet actualiter talem voluntatem, cum tali repetito consensu Matrimonium non perficit; uti benè docet Mastrius, Aversa &c. quia hæc voluntas directè repugnat intentioni conditionatæ: si autem sit ita dispositus habitualiter tantùm, & in actu primò, Matrimonium subsistit; cùm hæc non repugnet intentioni conditionatæ.

14. Nota denique quintò: Si Matrimonium sit nulliter contractum ab initio, ob occultum impedimentum dirimens, cum assistentia tamen Parochi, & testium; potest, obtentâ dispensatione, convalidari solo novo contrahentium consensu, absque assistentia nova Parochi; ut habet Mastrius, & alii DD. Ratio est; quia satis constat de validitate talis contractûs in facie Ecclesiæ, quod Concilium Tridentinum requirit ideo, ut non oriantur incommoda diversa ex clandestinis Matrimoniis; si tamen impedimentum fuisset notum

notum factum Parocho, aut alicui ex testibus, ita ut in judicio possit probari, debet adhiberi denuò Parochus, & testes obtentâ dispensatione; aliàs erit invalidum; uti habet de Graffiis, Hurt. Cord. Ledesm. Diana &c. Ratio est; quia in tali casu non constat de validitate contractûs; sed potius de nullitate in facie Ecclesiæ; unde solemnitate à Tridentino requisitâ, puta, præsentiâ Parochi, & Testium debet revalidari: nisi Pontifex dispensans in impedimento apponat clausulam, Parochum non esse necessariò adhibendum.

CAP. II.

De Impedimentis Matrimonii in specie sacri Ordinis; & voti continentiæ.

1. DIco primò: Susceptio alicujus sacri Ordinis, puta Presbyteratûs, Diaconatûs, vel Subdiaconatûs ponit in Clerico impedimentum dirimens respectu Matrimonii postea contracti. Ita communis DD. Et habetur *cap. 1.* Et *2. hoc tit.* Et in Trident. *sess. 24. de Sacram. Matrim. can. 9.* Excipiuntur tamen à Conclusione casus sequentes. *Primò* si Clericus suscepisset sacrum Ordinem invalidè, defectu alicujus substantialiter requisiti; talis enim posset deinde contrahere validum Matrimonium; uti habet Barbos. Gutier. &c. *Secundò* similiter Clericus promotus ad sacrum Ordinem per vim illatam, vel metum cadentem in constantem virum; uti constat ex *cap. 1.* Et *cap. 6. de his, quæ vi, metúsve causâ fiunt*; Et tenet Sanch. Pirh. &c. *Tertiò* etiam Clericus suscipiens sacrum Ordinem ante pubertatem; uti tenet idem Sanch. & Pirh. &c.

2. Nota primò: Clericus post susceptionem alicujus sacri Ordinis celebrans de facto Matrimonium, efficitur irregularis; potest tamen ejusmodi irregularitatem tollere Episcopus, *cap. 1.* Dummodo cum unica, eaque Virgine contraxerit; secùs si cum vidua, aut corrupta; vel si binas nuptias celebraverit, *cap. nuper 4.* Et *cap. ult. de biga. non ordin.*

3. Dico secundò: Susceptio tamen Ordinum tantùm minorum non affert Clerico sic ordinato impedimentum dirimens respectu Matrimonii postea initi, aut ineundi. Ita Azor. Pirh. Sanch. & communis DD. Et constat ex *can. si quis 7. dist. 32.*

4. Dico tertiò: Susceptio Ordinis alicujus sacri non à Jure Divino, sed Ecclesiastico, statuta est pro impedimento dirimente Matrimonium postea initum. Ita Vallens. Sanch. Pirh. &c. DD. Et Ratio est; Tum quia Papa potest in ejusmodi impedimento dispensare; quod signum est, ipsum non esse Juris Divini. Tùm quia per Ordinem sacrum susceptum non fit totalis traditio hominis ipsi DEO; sed tantùm ad cultum DEI, & Divinum Officium; cui non repugnat Matrimonium Jure Divino; cùm per se sit licitus usus ejus, & Græcis Sacerdotibus permissus. Vide plura de hoc puncto *tom. 1. lib. 1. tit. 11. cap. 4. n. 6.*

5. Dico quartò: Susceptio alicujus Ordinis sacri non dirimit Matrimonium priùs contractum; tametsi id non fuisset consummatum per copulam carnalem. Ita Vallens. Pirh. Sanch. Et habetur *cap. Antiquæ, unic. in Extravag. XXII. de voto.* Quare si quis curaret se ordinari in Subdiaconum, vel Diaconum constante Matrimonio etiam nondum consummato, & hoc contra uxoris voluntatem, ab Episcopo est admonendus, & inducendus, ut institutum Religiosum amplexetur. Si autem hoc facere recuset, & uxor eundem repetierit, compellendus est censuris Ecclesiasticis ad consummandū Matrimonium, & reddendum uxori debitum; illud tamen exigere non valet: insuper talis suspensus est ab executione Ordinum, ac irregularis efficitur, *cit. Extravag.*

6. Dico quintò: Emissio voti solemnis Castitatis per professionem in aliquo Ordine approbato ponit pariter impedimentum dirimens respectu Matrimonii rati, & subsequentis, sed postea contracti; sed Jure Ecclesiastico tantùm. Ita communis DD. Et primum habetur *cap. 1. 2.* Et *3. hoc tit.* Et in Trident. *sess. 24. de Sacram. Matrim. can. 9.* Ratio secundi est; quia quòd ejusmodi votum solemne dirimat Matrimonium postea contractum, id habet tantùm à solemnitate superaddita; uti patet ex voto simplici castitatis, quod non dirimit Matrimonium subsequens; ut dicetur infra; solemnitas autem voti ex sola Ecclesiæ constitutione seu Ecclesiastico Jure promanat *cap. unic. de voto, in 6.* adeóque Jure Ecclesiastico tantùm emissio voti solemnis castitatis per professionem in aliquo Ordine approbato ponit impedimentum dirimens Matrimonii subsequentis.

7. Dico sextò: Emissio voti solemnis castitatis etiam per professionem duntaxat tacitam Religionis ponit impedimentum dirimens Matrimonii rati, & postea initi. Ita communis DD. Et constat ex *cap. 7.* Et *ult. hoc tit.*

8. Dico septimo: Emissio voti simplicis castitatis ponit quidem impedimentum impediens

diens licitam Matrimonii contractionem; non tamen dirimens postea contractum. Ita Zoës, Vallens. & communis DD. Primum constat ex *cap. 3.* Et *4. hoc tit.* Secundum habetur *cap. 6. eod. tit.* Circa tamen vota simplicia Professorum Societatis JESU disposuit Gregorius XIII. in quadam constitutione *Ascendente Domino*, ut tria vota simplicia dicti Ordinis, & consequenter votum simplex castitatis, dirimant Matrimonium postea contractum: sícque Jus commune quoad professos Societatis emittentes votum simplex castitatis est limitatum; utì ex Sanch. ritè observat Pirhingus.

9. Nota secundò: Occasione Capituli 5. in quo refertur casus cujusdam fœminæ sponsalia habentis cum quodam viro; sed postea emittentis votum simplex castitatis, disceptant DD. an votum simplex castitatis ponat impedimentum dirimens præcedentium sponsalium de futuro. Pro affirmativa stat Tannerus cum pluribus aliis Pro negativa & magìs fundata subscribit Sylv. Navarr. Zoës. Innoc. Sanch. &c. Et colligitur ex *cap. Veniens, hoc tit.* ubi mulieri voventi postea de fide sponsi mentita satisfactio est indicenda; quam indicere non esset necesse, si sponsalia dirimerentur per votum subsequens. Ratio etiam est; quia DEUS non acceptat votum, seu promissionem rei, priùs alteri promissæ, & in ejus præjudicium.

TITULUS VII.

De eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium.

CAP. I.

De impedimento criminis adulterii.

1. NOta primò: Prosequitur *hoc tit.* Pontifex discutere aliud impedimentum dirimens Matrimonii, quod vocatur impedimentum criminis. Statuitur autem in Capitulis hujus tituli duplex crimen impediens, & dirimens Matrimonium subsequens, scilicet adulterii, & homicidii qualificati; unde materia ejusdem tituli latiùs patet, quàm ipsa rubrica. Circa primum crimen adulterii.

2. Dico primò: Crimen adulterii commissi affert impedimentum dirimens Matrimonii subsequentis. Ita Glossa, Vallens. Zoës. Pirh. &c. Et habetur *cap. significavit 2.* Et *cap. Veniens 7.* Et *cap. fin. hoc tit.*

3. Nota autem secundò: Ut hoc crimen censeatur impedimentum dirimens reverà afferre, debent sequentia adfuisse. Et *primò*, debet verè intervenisse fides data adulterorum, & pactum de Matrimonio contrahendo post mortem Conjugis; aut quod contrahant actu vivente adhuc conjuge; utì constat ex *cap. fin. hoc tit.* *Secundò* ut adulterium commissum fuerit completum, & patratum durante Conjugio cum altero; quia aliàs non erit crimen perfectum, sed inchoatum tantùm, quod non meretur juxta præsentes leges hanc pœnam; & deficeret conditio, ob quam pœna præcipuè imponitur; utì patet ex *eod. cap. fin. hoc tit.* *Tertiò*, debuit fuisse verum conjugium adulteræ cum primo marito tempore adulterationis; nam putatitium conjugium non præstat impedimentum; utì colligitur ex *cap. 2. hoc tit.* *Quartò*, uterque adulter debet esse conscius adulterii, & prioris Conjugii; ut habetur *cap. 2. hoc tit.* Unde si quæ mulier errore ducta, & ignorans cum alio marito tanquam cum cœlibe adulteretur, atque contrahat, non prohibetur defunctâ uxore illius, in novum Matrimonium cum illo convenire, *cap. 1. hoc tit.* Utì & si adulterium tantùm intercesserit absque ullo pacto Matrimoniali, vel sponsalitio admixto, *cap. Significasti 6. hoc tit.* Circa alterum sit

CAP. II.

De Impedimento Criminis Homicidii.

1. DIco primò: Similiter crimen homicidii, seu machinationis factæ in mortem unius Conjugis ponit impedimentum dirimens Matrimonii subsequentis, etiam seclusô adulteriô, Ita Gloss. Zoës. Vallens. & communis DD. Et habetur *can. Si quis 5. caus. 31. q. 1.* Et *cap. 3. hoc tit.* Sed

2. Nota primò: ut crimen homicidii seu machinationis necis inducat verum impedimen-

mentum dirimens Matrimonii sequentis, debent adfuisse sequentia: *Primò*, ut præfata machinatio necis fuerit efficax, seu re ipsa cædes alterius conjugis, *cit. can. Si quis.* *Secundò*, ut machinatio mortis alterius conjugis facta sit animô ineundi Matrimonium cum conjuge superstite; utì notat Scotus, S. Thomas, Zoëf. Vallenf. nam si alter conjugum necem intulit ex alia intentione, quàm contrahendi Matrimonium, non resultat impedimentum dirimens, *cap. Laudabilem, de convers. infidel.* junctâ Glossâ. Et colligitur ex *cap. 1. de convers. infidel.* Et *cap. 1. de divortiis.* *Tertiò*, debet uterque ad machinationem concurrere, saltèm consilio, aut mandato ad mortem cooperando; utì notat Mastrius, Herincx, & Bonac. Quare si unus tantùm machinatus sit mortem, alterô insciô, non resultat ejusmodi impedimentum criminis homicidii; utì habent cit. DD. nisi accedat adulterium, *cap. Super hoc 3. hoc tit.* *Quartò* ut conjunx verè physicè, vel moraliter occidat alterum; unde non sufficit ratihabitio; utì habet Gutier. Henriq. Valent. Mastr. &c.

3. Dico secundò: similiter crimen machinationis cum effectu in mortem conjugis cum adjunctô adulterio, ponit impedimentum dirimens Matrimonii sequentis cum persona superstite. Ita communis DD. Et habetur *cap. Super hoc 3. hoc tit.* Ut hoc impedimentum exurgat, requiritur, ut mors sit in re secuta, & adulterium; utì habet Vallens. & alii DD. Non requiritur autem, ut interveniat promissio futuri Matrimonii, *cap. cit. 3.*

TITULUS VIII.

De Conjugio Leprosorum.

CAP. UNICUM.

Variæ Resolutiones circa Leprosorum Connubia.

1. NOta primò: Quoniam impedimentis Matrimonii videri posset morbum lepræ esse annumerandum; ideò D. Papa *hunc* specialem addit *tit.*

2. Dico primò: Pro impedimento dirimente Matrimonii jam contracti, & consummati non rectè statuitur morbus lepræ; quare uxores viros, & viri uxores leprâ superveniente respersas adhuc sequi debent, & eis conjugali affectione ministrare; & Matrimonium eorum manet indissolubile. Ita communis DD. Et habetur *cap. Pervenit 1.* Et *2. hoc tit.* Ubi etiam assignatur Ratio; quia per consummationem Matrimonii vir, & uxor efficiuntur una caro; ac proinde unus sinè altero esse non debet. Imò hoc etiam procedit, etsi Matrimonium superveniente leprâ necdum fuisset consummatum. Ratio est; quia vinculum Matrimonii etiam solo consensu contractum est indissolubile; & nuptias facit non concubitus; sed consensus, *L. 30. ff. de R. I.*

3. Dico secundò: Quòd si conjuges post supervenientem lepram nequeant sese affectione conjugali tractare, inducendi sunt ad perpetuam continentiam vovendam. Ita communis DD. Et habetur *cap. 1. hoc tit.*

4. Dico tertiò: Leprosi possunt inire Matrimonia non obstante leprâ, si invenerint, qui eos accipere velint. Ita communis DD. Et habetur *cap. 2. hoc tit.*

5. Dico quartò: Conjunx sanus tenetur leproso regulariter reddere debitum, si id exigat. Ita communis DD. Et habetur *cap. 2. hoc tit.* Quod tamen DD. scribentes in *cit. cap.* temperant; nisi subsit probabile periculum infectionis; cùm nemo se obliget ad Matrimonii contractum cum vitæ incolumitate; utì putat Zoëf. Idem dicendum si conjunx laboret morbô Gallicô, vel aliô contagiosô. Neque enim DEUS tentandus est, *can. si nulla, caus. 23. q. 7.* Cæterùm etsi sanus conjunx non teneatur fortassis reddere debitum conjugi leproso effecto; tenetur tamen præstare alia obsequia, quæ absque periculo infectionis alicujus præstari possunt; utì colligitur ex *cap. 1. hoc tit.* Et tenet Barbos. Zoëf. Navar.

6. Dico quintò: lepra superveniens dissolvit Sponsalia de futuro priùs contracta. Ita communis DD. Et habetur *cap. 3. & ult. hoc tit.* Estque Ratio; quia alter Sponsus sanus ob supervenientem lepram meritò timere potest infectionem; qui metus cùm sit gravis, rescindere potest contractum initum Sponsalium de futuro: similiter superveniens morbus Gallicus, paralysis, epilepsia, vel alia infirmitas incurabilis, sufficit ad dissolvenda Sponsalia de futuro, secundùm Sanch. cùm censeatur notabilis mutatio in Sponso infirmo supervenire.

TITU-

TITULUS IX.

De Conjugio Servorum.

CAP. I.

De Impedimento Erroris, circa Conditionem servilem habiti in Contractu Matrimoniali.

1. NOta primò: Papa continuat resolvere impedimenta dirimentia Matrimonii; & *hoc tit.* agit de impedimento Erroris, qui contingit in contractu Matrimoniali circa conditionem servilem alterius Sponsi; quando scilicet unus Sponsus est liber, & alter servus. Per *Servum* autem hìc intelligitur non servus adscriptitius, seu colonus perpetuò adstrictus ad colendam glebam; sed mancipium, quod nullâ prorsùs gaudet libertate, & quod vendi potest; & dicitur propriè *Servus*.

2. Dico primò: Error conditionis servilis, qui contingit, dum homo liber contrahit cum Serva, quam ignorat esse talem: vel è contra; ponit impedimentum dirimens Matrimonii contracti, & liber potest recedere à Serva, ac aliam ducere. Ita communis DD. Et habetur *cap. Proposuit 2.* Et *cap. Ad nostra 4. hoc tit.* Estque Ratio; quia talis Error excludit consensum in Matrimonii contractum; utì colligitur ex *L. Si per errorem, ff. de Jurisdic.* Præterea motivum, cur ejusmodi impedimentum sit ab Ecclesia constitutum, est; quia talis error circa conditionem servilem ignoratam, valdè adversatur bonis Matrimonii: & *primò* adversatur bono Sacramenti, ac individuæ Societati, atque cohabitationi conjugum; quia Servus debet servire Domino, & propterea habitare in domo Domini; potéstque vendi; vel mitti in partes longinquas. *Secundò* adversatur bono prolis; quia servus non poterit eam commodè alere; quidquid enim is lucratur laboribus, Domino lucratur: nec poterit eandem prolem debitè educare. *Tertiò* adversatur bono fidei conjugalis; quia non potest pro libitu reddere debitum conjugi; sed demùm persolutis servitiis Domini.

3. Nota secundò: si tamen liber Servam post habitam notitiam de ejus conditione servili, carnaliter cognoverit, Matrimonium fit validum; nec potest dissolvi prætextu Erroris præhabiti circa servilem conditionem; utì constat ex *cap. 2. & 4. hoc tit.* Quòd si etiam liber homo præhabuerit scientiam de servitute Sponsæ, & nihilominus eam duxerit, tale Matrimonium est validum, & indissolubile: utì habet communis DD. Et Ratio est; quia in contractu talis Matrimonii liber homo non fuit deceptus; & remisit jus suum de dissolvendo Matrimonio, utì colligitur ex *can. Si fœmina, caus. 29. q. 2.*

4. Nota tertiò: hoc impedimentum Erroris circa conditionem servilem non dirimere Matrimonium Jure naturali; utì opinatur Sylv. Sed Jure Ecclesiastico; utì habet Glossa, Vallens. Pirh. Sanch. & communior DD. Ratio est; quia Error talis non est contra substantiam Matrimonii; nam servitus non tollit, neque impedit absolutè, & simpliciter liberum usum Matrimonii; sed pro illo duntaxat tempore, quô Servus est distractus ad servitia domini. Et quia Ecclesia non irritat Matrimonium à libero scienter contractum cum Serva; sed tantùm contractum ignoranter, *cap. 2. & 4. hoc tit.* Si autem servitus Jure naturali dirimeret Matrimonium, æquè dirimeret utrumque, id est contractum scienter, & contractum ignoranter cum Serva.

5. Dico secundò: si Servus contrahat Matrimonium cum Serva, cujus servitus notitiam habuit, nullum exurgit impedimentum dirimens erroris circa conditionem servilem; sed Matrimonium est validum, & indissolubile, tametsi illud invitô Dominô fuisset contractum. Ita communis DD. Et habetur *cap. Dignum 1. hoc tit.* Rationem secundi reddit ipsum *cit. cap.* dicens; *quia juxta Apostolum ad Gal. 3. in Christo JESU, neque liber, neque servus à Sacramentis Ecclesiæ removendus est.* Et quia Matrimonium Jure naturæ, & Divino, concessum est homini in remedium concupiscentiæ, ut vitarentur fornicationes; adeóque Servi ab hoc per Dominos nequeunt impediri per dissolutionem ejus. Uterque tamen talis conjunx tenetur consueta servitia præstare Domino; utì habetur *cit. cap. 1.*

6. Nota quartò: quod attinet partum secutum ex conjugio duorum quorum Pater est liber, mater verò serva; is secundùm *L. partum*

tum C. de rei vindic. sequitur conditionem ventris, seu Matris; unde natus ex ventre servo subjicitur ei, qui ventris est dominus. Secundùm tamen Jus Canonicum *cap. 3. hoc tit.* consuetudine locorum partus etiam sequi potest conditionem patris, ita ut si solus pater sit liber, proles efficiantur liberæ, non attentâ conditione Matris.

CAP. II.

De aliis Erroribus intervenientibus in Matrimonii Contractu.

1. NOta primò: præter Errorem conditionis, de quo agit *iste tit.* & *præcedens Capitulum*; alii quoque duo Errores adesse possunt in contractibus matrimonialibus, scilicet Error circa substantiam, & Error circa qualitatem Sponsi, vel Sponsæ. *Error circa substantiam*, seu personam haberetur, si Jacob v.g. contraheret cum Lia, quam putat esse Rachaëlem; vel cum secundo genita, quam putat esse primogenitam. *Error circa qualitatem* esset: Si Plautus contrahat cum Petronilla, quam putat esse vel virginem, vel divitem, vel nobilem; postea tamen deprehendit eam esse corruptam, vel pauperem, vel ignobilem.

2. Dico primò: Error circa Substantiam, seu personam, tam antecedens, quàm concomitans, dirimit Matrimonium Jure Ecclesiastico, & naturali. Ita S. Bonaventura *4. d. 30. q. 1.* Scotus ibidem. S. Thomas, & communis DD. Et *de Jure Ecclesiastico* habetur *cap. Tua nos, de sponsalibus.* Et *can Unico, caus. 29. q. 1.* *De Jure naturali* patet; quia Matrimonium est contractus, ad quem requiritur Jure naturæ verus consensus circa objectum substantiale contractûs; sed ubi est Error antecedens, vel concomitans circa substantiam, seu personam, nullus est consensus in eam ùt objectum substantiale; quia *L. 15. ff. de Jurisdict.* dicitur: *erranti nullus consensus*: & quia contrahentis intentio absoluta est, consentire præcisè in hoc individuum Plautillæ v.g. tanquam in determinatum, & substantiale objectum contractûs Matrimonialis, & nequaquam in aliud: adeóque Jure naturæ Matrimonium cum Errore circa substantiam dirimit. Nec obest: quòd Error concomitans non sit causa operis, sicut est Error antecedens; quia uterque aufert actualem consensum; & differunt tantùm, quòd prior faciat involuntarium, posterior autem actum non voluntarium esse.

3. Si objicias: quòd Jacob cum Lia contraxerit erroneè quoad substantiam; & tamen substiterit Matrimonium. Respondeo ex *can. Unico, caus. 29. q. 1.* illud non fuisse verum Matrimonium ab initio, donec Jacob consensit positivè de novo in Liam.

4. Dico secundò: si tamen errans intendat contrahere cum præsenti persona, qualiscunque sit, est validum Matrimonium. Ita Brug. Con. Nav. &c. Et Ratio est; quia talis Error non vitiat objectum substantiale actûs voluntarii; cùm sit solùm speculativus, non practicus: adeóque validum erit Matrimonium cum eo contractum.

5. Dico tertiò: Error circa qualitatem personæ non dirimit Matrimonium, etsi oriatur ex dolo alterius contrahentis, & det causam contractui. Ita S. Bonaventura, Richard. & DD. communiter. Et constat ex *cap. Cùm in Apostolica, de Sponsalibus.* Et *L. alioquin, ff. de contrah. Empt.* ubi dicitur; *Quòd si ego me Virginem emere putarem, cùm esset mulier,* id est corrupta, ùt ait Glossa, *valebit emptio: in sexu enim non est erratum.* Et Ratio est; quia substantia hujus contractûs consistit in consensu inter personas; Et qualitates opum, pauperiei &c. sunt extrinsecæ, accidentales, & rationes tantùm impulsivæ; non autem objectum substantiale ipsius contractûs.

6. Dico quartò: si tamen Error qualitatis transeat in Errorem substantiæ; item si qualitas fuit apposita in contractu per modum conditionis; tunc eâ deficiente, irritatur Matrimonium contractum cum errore qualitatis. Ita Mastrius, Her. Brug. &c. Exemplum primi esset; si Ludovica contraheret per Procuratorem cum primogenito Regis Hispaniarum; erit irritum Matrimonium, si deinde substitueretur secundò genitus. Exemplum secundi; si Petrus contrahat cum Paula, cum expressione conditionis, si nobilis sit. Et Ratio primi est; quia determinatus consensus contrahentis tunc fertur primariò, & determinatè in aliud individuum, tanquam objectum substantiale contractûs; adeóque Matrimonium cum Errore tali celebratum est irritum. Ratio secundi est; quia consensus contrahentis tendit substantialiter, & expressè in veritatem appositæ conditionis: adeóque eâ deficiente Matrimonium erit nullum.

TITU-

TITULUS X.

De natis ex libero ventre.

CAP. UNICUM.

Resolutiones concernentes hunc titulum.

1. NOta primò: *præsentem tit.* Papa adjungit *priori* tanquam eidem connexum; quia enim in priori actum fuit de Conjugio servorum, & dubitare posset, utrùm proles ex ventre libero, seu Matre libera, & Patre servo natæ censendæ sint pariter liberæ, an verò servæ; ideò hoc ipsum resolvit unicô Capitulo hujus tit.

2. Dico primò: proles progenitæ ex libero ventre, id est Matre libera, vel liberta, efficiuntur liberæ, tametsi pater fuisset servus; & è converso erunt servæ; si generatæ sint ex ventre servo. Ita communis DD. Et resolvitur *cap. unico, hoc tit.* Et *cap. ult. de serv. non ordin.* Et quia dum quæritur de libertate, vel servitute alicujus prolis, partus sequitur ventrem, id est conditionem matris L. 5. §. 2. *ff. de statu hom.*

3. Nota secundò: sufficit ad libertatem prolis, ut Mater fuerit libera aliquo tempore, scilicet vel tempore conceptionis, vel tempore partûs, vel tempore intermedio, etiam per minimum momentum à conceptione; quia non debet calamitas matri superveniens minimè obesse partui, seu proli, quæ in ventre est, *Instit. de ingen.* Et *L. 5. cit.*

4. Nota tertiò: aliàs proles legitimè natæ quoad familiam, nobilitatem, & dignitatem seu honores, sequuntur conditionem patris; non autem matris, *L. cùm legitimæ 19.* & ibi Glossa *ff. de statu homin.* Estque Ratio; quia proles accipit esse à patre tanquam causa principali efficiente, & nobiliori principio suæ substantiæ; ac proinde quoad illa, quæ spectant ad esse, & familiam, quæque ei annexa sunt, sequitur patrem; uti notat ex Sanch. Pirhing.

TITULUS XI.

De Cognatione Spirituali.

CAP. I.

De Quidditate; Contractione; Origine; & Conditionibus Impedimenti Cognationis Spiritualis.

1. NOta primò: progreditur Pontifex in Impedimentis dirimentibus Matrimonii assignandis; & *hoc tit.* affert impedimentum Cognationis Spiritualis. Dicitur autem *Cognatio* genericè omne vinculum, conjunctionem, seu propinquitatem importans. Hìc verò specificè importat propinquitatem, quæ oritur juxta constitutionem Ecclesiæ inter aliquas personas ratione Sacramentorum Baptismi, & Confirmationis collatorum, vel receptorum. Dicitur *Spiritualis*; quia versatur circa rem Sacramentalem, seu Spiritualem, Hæc Cognatio vulgò vocatur *Compaternitas, & Commaternitas.*

2. Dico primò: rectè describitur Cognatio Spiritualis, quòd *sit quædam propinquitas inter personas ob administrationem, vel susceptionem Sacramenti Baptismi, vel Confirmationis orta, ex ordinatione Ecclesiæ invalidans, & dirimens Matrimonium.* Ly *propinquitas* est genus; reliqua ponuntur pro differentia.

3. Dico secundò: ex administratione, & receptione Sacramentorum Baptismi, & Confirmationis consurgit omnino in certis personis impedimentum Cognationis Spiritualis, dirimens Matrimonii. Ita communis Doctorum. Et statuitur *cap. 3. 4. 6. & 8. hoc tit.* Et *cap. eod. tit. in 6.* Et statuit Ecclesia hoc impedimentum ob reverentiam, quæ debetur baptizanti, & confirmanti, ac patrinis, tanquam parentibus Spiritualibus, ut hæc Cognatio non minùs quàm carnalis parentibus carnalibus esset impedimentum dirimens. Unde ulterius

4. Nota secundò: Ex aliis Sacramentis præter Baptismum, & Confirmationem non oritur præfatum impedimentum dirimens cognationis spiritualis; prout habetur *cap. Quamvis 3. hoc tit.* Et Ratio est; quia per alia Sacramenta non renascitur, & regeneratur homo ad vitam æternam, sicuti per Sacramenta Baptismi, & Confirmationis, quæ conferunt esse quoddam spirituale, *can. 1. & 3. caus. 30. q. 3.* Nam in præfatis duobus Sacramentis tantùm persona ea ministrans est quasi generans, susceptor verò seu Patrinus est quasi Mater, quæ nomine Ecclesiæ in suo gremio suscipit baptizatum, & confirmatum. Quare quemadmodum per nativitatem carnalem oritur cognatio carnalis tanquam impedimentum dirimens, & impediens Matrimonium; ita pariter per nativitatem spiritualem, consurgit spiritualis cognatio, dirimens, & impediens Matrimonium; & hoc ob peculiarem reverentiam, quam alter alteri debet, cui plurimùm adversatur actus conjugalis.

5. Nota tertio: Olim Jure decretalium ex administratione, & receptione Baptismi, ac Confirmationis oriebatur triplex cognatio spiritualis dirimens Matrimonium. Prima vocabatur *paternitas*; & consurgebat inter baptizantem, vel confirmantem ex una parte; ac inter baptizatum, vel confirmatum ex altera parte. Secunda erat *compaternitas*, quæ oriebatur inter baptizantem, vel confirmantem, vel patrinos ex una parte; & inter parentes baptizati, vel confirmati ex altera parte: atque ita parentes baptizati, vel confirmati erant compatres baptizantis, vel confirmantis, & patrinorum. Et duplex hæc cognatio spiritualis etiam transfundebatur à viro in uxorem. Tertia erat *fraternitas*, quæ consurgebat inter liberos carnales baptizantis, vel confirmantis, vel patrinorum ex una parte; & inter ipsum baptizatum, vel confirmatum ex altera parte: quare baptizatus vel confirmatus erat confrater liberorum baptizantis, vel confirmantis, *cap. Veniens.* Et *cap. fin. hoc tit.* Et *cap. 1. eod. in 6.* Et *can. 1. 2. 3. ac aliis, caus. 30. q. 1.* Sed

6. Dico tertiò: Jure novissimo Tridentini memoratæ species Cognationis spiritualis sunt contractæ, & ita restrictæ, ut hodie non nascatur cognatio spiritualis dirimens Matrimonium, nisi inter baptizatum, ejúsque patrem, & matrem ex una parte; ac inter baptizantem, & suscipientes ad summum unum, vel unam ex altera parte. Ita Vallens. Zoës. Sanch. & communis recentiorum Canonistarum. Et habetur in Trident. *sess. 24. cap. 2. de Reform. Matrimonii*, ubi etiam assignatur ratio hujus constitutionis Ecclesiasticæ, per illa verba, *docet experientia propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque S. Synodus huic incommodo providere &c.* Ex his

7. Nota quartò: hoc impedimentum Cognationis Spiritualis solo Jure Ecclesiastico esse introductum; & primò quidem à Concilio Nicæno *can. 21.* Quamvis plures DD. putent fuisse traditionem Apostolicam.

8. Nota quintò: Catechismus seu instructio Catechumenorum ad fidem, quæ ante Baptismum alicujus baptizandi adhibetur, quâ durante sal benedictus ori baptizandi imponitur, per quem significatur cœlestis sapientia, seu doctrina Christiana, *cap. sal cœlestis 65. dist. 4. de consecrat.* Hujusmodi inquam Catechismus olim afferebat inter easdem personas, inter quas Baptismus, quoddam impedimentum, sed impediens tantùm Matrimonii postea contrahendi; non autem dirimens postea contracti; uti habetur *can. cit. 21.* Et *cap. 5. hoc tit.* Et *cap. 2. eod. in 6.* Catechismus enim est quædam futuri Baptismi professio, ejusque initium, & quædam imperfecta regeneratio per fidem, quam profitetur catechizans, seu patrinus loco parvuli; ideoque etiam quædam cognatio spiritualis ex ea nascitur; sicut ex sponsalibus de futuro. Ut autem talem contrahat Patrinus, debet durante toto Catechismo infantem tenere; & insuper ad fidei interrogata respondere; quando nimirum Sacerdos interrogat, an credat. Verùm DD. probabiliùs tenent per Trident. *sess. 24. cap. 2. de reform. matrim.* tale impedimentum fuisse sublatum; uti colligitur ex illis verbis Concilii, *omnibus inter alias personas hujus spiritualis Cognationis impedimentis omnino sublatis.* Et ita tenet Zoës, Pirh. &c. Aut saltèm restrictum est ad primum gradum Cognationis, sicut impedimentum ortum ex Baptismo; uti advertit Zoës. & Vallens.

9. Nota sextò: ut autem à susceptoribus contrahatur vera Cognatio spiritualis ex administratione, & receptione Baptismi, & Confirmationis, requiruntur sequentia. *Primò*, ut teneatur infans in Baptismo actuali. Unde qui teneret infantem, quando solæ solemnitates Baptismi in Ecclesia peraguntur circa infantem, domi ob imminentem probabilem articulum mortis jam baptizatum, non contrahit cognationem spiritualem. Ita Brug. & cæteri DD. communiter. *Secundò* requiritur, ut infans teneatur in Baptismo solemniter administrato: unde suscipiens in Baptismo

privatim

privatim administrato, non contrahit Cognationem spiritualem. Ita deducitur ex Tridentino *cit.* Et habet Brug. Sanch. Nav. &c. *Tertiò* requiritur, ut contrahatur ista cognatio spiritualis; ut infans suscipiatur de manibus baptizantis statim ac baptizatus est; alioquin accipiens illum non dicitur suscipere, & levare ex fonte baptismatis. Ita habetur in *can. Post susceptum cauf. 30. qu. 3.* Unde si commater ex manu alterius commatris infantem suscipiat, non contrahit cognationem. *Quartò* requiritur ad contrahendam hanc cognationem, ut verus tactus manibus suscipientis peractus interveniat: unde si suscipiens solâ veste infantem attingeret, non contraheret Cognationem spiritualem. Ita Brug. & DD. passim: Sufficit autem, ut tactus iste fiat per Procuratorem; uti habet Bonac. Rebellus, Con. Branc. &c. *Nam qui per alium quid facit, per se fecisse videtur, L. Licèt, de Constitutione pecuniæ*: Et ex Regulis Juris *in 6.* Quo casu Procurator nullam contrahit Cognationem; quia licèt ipse immediatè tangat; non tamen suo, sed alieno nomine hoc præstat. *Quintò* requiritur in suscipiente intentio tacita, vel expressa præstandi munus Patrini; uti consentiunt omnes DD. *Sextò* requiritur, ut non intercedat error circa personam, quæ creditur tangi. Ita Brugnoli &c. *Septimò* requiritur, ut Patrinus suscipiens sit baptizatus; unde Infidelis non contrahit hanc Cognationem. Ita Mastrius, Brug. Ledesm. Rodriq. &c. *Octavò* requiritur, ut suscipiens sit designatus ad munus Patrini. Ita Tridentinum *cit.* & Sanch. Mastrius, Conink &c.

CAP. II.

Variæ aliæ resolutiones circa Cognationem spiritualem.

1. Dico primò: Secundùm antiquos Canones non nisi unus Patrinus mas, vel fœmina suscipere debebat infantem de Baptismo: si tamen plures suscepissent, singuli Cognationem spiritualem contrahebant; secundùm verò Constitutionem novam Ecclesiæ possunt duo, id est unus mas, & una fœmina de Baptismo suscipere; sed non plures. Ita communis DD. Primum habetur in *cap. Quamvis 3. hoc tit. in 6.* Secundum in Tridentino *sess. 24. cap. 2. de reformat. matrim.* Quòd si tamen etiam plures quàm duo, specialiter per incuriam Parochi, admitterentur, & verè susciperent simul infantem ex Baptismo, ac assignati sint ab habente potestatem Patrinos designandi, videntur omnes contrahere Cognationem Spiritualem, juxta *cap. 3. cit.* quod non est immutatum per Tridentinum. Et pro hoc stat declaratio Cardinalium, allegata à Tanner. Nec adversatur Tridentinum *cit.* prohibens plurium, quàm duorum admissionem; quia non irritat factum; sed tantùm vetat illud; & est communis doctrina, quòd actus contra legis prohibitionem non sit irritus, si in ea non ponatur decretum irritans, utì notat Zoës.

2. Nota primò: Religiosi prohibentur suscipere infantes de sacro fonte, *cap. non licet Abbati 103. cum seq. de Consecrat. dist. 4.* Ne videlicet hac occasione ad sæcularia trahantur, *can. pervenit 20. cauf. 18. q. 2.* Si tamen suscipiant, actus non est irritus; & consequenter contrahunt Cognationem spiritualem. Hi si assumantur in Episcopos, non prohibentur deinceps suscipere ex sacro fonte; utì habet Glossa, Sanch. & Zoës. nam tunc censentur absoluti à jugo monasticæ regulæ, *can. 1. cauf. 16. q. 1.*

3. Nota secundò: Procurator deputatus, ut locô principalis infantem de sacro fonte levet, non contrahit cognationem spiritualem; utì habet Zoës. Cùm is non habeat animum suo nomine suscipiendi infantem ex sacro baptismo; unde mandans videtur potius eam contrahere; cùm res sit facti, quam principalis per alium faciens, ipse facere videtur. Et dicitur ita resolvisse S. Congregationem, teste eodem Zoës.

4. Dico secundo: Parens baptizans, vel patrinum agens ex ignorantia, vel in necessitate, nullam Cognationem spiritualem contrahit; nec jure petendi debitum conjugale privatur. Ita DD. communiter. *De ignorantia*; resolvit *can. si vir. De necessitate* verò resolvit *can. Ad limina cauf. 30. q. 1.* ubi exprimitur hujus ratio, *Quia inculpabile judicandum, ad quod necessitas impulit.*

5. Dico tertiò: Si tamen Parens extra casum necessitatis, & ignorantiæ baptizet, vel levet infantem, aut Confirmationi ejus assistat ut Patrinus, peccat mortaliter, & probabiliter non potest petere debitum conjugale: potest verò reddere. Primum habet Sanch. Laym. Nav. &c. Secùndum Suar. Sanch. Tertium habet communis Doctorum. Primum constat ex *can. 1.* Et *2. cauf. 30. q. 1.* ubi id severè prohibetur. Secundum patet; quia contraxit veram Cognationem spiritualem cum Conjuge. Ratio tertii est; quia alter conjunx innocens non amisit Jus petendi: adeóque culpabilis tenetur reddere.

TITULUS XII.

De Cognatione legali.

CAP. UNICUM.

De Impedimento Matrimonii orto ex Cognatione legali.

1. NOta primò: evolutô *priori tit.* de impedimento dirimente Matrimonii, orto ex Cognatione Spirituali, rectè Papa subjungit *hunc tit.* de alio, quod consurgit ex Cognatione legali: & dicitur *legalis à legibus* Civilibus, per quas primò invecta fuit *§. sed si quia, Instit. de nupt.* Deinde verò etiam à sacris Canonibus fuit acceptata, & approbata, *cap. unic. hoc tit.* Et *can. ita diligere, cauf. 30. q. 3.* Est autem Cognatio legalis attinentia, & effectus adoptionis, facítque in locum filii transire adoptatum. Nam adoptio communiter à DD. describitur, quòd *sit extraneæ personæ in filium, vel filiam, nepotem vel deinceps legitima assumptio.*

2. Dico primò: bene describitur Cognatio legalis, quòd *sit propinquitas quædam inter certas personas, orta ex adoptione, ex ordinatione Juris Ecclesiastici, & Civilis dirimens Matrimonium.* Ly *propinquitas* est genus; reliqua ponuntur pro differentia.

3. Dico secundò: Cognatio legalis ponit omnino impedimentum dirimens Matrimonii inter certas personas. Ita communis DD. Et habetur *cap. 1. hoc tit.* Et *can. ita diligere.* Et *can. per adoptionem, cauf. 30. q. 3.* Et *L. adoptivus 14. ff. de ritu nupt.*

4. Nota secundò: tres porrò species Cognationis legalis passim afferuntur à DD. *Prima* est in linea recta inter adoptantem, & adoptatum, ac descendentes, seu liberos adoptati, puta filios, nepotes, & abnepotes, &c. Si existant in ejus potestate. *Secunda*, est quasi transversalis, scilicet inter ipsum filium adoptatum, & filiam naturalem, vel filiam adoptantis. *Tertia* est per modum cujusdam affinitatis, nempe inter uxorem Patris adoptantis, & inter filium adoptatum; & è contra, inter uxorem adoptati, & inter ipsum Patrem adoptantem, ac etiam inter ipsas uxores adoptantis, & adoptati.

5. Dico tertiò: prima species Cognationis legalis impedit, & dirimit Matrimonium in perpetuū, etiam soluta adoptione per mortem adoptantis, vel emancipatione adoptati; unde adoptans non potest contrahere Matrimonium cum filia, vel nepte adoptati. Ita Sylv. Sanch. Pirh. &c. Et constat ex *can. ita diligere 1. cauf. 30. q. 3.* Et ex *§. ergo non omnes; Instit. de nupt.* Et *L. adoptivus 14.* Et *L. quin etiam 55. ff. de rit. nupt.* Et Ratio est; reverentia, quæ per potestatem semel contractam ab adoptante respectu adoptivi dissuadet nuptias cum filia, vel nepte adoptivi.

6. Dico quartò: Secunda species Cognationis legalis impedit, & dirimit Matrimonium non in perpetuum; sed duntaxat quàm diu durat adoptio, & potestas. Ita Pirh. Zoës. Vallens. &c. Et colligitur ex *cap. unic. hoc tit.* ubi dicitur, quod inter personas secundæ speciei Cognationis legalis non consistat Matrimonium durante adoptione. Et constat etiam ex *L. per adoptionem 17. ff. de rit. nupt.* Et est Ratio; quia honestas non patitur, ut inter personas secundæ speciei Cognationis legalis, id est adoptatum, & filiam naturalem adoptantis contrahatur, cùm durante adoptione (quæ est naturæ imitatrix) se habeant tanquam frater, & soror.

7. Dico quintò: tertia species Cognationis legalis impedit, & dirimit Matrimonium in perpetuum inter illas personas, quas afficit; etiam solutâ adoptione per mortem adoptantis, vel per emancipationem. Ita Laym. Vallens. Zoës. &c. Et habetur *L. adoptivus 14.* Et *L. quin etiam 55. de rit. nupt.* Estque Ratio; quia & hìc affinitas quædam intervenit, quæ dissuadet Matrimonium inter personas hujus tertiæ speciei. Ex his

8. Nota sequentia Corollaria. *Primò* inter adoptantem, & parentes filii adoptati licitè, & validè posse celebrari Matrimonium. Ratio est; quia ex nullo capite Juris constat inter eos intercedere Cognationem legalem; uti rectè ex Sanch. & Vall. notat Pirhingus. *Secundò* pariter inter filium adoptivum, sed emancipatum, & filiam legitimam carnalem adoptantis contrahi potest Matrimonium; uti habet Glossa, De Nao, & Pirh. Et Ratio est; quia in adoptivo tali filio jam emancipato cessavit adoptio, & patria potestas, quæ priùs posuit impedimentum Matrimonio contrahendo. *Tertiò* similiter inter ipsos fratres & sorores adoptatas ab eodē parente potest consistere Matrimonium; uti habet Vallens. Pirh. &c. Et Ratio est; quia inter ejusmodi personas non reperi-

reperitur à Jure inducta fuisse aliqua Cognatio legalis. Unde *capit. unic. hoc tit.* procedit duntaxat de vera filia patris adoptantis, quæ incipit esse soror adoptivi fratris, adoptati à suo patre; adeóque impedita à contractione Matrimonii cum eodem fratre; uti rectè notat Vallens. *Quartò* tandem etiam inter filium illegitimum carnalem adoptantis, & filiam adoptivam ejusdem adoptantis; ac vicissim inter filiam carnalem illegitimam adoptantis, & filium ejus adoptivum potest contrahi Matrimonium validum; uti habent Navar. Sanch. &c. Et est Ratio; quia illegitimi non censentur esse in potestate patris sui *§. si adversus; Instit. de nupt.* adeóque cum ipsis non contrahitur Cognatio legalis impediens Matrimonium.

TITULUS XIII.

De eo, qui cognovit Consanguineam uxoris suæ; vel Sponsæ.

CAP. I.

De Impedimento Affinitatis, contracto ex copula illicita, & incestuosa.

1. NOta primò: Papa provehit ulteriùs materiam impedimentorum Matrimonii; & discussis in *priori tit.* impedimentis Cognationis spiritualis, ac legalis; *hoc tit. & sequent.* agit de impedimento Cognationis carnalis; & primò de impedimento affinitatis. Est autem affinitas duplex, una quæ resultat ex copula illicita cum consanguinea uxoris habita: & hæc examinabitur *tit. præs.* Altera, quæ oritur ex copula licita cum uxore respectu consanguineæ ejusdem; & de ista proponitur *sequens tit.*

2. Dico primò: Ex incestu, seu copula illicita carnali, quam quis habuit cum consanguinea uxoris suæ consurgit impedimentum impediens Matrimonium aliquando contrahendum. Ita Glossa, Vallens. & communis DD. Et statuitur in *cap. Si quis 1.* Et *cap. Transmissa 4.* Et *cap. Ex literis 8.* Et *cap. Jordanæ 11. hoc tit.* Estque Ratio; quia tales incestuosi intulerunt injuriam Matrimonio.

3. Dico secundò: similiter si uxor commiserit incestum cum consanguineis viri sui, ex ejusmodi illicita copula oritur impedimentum præfatum. Ita Vallens. Sanch. Pirh. &c. Et constat ex *can. Si quis viduam, caus. 32. q. 7. & can. Si quis cum matre, caus. 34. q. 2.* Estque eadem Ratio, ac de incestu viri.

4. Dico tertiò: Viris committentibus incestum cum Consanguineis uxoris suæ, præter impedimentum præfatum, etiam infliguntur duæ aliæ pœnæ speciales; quòd scilicet nequeant petere debitum à propria uxore; & quòd non possint contrahere Matrimonium mortua sua uxore, non solùm cum filiastra sua; sed nec cum quavis alia muliere in perpetuum. Ita communis DD. Et statuitur in *cap. 1. hoc tit.* quæ duæ pœnæ statutæ sunt in detestationem incestûs, ne tam frequentes fiant. Quod pariter extendunt DD. ut Vallens. Sanch. Zoës. &c. ad uxorem incestuosam. Et constat ex canonibus *cit. caus. 33. & 34.* Quamvis autem Conjunx incestuosus nequeat petere debitum à suo Conjuge; reddere tamen tenetur, *cap. 4. hoc tit.*

5. Nota secundò: præfata pœna secunda non tantùm afficit ipsos Conjuges incestuosos; sed etiam Consanguineos eorum, ita ut illi Consanguinei Conjugis, cum quibus alter Conjunx incestum commisit, nequeant inire aliud Matrimonium; uti habent Vallen. Pirh. Sanch. &c. Et constat ex illis verbis *cap. 1. hoc tit. nec ille, nec filiastra ullo unquam tempore aliis se poterunt Matrimonio copulare.* Et Ratio est; quia & tales Consanguinei inferunt gravem injuriam Matrimonio, non solùm ratione adulterii, quod committunt; sed etiam ratione contractæ affinitatis inter Conjuges, ob quam impeditur usus Matrimonii. Et putat Vallens. ac Sanch. ejusmodi impedimentum pariter in Consanguineis esse perpetuum.

6. Nota tertiò: ut porrò censeatur verè consurgere impedimentum dirimens ex incestu, debet is habere sequentes conditiones: *Primò*, ut sit incestus formalis, id est, cum illa, quam omninò scivit esse Consanguineam Sponsæ, vel uxoris; *cap. 1. hoc tit.* nam si adfuerit ignorantia, non oritur ejusmodi impedimentum. *Secundò*, ut intervenerit copula consummata; uti habet Vallens. sicut enim copula licita non consummata non inducit

affinitatis impedimentum; ita nec illicita non consummata. *Tertiò*, ut incestus sit cum Consanguinea uxoris; non verò cum consanguinea propria; uti habet Covarr. Sanch. Zoës. &c: quia textus Juris loquuntur tantùm de consanguinea uxoris. Nec obest, quòd fœdior sit incestus cum propria consanguinea, quàm Conjugis: quia in hoc impedimentum non tam inductum est propter gravitatem criminis; quàm propter injuriam, quæ fit Matrimonio per copulam cum consanguinea uxoris.

7. Nota quartò: Hujusmodi impedimentum non contrahitur à fœmina, quæ per vim carnaliter cognita fuit; uti notat Sanch. & Pirh. & colligitur ex *cap. Discretionem, 6. hoc tit.* Estque Ratio; quia sicut talis fœmina caret culpâ, ita pariter carebit pœnâ. Nec contrahitur ex incestu cum cognata legali, vel spirituali; uti notat Zoës. Navarr. &c. Nam ejusmodi incestus non est propriè incestus. Nec ullus textus Juris ponit resultare ex tali copula impedimentum affinitatis.

8. Nota quintò: Contrahitur hoc impedimentum affinitatis à viro incestuoso, sive incestum commiserit vivente adhuc uxore; sive eâ jam mortuâ, *cap. 4. hoc tit.* Item sive incestus fuerit occultus, sive notorius; uti habet Vallens. & constat ex *cap. 6. hoc tit.* Item sive sententia Judicis præcesserit; sive non; uti habet Sanch. Item sive fuerit factus cum pubere, sive impubere, *cap. 7. hoc tit.*

9. Nota sextò: Secundùm Jus Decretal. hoc impedimentum ex copula illicita cum Consanguinea alterius Conjugis ortum extendebat se usque ad quartum gradum, sicut ex licita; uti constat ex *cap. 6. hoc tit.* ubi fit mentio copulæ cum consanguinea Conjugis, non distinguendo gradum; qui proinde accipiendus est secundùm *cap. Non debet, de consang. & affin.* ubi ex causa affinitatis indistinctè usque ad quartum gradum ponitur impedimentum. Verùm secundùm Jus novissimum Tridentini *sess. 24. cap. 4. de reformat. matrim.* se se extendit memoratum impedimentum tantùm usque ad secundum gradum inclusivè.

CAP. II.

Varia circa hunc titulum resolvuntur.

1. Nota primò: Judex Ecclesiasticus non debet dirimere Matrimonium jam contractum, etsi ambo Conjuges asserant se illud contraxisse cum impedimento dirimente affinitatis, orto ex copula illicita cum consanguinea unius Conjugum; imò etsi sit rumor partis viciniæ, idem impedimentum proclamantis; nisi aliæ rationabiles, & fide dignæ probationes accesserint. Ita communis DD. Et habetur *cap. Super eo 5.* Et *cap. De illo 3. hoc tit.* Estque Ratio primi; quia non creditur viro, & uxori si confiteantur in præjudicium Matrimonii; ob præsumptionem collusionis eorum; uti habetur *cit. cap. 5.* Aliàs tamen creditur Conjugibus, & statur eorum confessioni in favorem Matrimonii, asserentium Matrimonium esse contractum, juxta *cap. attestationes 10.* & ibi Gloss. ver. *evasisse; de sponsal. impuber.*

2. Dico primò: Per affinitatem supervenientem ex copula incestuosa, non ponitur impedimentum dirimens Matrimonium priùs contractum, & consummatum; imò nec inconsummatum. Ita communis DD. Et habetur *cap. Tuæ 10. hoc tit.* Ratio etiam est; quia ejusmodi Matrimonium est indissolubile ex Apostolo: Incestuosus tamen propter publicam honestatem in continentia vivere debet, usque dum Conjunx moriatur. Tenebitur tamen talis, reddere debitum conjugale parti innocenti petenti, quia affinitas post Matrimonium iniquè contracta non debet ei nocere, *cit. cap. 10.* Ratio secundi est; quia & Matrimonium non consummatum dicit vinculum indissolubile.

3. Dico secundò: Per copulam illicitam cum consanguinea supervenientem dissolvuntur priora sponsalia de futuro. Ita communis DD. Et habetur *cap. Veniens 2. hoc tit.* Ratio etiam est; quia sponsus, & sponsa ratione talis copulæ sunt facti affines; affines autem nequeunt inter se contrahere Matrimonium, *cap. Non debet 8. de consang. & affin.* adeóque sponsalia talium dissolvuntur. Quare pòterit sponsus vel sponsa innocens licitè alteri nubere *cit. cap.* Et *sequent.*

4. Dico tertiò: Fornicarius consummans copulam carnalem illicitam cum consanguinea sponsæ, non tantùm redditur inhabilis ad contrahendum Matrimonium cum sua sponsa; sed etiam cum alia; sed tantùm ad dies vitæ complicis delicti, cum qua fornicatio fuit facta, poterítque de facili cum eo dispensari. Ita Sanch. De Nævo, Pirh. Vallens. &c. Primùm habetur *cap. 1. hoc tit.* Et statuitur in pœnam delicti incestuosi. Secundùm colligitur ex *cap. Duo pueri 12. de desponsat. impuber.* illis verbis, *neutri altero vivente dabitur licentia contrahendi.* Tertium constat ex *cap. 2. hoc tit.* ibi, *poterit ex dispensatione cum alia Matrimonium*

Matrimonium contrahere. Et cùm in hoc sibi Papa non reservet dispensationem, videtur eam tacitè concedere Episcopis, secundùm Innoc. Abbat. &c.

TITULUS XIV.

De Consanguinitate; & Affinitate.

CAP. I.

De impedimento dirimente Consanguinitatis.

Nota primò: *Priori titulo* de cogna-
1. tione carnali, resultante ex affinitate mediante copulâ illicitâ contractâ, Papa subnectit *hunc alterum* de aliis duabus, quibus cognationis carnalis seu naturalis, scilicet Consanguinitatis, & Affinitatis ortæ ex copula licita; déque earum impedimentis. Dicitur autem *Consanguinitas* quasi sanguinis unitas; eò quòd plures de communi sanguine descendant, *cauf. 35. q. 5.*

2. Dico primò: Rectè describitur Cognatio carnalis consanguinitatis, *quòd sit propinquitas inter certas personas, ab eodem proximo stipite descendentes per generationem carnalem. Ly propinquitas* est genus; reliqua ponuntur pro differentia. In hac descriptione pro ly *stipite* intelligitur progenitor. Dicuntur *proximo stipite*; ne putentur omnes homines esse Consanguinei, qui ab uno remoto stipite Adamo descendunt. Hic enim agitur de stipite, & progenitore propinquo, respectu cujus conceditur, vel prohibetur Matrimonii contractus, *can. 1. cauf. 35. q. 2.*

3. Nota secundò: Consanguinitas generaliter accepta dividitur à Jure Civili in agnationem, & cognationem specialiter dictam. *Agnatio* est propinquitas inter illas personas, quæ progenitæ sunt ab eodem sanguine tantùm per sexum virilem, seu per paternam lineam eandem duntaxat, *§. 2. Instit. de legit. agnat. successione.* Unde in rigore Juris civilis soli filii alicujus parentis, ac filiæ ejus, & germani fratres, fratrúmque filii, ac filiæ, per eandem masculinam lineam duntaxat descendentes *Agnati* dicuntur; & hæc vocatur Consanguinitas stricta, & civilis. *Cognatio specialis* est propinquitas inter illas personas, quæ generatæ sunt ex eodem sanguine tàm per sexum virilem, quàm fœmineum; seu per lineam maternam, & paternam *cit. §. 2.* Et hæc vocatur Consanguinitas laxa, ac naturalis. Et ejus usurpatio est propria in *hoc tit.* Quare nomine *Consanguinitatis* rectè veniunt omnes prorsus agnati & cognati, mares & fœminæ, per lineam paternam, vel maternam tantùm, aut per utramque simul progeniti.

4. Nota tertiò: Cognationem carnalem seu Consanguinitatem distingui per lineas; & lineam per gradus; uti notant communiter hìc DD. *Linea* autem Consanguinitatis describitur bene sic, quòd sit ordinata collectio personarum consanguinitatem inter se habentium, complectens certos gradus, & distinguens cognationes. *Gradus* verò, quòd sit distantia unius personæ ab altera in linea Consanguinitatis, quâ cognoscitur quæ persona sit stipiti propinquior. Linea est triplex in proposito; *prima* dicitur *linea recta ascendens* consanguineorum; & incipit à personis propagatis ad propagantem, puta à filio ad patrem, avum, proavum &c. *Secunda* dicitur *linea recta descendens*; & incipit à propagante ad propagatos, ut à patre ad filium, nepotem &c. *Tertia* vocatur *linea transversa*, seu *collateralis*, quando duæ personæ adsunt, quæ ambæ descendunt ab eodem, & neutra ab altera, ut frater, & soror consobrini.

5. Nota quartò: Ad cognoscendam propinquitatem, & computandos gradus ipsius Consanguinitatis, sequentes statui generales Regulas à Scoto *4. dist. un.* & à Canonistis. Prima: *In linea recta Ascendentium, & Descendentium, tot numerantur gradus, quot personæ generantes*; Unde Pater, & Filius sunt conjuncti in primo gradu consanguinitatis; quia Filius à Patre una generatione descendit; & Nepos est conjunctus cum Avo in secundo gradu; quia ab eo descendit duabus generationibus; Proavus, & Pronepos sunt in tertio gradu; Abavus, & Abnepos in quarto, &c. Et circa numerandos, & supputandos gradus in linea recta tam ascendenti, quàm descendenti conveniunt Jus Canonicum, & Civile: sed differunt circa gradus lineæ transversæ. Quare

6. Nota quintò: aliter computantur gradus lineæ transversæ à Jure Civili; & aliter à Jure Canonico. Nam *primò* Jure Civili nullus est gradus primus in linea transversa *L. 1. §. 10. C. de grad. & affinit.* sed in Jure Canonico datur primus gradus. *Secundò* Jure Civili in transversali linea tot sunt gradus, quot ge-

nerationes; ideóque frater, & soror hoc jure secundum gradum constituunt *cit. L. 1.* quia interveniunt duæ generationes, scilicet fratris, & sororis: nam ascendendo à fratre ad communem patrem habes unam generationem; rursus descendendo ab eodem communi patre ad sororem habes secundam generationem, nempe sororis; ac proinde secundum gradum. At Jure Canonico aliter se habet; in quo frater & soror faciunt unum gradum, scilicet primum. Est autem computatio graduum secundùm Jus Canonicum servanda quoad Matrimonium; de quibus Jus Civile nihil potest disponere: quoad hæreditarias verò successiones servari debet computatio eorum secundum Jus Civile, tam in foro sæculari, quàm Ecclesiastico. Unde

7. Nota sextò, & sit regula secunda: *In linea transversa æquali* (quæ est inter personas æqualiter distantes à communi stipite: (*tot gradibus unus conjungitur alteri, & ab eo distat, quot quilibet conjungitur suo communi stipiti proximo, & ab eo distat.* Ratio est; quia ratione stipitis tantùm conjunguntur inter se, & in ordine ad illum distant: Unde Frater, & soror sunt in primo gradu lineæ transversalis; Patrueles verò, & Consobrini in secundo; Nepotes, & Neptes ex Fratre, & Nepotes, ac Neptes ex sorore in tertio gradu: Pronepotes, atque Proneptes ex sorore sunt in quarto gradu; & sic deinceps.

8. Nota septimò, & sit regula tertia: *In linea transversali inæquali* (quæ est inter personas inæqualiter distantes à communi stipite.) *tot gradibus unus conjungitur alteri, & ab eo distat, quot qui remotior est à communi proximo stipite, & ei conjungitur, ac ab eo distat*: quia inquit Scotus, personæ quæ sunt in linea transversali, non habent inter se propinquitatem, nisi ratione communis stipitis, à quo originantur; & ideo non possunt inter se propinquiùs conjungi, quàm remotior eorum conjungatur stipiti: Unde Patruus, & Nepos ex Fratre sunt in secundo gradu, quia eôdem distat Nepos ex Fratre ab alio, qui est stipes utriusque; & similiter Pronepos distat à Patruo in tertio gradu.

9. Dico secundò: In linea recta, tam Ascendente, quàm descendente, primus gradus; imò probabilius quilibet gradus in infinitum dirimit Matrimonium; & quidem Jure naturæ. Ita Scotus *4. dist. 40. qu. un.* Bassolius, Hiqu. Branc. Mastrius, Bellarminus, Con. Vasqu. &c. contra Aversam &c. Ratio primi est; quia lumen rationis dictat, Matrimonia in primo gradu non esse contrahenda, ob reverentiam filiorum debitam suo principio; & ob conjunctionem naturalem filiorum, cum Parentibus, quorum sunt pars secundùm carnem: ideo & gentes omnes bene institutæ connubia parentum cum filiis, & filiabus abhorrent. Ratio secundi est; quia, ùt ait Doctor subtilis, in omnibus Ascendentibus, & Descendentibus invenitur ratio principii, cui reverentia debetur, & observantia; huic autem actus matrimonialis quasi substantialiter repugnat; unde & Summi Pontifices nunquam leguntur dispensâsse in linea recta. Et quia omnes Ascendentes sunt veri Parentes, & principiantes respectu descendentium, & principiatorum, & consequenter eis debetur eadem reverentia, quæ immediatis Parentibus: sed cum immediatis Parentibus de Jure naturæ prohibitum est contrahi Matrimonia: adeoque cum omnibus in infinitum. Et ideo inquit Scotus hìc, si Adam hodie viveret, nullam posset ducere uxorem, cùm omnium uxorum sit principium. Et quia *L. Nuptiæ*, Et *L. Jure gentium, de ritu Nupt.* absolutè dicitur, inter Asendentes, & Descendentes Jure gentium (quo nomine Juristæ appellant Jus naturæ) incestuosas nuptias contrahi, eásque consistere non posse.

10. Dico tertiò: Consanguinitas in linea transversali, dirimit Matrimonium tantùm usque ad quartum gradum inclusivè. Ita communis DD. Et determinatur in Concilio Lateranensi, & refertur *cap. Non debet; de cons. & affin.* ubi etiam restringitur Jus antiquum, irritans Matrimonium usque ad septimum gradum.

11. Nota autem octavò: Causas hujus restrictionis esse has: *Primò*; propter commoditatem majorem humani commercii inter Fideles, ut per fœdera Matrimoniorum inter diversas familias magìs ampliaretur amicitia. *Secundò*; ob majorem cautelam servandæ continentiæ inter sanguine junctos, qui frequenter sibi invicem cohabitant, quæ familiaritas peccatum incontinentiæ sæpiùs causaret, si non liceret Matrimonium contrahere, nisi usque ad septimum gradum. *Tertiò*; quia difficulter conservatnr ab omnibus memoria usque ad 7. gradum; sícque frequenter fierent invalida Matrimonia.

12. Dico quartò: Solo Jure Ecclesiastico, non naturali, fratris & sororis cæterorúmque usque ad 4. gradum inclusivè Matrimonium dirimitur. Ita Mastrius, & Recentiores Scotistæ, ac Scotus, & Cajet. Hurt. Con. Diana, &c. contra Branc. Sanch. Vasq. Bonacin. Rebel. &c. Ratio primi est; quia etsi quædam partialis indecentia in copula fratris cum sorore

sorore reperiatur, ob quam etiam gentes passim eam prohibuêre; non est tamen talis in ea indecentia, ob quam natura hujusmodi copulam prohiberet; cùm nulla reverentia debita consanguineis, tanquam principio (qui neque Ascendentes, neque Descendentes sunt) adsit. Et in exordio Mundi debebant fratres ducere suas sorores: Et Sylv. in Summa, verbo *Papa* refert, Martinum V. etiam in hoc gravissima de causa dispensâsse: quæ omnia non subsisterent, si Matrimonium inter fratrem, & sororem Jure naturæ esset irritum. Secundum colligitur ex *cap. Gaudemus, de Divortiis*; ubi infideles ad fidem conversi, etsi consanguinei sint in secundo gradu, permittuntur in Matrimonio; quod fieri non posset, si Jure naturali illi gradus irritarent Matrimonia: adeóque solo Jure Ecclesiastico secundus, & alii sequentes gradus, irritant Matrimonia.

CAP. II.

De Impedimento Affinitatis, orto ex Copula licita.

1. NOta primò: *Affinitas* sic dicitur, quòd quasi *ad fines* Consanguinitatis accedat, utì rectè notat Scotus; seu quòd duæ diversæ cognationes per nuptias copulentur, & finibus suis se contingant, *L. non facilè 4. adfines, ff. de gradib.* Unde Affines fiunt cognati viri cum uxore; & cognati uxoris cum viro, *can. porrò, cauf. 35. q. 5.* Nomina propria Affinium exprimuntur *cit. L.* & sunt Socer, Socrus, Gener, Nurus, Noverca, Vitricus, Privignus, Privigna, & Levir.

2. Dico primò: rectè describitur Affinitas (de qua *hoc tit.*) quòd *sit propinquitas certarum personarum, orta ex copula carnali licita, & cum persona alteri consanguinea contracta.* Ly *propinquitas* est genus; reliqua ponuntur pro differentia. Dixi *orta ex copula carnali licita*; nam quamvis etiam affinitas vera oriatur ex copula illicita fornicaria, vel quocunque alio concubitu illicito, juxta illud *1.* ad Cor. *6. qui adhæret meretrici unum corpus efficitur*, & consequenter affinis consanguineis meretricis; attamen de tali Affinitate jam propositus, & discussus est *titulus 13.* suprà; nec ejusmodi Affinitas pertinet ad *præsentem tit.*

3. Dico secundò: Copula carnalis conjugalis habita cum uxore inducit impedimentum Affinitatis, impediens, & dirimens Matrimonium postea contrahendum cum ejus consanguineis. Ita communis DD. Et habetur *cap. Ex literis*; Et *cap. Non debet 8. hoc tit.* Estq; Ratio; quia dum vir, & mulier carnaliter se cognoscunt, fiunt veluti una caro, *can. fraternitatis 1. cauf. 35. q. 10.* & consanguinei trahuntur ad fines alterius; unde partim natura, partim honestas suadet, ut Matrimonium inter tales non ineatur.

4. Nota secundò: ut autem oriatur præfatum impedimentum Affinitatis, debet intervenire copula carnalis perfecta, seu consummata; quare non sufficit sola claustri virginalis reseratio, seu penetratio vasis fœminei; sed requiritur etiam seminatio, saltèm viri intra vas fœminæ; utì notat Sanch. Et Ratio est; quia ut resultet hoc impedimentum, debent conjuges fieri una caro, *cit. can. fraternitatis*: fiunt autem una caro per copulam perfectam, seu consummatam duntaxat, sufficientem ad generationem prolis, quæ est sola illa, in qua fit seminatio in vas fœmineum; utì constat ex *can. lex Divina, cauf. 27. q. 2.* Ex quo dicto habetur *primò* non oriri ullam Affinitatem ex coitu Sodomitico in vase præpostero; cùm ex eo non possit sequi generatio; utì notat Pirh. Oritur tamen ex coitu cum fœmina dormiente, ignorante, coacta, ebria, & insana; cùm ex his omnibus sequi possit generatio. Habetur *secundò*, pariter ex Matrimonio rato non oriri Affinitatem veram, & completam; cùm desit seminatio; utì advertit Sanch.

5. Nota tertiò: quamvis Affinitas orta ex copula conjugali licita propriè non habeat gradus, utì constat ex *L. 4. §. 5. ff. de gradib.* nam gradus assignantur ratione cognationis carnalis, & naturalis, quæ hîc non est: nihilominus cùm affinitas fundetur in cognatione carnali, & naturali; idcircò pariter ad ejusdem imitationem, quosdam dicitur habere gradus, seu distantias potiùs; numeratúrque ad instar graduum Consanguinitatis. Unde regula generalis est, quam affert Scotus *4 dist. 41. quo gradu Consanguinitatis quis distat ab alio, sive per lineam rectam, sive per transversam; eodem gradu affinitatis ab eodem sive per lineam rectam, sive per transversam distat illa, quæ est carnaliter cognita.* Et elicitur hæc regula ex *can. porrò, cauf. 35. q. 5.* v. g. Si Petrus cognoscat Paulam, quæ habet fratres, sorores, patrem, & matrem; tunc fratres, & sorores Paulæ fiunt affines Petro in primo gradu lineæ transversæ; pater verò, & mater Paulæ fiunt Petro affines in primo gradu lineæ rectæ: & sic deinceps.

6. Nota quartò: secundùm Jura est triplex genus Affinitatis. *Primum*, in quo maritus fit affinis

affinis cum consanguineis uxoris ; & uxor cum consanguineis mariti, *cap. Non debet 8. hoc tit.* *Secundum*, in quo consanguinei primæ uxoris fiunt Affines etiam cum secunda uxore mariti; & Nurus uxoris cum marito, *can. de propinquis 3. caus. 35. q. 3.* *Tertium*, in quo secundæ uxoris maritus, & maritus nurûs fiunt affines, *can. ult. cit caus. & q.* Exempli gratia, uxor fratris tui est tibi affinis in primo genere Affinitatis; mortuo fratre tuo, si ipsa alteri nubat, ille vir erit tibi affinis in secundo genere : si demùm uxore fratris tui mortuâ, ejus maritus relictus alteram uxorem ducat, hæc uxor erit tibi affinis in tertio genere affinitatis ; quia tibi conjungitur per eum, qui secundo Affinitatis genere tibi junctus fuit; ita advertit Gloss. Hostiens Zoës. &c. Omnia ista tria genera olim ponebant impedimentum Affinitatis; uti patet ex *cit. capitulo 8. & cit. canonibus, caus. 35. q. 3.* Sed

7. Dico tertiò : Jure novo Affinitas inferens impedimentum dirimens Matrimonii, contrahitur tantùm inter consanguineos uxoris ex una parte, & inter maritum ejus ex altera parte ; ac rursùs inter cognatos mariti ex una parte, & inter uxorem ejus ex altera parte tantùm. Ita communis Canonist. Et habetur *cap. Non debet 8. hoc tit.* ubi Papa corrigit Jus antiquum, & aufert impedimentum olim resultans in secundo, & tertio genere, relato *notabili 4.* Et hoc ideò, nè prohibitionum frequentia in hac materia facilè causet peccatum, contracto ignoranter Matrimonio in gradibus prohibitis. Ex his

8. Infertur primò : inter ipsos consanguineos mariti, & cognatos uxoris non consurgere ullum impedimentum Affinitatis; sed liberè inter se possunt inire Matrimonia, *cap. Super his 5. hoc tit.* Quare duo fratres germani Pauli possunt ducere duas sorores Petri. Item Pater, & Filius possunt contrahere Matrimonium cum Matre, & Filia alterius familiæ, v.g. filius Petri ex prima uxore potest ducere filiam ejusdem Petri ex alia uxore genitam. Item Pater Sponsi potest ducere matrem, & filiam Sponsæ. Item potest quis ducere matrem, vel filiam Vitrici, vel Novercæ. Item si frater, & soror contrahant Matrimonium, possunt iis mortuis viduus superstes, & vidua inter se contrahere Matrimonium; nisi forsitan obstet aliunde consanguinitas; vel aliud impedimentum. Item potest quis successivè ducere plures uxores, quarum mariti erant fratres germani ; uti notant Tanner. Laym. Pirh. Ratio horum omnium est; quia inter omnes præfatas personas Jure novo nulla est Affinitas.

9. Dico quartò : Affinitas ex copula licita orta dirimit hodie Matrimonium tantùm usq; ad quartum gradum; & hoc probabiliter tantùm Jure Ecclesiastico. Ita communis DD. Primum habetur *cap. Non debet 8. hoc tit.* Estque Ratio; quia cùm per mutuam corporum conjunctionem Conjuges fiant una caro; honestas suadet, ut alter ab alterius Consanguineis æquè ac à propriis usque ad quartum gradum abstinere debeat *cap. 1. hoc tit.* verb. *æquè enim.* Ratio secundi est; quia nullum extat Jus Divinum de hujusmodi impedimento Affinitatis. Excommunicantur illi, qui scienter contrahunt Matrimonium prohibitum à Canonibus, intra quartum gradum, *Clement. eos qui, unic. hoc tit.*

CAP. III.

De Impedimento dirimente justitiæ publicæ honestatis.

1. Nota primò; Justitia publicæ honestatis habet propinquitatem quandam cum Affinitate : unde de ipsa etiam rectè *hoc tit.* agitur.

2. Dico primò : rectè describitur justitia publicæ honestatis, quòd *sit propinquitas quædam Jure Ecclesiastico introducta inter certas personas, quæ sibi factæ sunt propinquæ ob Sponsalia de futuro, vel Matrimonium ratum, non consummatum.* Ly *propinquitas* est genus ; reliqua habent rationem differentiæ.

3. Nota secundò : hoc impedimentum dicitur *justitia publicæ honestatis* ; quia publica honestas dictat, & exigit, ut Sponsus à cognatis Sponsæ suæ, vel maritus à cognatis uxoris suæ; & è contra Sponsa à Consanguineis Sponsi sui, vel uxor à cognatis mariti sui abstineat; cùm facti sint sibi propinqui, *cap. 3.* Et *4.* Et *8. de Sponsal.* Et *unic. de Sponsal. in 6.* Hujusmodi impedimentum à Canonibus duplex assignatur; uti patet ex conclusione præmissa. Unum quod oritur ex Sponsalibus de futuro; de quo vide dicta suprà *tit. 1.* Alterum quod oritur ex Matrimonio rato, & necdum consummato.

4. Dico secundò : tam ex Sponsalibus de futuro validis, quàm ex Matrimonio rato, & nondum consummato oritur impedimentum justitiæ publicæ honestatis, dirimens Matrimonium contrahendum cum consanguineis alterius Sponsi. Ita Navar. Mastr. Brug. &c. Primum determinatur *cap. unic. de Sponsal. in 6.* Secundum colligitur ex *can. Si quis uxorem 14.* Et *can. Si quis desponsaverit 15. caus. 27. q. 2.* Et est Ratio ; quia si ex Sponsalibus de fu-

de futuro oriatur impedimentum publicæ honestatis; quantùm magis ex Matrimonio rato, quod est fortius vinculum, & majorem conjunctionem importat.

5. Dico tertiò: impedimentum justitiæ publicæ honestatis ortum ex Sponsalibus contractis de futuro dirimit Matrimonium cum Consanguineis alterius Sponsi tantùm in primo gradu; & ultra non se extendit: ortum verò ex Matrimonio rato nondum consummato dirimit illud usque ad quartum gradum inclusivè; & ultra non progreditur. Ita Bonacin. Navar. Brug. &c. Et habetur in Concilio Trident. *sess. 24. cap. 3. de Reform. Matrim.* quod proinde correxit Jus antiquum, quô impedimentum justitiæ publicæ honestatis sese extendebat usque ad quartum gradum consanguinitatis.

TITULUS XV.

De frigidis, & maleficiatis, & impotentia coëundi.

CAP. I.

De Impedimento, orto ex Impotentia coeundi.

1. NOta primò: Prosequitur Pontifex proponere Impedimenta dirimentia Matrimonii; *hoc tit.* assignat impotentiæ coëundi, seu perficiendi copulam carnalem cum conjuge, quæ ortum ducere potest, vel ex frigiditate, vel ex maleficio, imò & ex aliis causis, prout infra dicetur.

2. Dico primò: rectè describitur impotentia, quòd *sit inhabilitas quædam ad consummandum Matrimonium.* Ly *inhabilitas* est genus; reliqua ponuntur pro differentia. In ordine ad sequentes Conclusiones

3. Nota secundò: Impotentia variè dividitur. *Primò*, alia est impotentia ad prolis procreationem; puta si vir, vel fœmina emittat quidem semen; sed sterile, & infœcundum. Alia est impotentia ad copulam carnalem perfectam; quando scilicet vir nequit penetrare ad matricem, seu vas muliebre, immittendo eò semen: vel si fœmina sit nimis arcta, ut mulier fieri nequeat; vel si viri semen ullô modô retinere nequeat, *L. quæratur 14. §. mulierem 7. ff. de ædilitio Edicto.* Causæ autem efficientes Impotentiam ad copulam carnalem perfectam, possunt essent variæ: *prima* est intrinseca, & naturalis; si scilicet in viro adsit complexio, & constitutio naturæ frigidæ nimis, vel calidæ nimis, ob quam is vel omnino seminare non potest, vel non potest penetrare ob matricem fœminæ, & semen eò injicere; vel nimis properè emittit semen extra vas muliebre; vel si sit defectus ætatis, ùt in puero, qui ob defectum ætatis nequit reddere debitum, *cap. 2. hoc tit.* In fœmina verò si adsit complexio indisposita ad coitum ob nimiam arctitudinem ob quam à viro nequeat cognosci, & semen transmitti in vas fœmineum, *cap. 3. hoc tit. Secunda* est causa extrinseca, & accidentalis, puta si Conjuges laborent aliquô morbô, impediente copulam completam: vel si viro amputata sint genitalia, *L. 6. ff. de liber. & posthum.* vel si collisi, aut contriti sint testiculi. *Tertia* est maleficii; si nimirum vir, vel fœmina, vel ambo per veneficium, ligaturam, aut aliud opus maleficum Dæmonis impediantur ab actu conjugali.

4. Nota tertiò: *Secundò*, rursùs impotentia ad copulam carnalem perfectam alia est perpetua; alia temporalis. *Perpetua* dicetur illa, quæ omnino immedicabilis est; & curari ac auferri non potest, nisi cum miraculo; vel cum peccato v. g incantatione; vel cum gravi vitæ periculo v. g. incisione; vel cum damno corporis alterius, *cap. 3.* Et *6. hoc tit. Temporalis* dicetur illa, quæ tolli potest per medicamina, & alia media licita naturalia, vel spiritualia; quæque citra miraculum, & absque gravi damno corporis, vel vitæ periculo curari potest, *cap. 6. hoc tit. Tertiò*, item Impotentia perpetua ad copulam carnalem alia est absoluta; & alia respectiva. *Absoluta* censetur esse illa, quæ dicit inhabilitatem consummandi Matrimonium cum quacunque persona, ita ut impotens cum nulla persona possit exercere copulam carnalem perfectam; & talis est communiter in formaliter frigidis. *Respectiva* est, quæ importat inhabilitatem consummandi Matrimonium cum certa tantùm persona; quando scilicet vir cum hac duntaxat fœmina nequit exercere copulam carnalem, & talis est communiter in maleficiatis. *Quartò*, demùm Impotentia alia est *antecedens* Matrimonium; alia illud *sequens*, seu superveniens Matrimonio.

5. Dico secundò: vera Impotentia ad consummandam copulam carnalem perfectam antecedens, perpetua, & absoluta ponit impedi-

pedimentum dirimens Matrimonii contracti, sive ea oriatur ex causa intrinseca; sive extrinseca; sive ex maleficio. Ita S. Bonaven. Brancat. Vallens. & communis DD. Et constat ex *cap. 2. 3. 4. 5. & 6. hoc tit.* Quare si alter Conjugum petat separationem ab impotente, & Impotentia rectô judicio probetur, separari possunt; *cit. cap. 3.* & *5.* Et in *Constit. 59. Sixti V.* Et est Ratio; quia ad subsistentiam Matrimonii pertinet obligatio tradendi corpus ad usum conjugalem; impotens autem nequit se obligare ad ejusmodi traditionem sui corporis; *impossibilium enim nulla est obligatio*, secundùm Reg. Juris Civ. *185. ff. de R. J.* Et nemo potest alteri tradere potestatem rei, quam nullô modô habet, secundùm Reg. Juris *Can. 80. in 6.* Adeóque Impotentia antecedens, absoluta, & perpetua ponit impedimentum dirimens Matrimonii contracti. Et hæc Ratio etiam probat, hujusmodi impedimentum Impotentiæ præfatæ dirimere Matrimonium planè Jure naturæ.

6. Nota quartò: Et procedit præfata conclusio, sive quis scienter, sive ignoranter contraxerit Matrimonium cum fœmina laborante Impotentiâ antecedenti, perpetuâ, & absolutâ; ita ut in utroque casu interveniat impedimentum dirimens Matrimonii, & nullitas ejusdem; utì notat Sanch. Zoës. Pirh. &c. DD. Et hoc probat Ratio prætacta pro Conclusione. Cæterum in primo casu, quo quis scienter contraxit cum fœmina prædictis modis impotente, tametsi Matrimonium sit nullum ob præfatum impedimentum dirimens: ordinavit tamen Ecclesia, ut non separentur; sed vir habeat eam ut sororem *cap. 4. hoc tit.* Unde is debet abstinere ab ejus concubitu, & aliis, quæ aliàs solis Conjugibus permittuntur, *cit. cap. 4.* Si autem hæc abstinentia ei impossibilis videatur; tunc separatio instituenda est; utì habet Vallens.

7. Dico tertiò: Impotentia ad perficiendam copulam carnalem subsequens, seu si superveniat Matrimonio semel valido, & rato, etsi nondum consummato, non affert impedimentum dirimens Matrimonii contracti, quamvis esset perpetua, & absoluta. Ita Glossa, Vallens. Sanch. &c. Et colligitur ex *can. hi qui 25. caus. 32. q. 7.* ubi dicitur generaliter, quòd conjugia non debeant solvi ob ullam infirmitatem, vel aliam impotentiam supervenientem. Et ex *can. si uxorem 18. caus. 32. q. 5.* ubi dicitur, retinendam esse uxorem, cui quis antea nupsit, sive sterilis, sive surda; sive deformis corpore, cæca, clauda, vel alio horribili quocunque accedente deinde deteriorata fuerit.

8. Dico quintò: Impotentia ad copulam carnalem consummandam respectiva perpetua, antecedens, ponit impedimentum dirimens cum illa persona, respectu cujus est talis Impotentia. Ita communis DD. Et Ratio est; quia traditio corporis ad usum seu copulam Conjugalem in taliter impotente censetur esse impossibilis respectu talis personæ; adeoque invalidat Matrimonium cum ea contractum.

9. Dico sextò: Impotentia ad copulam carnalem perficiendam temporalis, & quæ per media licita spiritualia, vel naturalia tolli potest, non ponit impedimentum dirimens Matrimonii subsequentis. Ita communis DD. Et constat ex *cap. Fraternitatis*, ibi *quamvis igitur &c. hoc tit.* Estque Ratio; quia affecti præfatâ Impotentiâ non censentur absolutè inhabiles ad usum, & copulam conjugalem perficiendam; sed tantùm ad tempus; ideoque possunt facere traditionem sui corporis; & consequenter contrahere validè Matrimonium.

10. Nota quintò: Quando ab altero Conjugum allegatur impedimentum dirimens Impotentiæ v. g. frigiditas naturæ, non propterea is sua authoritate dissolvere potest Matrimonium jam contractum; sed id probandum erit, & expectandum Judicium Ecclesiæ. Et quidem si per probationes evidentes (v. g. ex aspectu corporis viri, cujus genitalia aut sunt abscecta, aut ita arida, ut vi motiva destituta sint) constiterit Judici Ecclesiastico, revera adesse impedimentum dirimens; tum statim per eundem Judicem dirimi potest Matrimonium, nullô trienniô temporis expectatô, *cap. 2. & 5. hoc tit.* si verò non adsint probationes aliquæ evidentes; tunc integrô trienniô à die celebrationis Matrimonii, & copulæ attentatæ numerandô expectandum erit, & cohabitatio Conjugum continuanda, & exploranda natura frigida per copulas carnales: quo tempore elapso si ambo fateantur impedimentum frigiditatis v. g. revera adesse, & probent tale revera subesse, Judex Ecclesiasticus poterit eos separare, atque dissolvere connubium eorum; & tunc pars innocens poterit aliud inire, *cap. laudabilem 5. hoc tit.* ubi etiam dicitur, quòd tales Conjuges, ad tollendam omnem collusionem inter ipsos, ambo debent jurare cum septem propinquis; vel septima manu vicinorum bonæ fidei, seu famæ, si desint propinqui; quòd scilicet nunquam completam copulam carnalem habere potuerint: quo casu Conjuges, & vicini diversimodè jurare debent; scilicet Conjuges, quòd absque dolo dederint operam

ram copulæ per totum triennium ; nec tamen Matrimonium consummare potuerint ; & propinqui, quòd verisimiliter existiment, Conjuges verum dicere; utì advertit Glossa, & Pirh.

11. Nota sextò : Si post legitimum judicium Ecclesiæ separans virum frigidum à fœmina, eò quòd ambo post triennium juràssent de tali impedimento, utì & septem propinqui, vel vicini, vir reputatus frigidus, cùm revera talis non fuerit, aliud contrahat Matrimonium, & consummaverit illud, vel aliam fornicariè cognoverit; tunc ambo Conjuges perjuri efficiuntur; & vir ab hoc secundo Matrimonio debet resilire, & reverti ad priorem uxorem, *cap. 1. & 5. hoc tit.* Quia prius Matrimonium fuit validum, & secundum invalidum. Nec hìc obstat exceptio rei judicatæ; cùm sententia lata in Matrimonio quoad ipsum Matrimonium non transeat in rem judicatam : unde quandocunque constabit de iniquitate sententiæ, propter periculum animæ; quod oritur ex tali sententia separante veros conjuges, & copulante illos, qui nequeunt esse Conjuges, retractari potest, vigore *cap. Lator præsentium 7.* Et *cap. Tenor. 10.* Et *cap. Consanguinei 11. de sent. & re judic.*

CAP. II.

Variæ aliæ resolutiones circa Impotentiam coëundi

1. NOta primò : Si vel solus vir, vel sola mulier reclamet contra Matrimonium allegando impedimentum Impotentiæ, non creditur ejus confessioni contra Matrimonium; sed tale impedimentum evidenti probatione, & signô doceri debet, ut possit institui separatio : unde si vir alleget fœminam esse arctam nimis, debet Judex ex officio jubere mulierem inspici per matronas, vel obstetrices honestas, ac providas, seu peritas; & hæ jurare debent sub periculo animæ suæ, se credere mulierem esse habilem, vel inhabilem ad copulam carnalem, *cap. 6. hoc tit.* Viro tamen, & mulieri creditur, si stent & confiteantur pro Matrimonio inter se contracto, *cap. 2. de cland. desponsat.*

2. Nota secundò : Vir, vel fœmina potest allegare impedimentum Impotentiæ etiam primò post multos annos; utì constat ex illis verbis *cap. 6. hoc tit. per multos annos morata &c.* ubi mulier post octo demum annos allegavit Impotentiam viri. Et est Ratio; quia Matrimonium invalidum non convalidatur tractu temporis; utì notat De Nævo. Dum Judex Ecclesiasticus ad impedimentum Impotentiæ unius Conjugis instituit separationem Matrimonii, debet is quantum potest, inducere impotentem ad ingrediendam Religionem, & servandam perpetuam continentiam; utì constat ex *cap. 6. hoc tit.* Ratio etiam est; quia Matrimonii vinculum, si quod forsitan subsit, eô ipsô dissolvitur; sicque altera pars separata citra periculum potest transire ad secundum Matrimonium.

3. Nota tertiò : Si fœmina arcta post separationem Matrimonii cognita fuerit, & penetrata ab alio viro, cui deinde nupserat, & is sit priori similis in ætate, robore, ac membro virili; tunc præsumitur talis fœmina potuisse cognosci, & penetrari à primo viro : quare primum Matrimonium fuit validum; & talis fœmina excusso posteriori Matrimonio tanquam nullo tenetur redire ad primum maritum ; aut ingredi Religionem, *cap. 6. hoc tit.* Quòd si tamen vir prior, & posterior sint dissimiles; puta quia prior erat senex, vel debilis, aut defectum patiens in membro virili ; posterior verò juvenis, robustior, & carens illo defectu; tunc factâ semel separatione non restauratur primum Matrimonium ratione Impotentiæ mulieris arctæ dissolutum à Judice Ecclesiastico; si per concubitum primi viri non possit reddi habilis ad copulam carnalem consummandam cum illo, licèt per concubitum cum secundo sit effecta habilis; utì tenet Sanch. & Pirh.

4. Nota quartò ; Spadones strictè accepti, & Eunuchi castrati utroque teste carentes habent impedimentum Impotentiæ : unde invalidè contrahunt Matrimonium; utì resolvit Sixtus V. in suo motu proprio, citato à Gutierez. Estque Ratio; quia hi nequeunt emittere semen verum : neque satisfacere possunt fini secundario, qui est remedium concupiscentiæ. Similiter viri senes, & ita exhausti, ut nullô mediô juvari possint ad consummandam copulam, invalida ineunt Matrimonia; utì & fœminæ ita arctæ, ut non nisi incisione periculosa, vel miraculô dilatari possint; utì habet Sanch. Laym. &c. Ratio primi est; quia tales senes censentur laborare perpetua Impotentia, antecedenti, absolutâ. Secundum constat ex *cap. 3.* Si tamen viri senes adhuc possint exercere actum Conjugalem, & verum semen emittere, etsi per accidens impeditum & infœcundum ratione caloris deficientis, tales poterunt validè contrahere Matrimonia. Ratio est; quia defectus caloris deficientis potest arte medica in similibus viris subinde restaurari, ita ut etiam interdum generent. Et quia Ecclesia tolerat in praxi similia

TITULUS XVI.

De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.

CAP. I.

Afferuntur Impedimenta tantùm Impedientia Matrimonii.

NOta primò: postquam Papa *superio. tit.* 1. expedivit assignationem impedimentorum dirimentium; demùm prosequitur *hoc tit.* impedimenta impedientia tantùm Matrimonii; & signanter interdictum Ecclesiæ: quibus Matrimoniorum celebrationes vetantur, & redduntur illicitæ; interea tamen si celebrentur, valida evadunt, *cap. 1. hoc tit.* Ejusmodi autem impedimenta tantùm impedientia Matrimonii sunt varia, uti patebit ex sequentibus. Unde

2. Dico primò: Interdictum Ecclesiæ ponit impedimentum impediens celebrationem licitam Matrimonii. Ita communis DD. Et constat ex *cap. 1. hoc tit.*

3. Nota secundò: si tamen Matrimonium contrahatur contra interdictum Ecclesiæ, vel Judicis, propter hoc solum non dirimitur, *cap. 2. hoc tit.* imponenda tamen est contrahentibus pœnitentia condigna, & separandi sunt, donec cognoscatur de causa interdicti, *cap. 1. & 3. hoc tit.*

4. Nota tertiò: præter præfatum interdictum Ecclesiæ impediens Matrimonium, assignantur complura alia à Sacris Canonibus Jure Ecclesiastico introducta; quæ tamen putat Navar. & Sanch. hodie per diuturnam consuetudinem esse sublata, quoad hoc, ut in eis opus non sit dispensatione Apostolica, vel Episcopali, quam aliàs Episcopus præstare posset; exceptô votô simplici Castitatis, & Religionis; uti arbitrantur DD. Verumtamen hæc opinio universaliter in omnibus Provinciis non verificatur. *Primum* autem eorum est tempus feriarum, quod olim erat tempus adventûs usque ad Epiphaniam; & Quadragesimæ usque ad Octavam Paschæ; & dies Rogationum usque ad Octavam Pentecostes, *can. non oportet, cauf. 33. q. 4.* Et *cap. 4. de feriis.* Sed Tridentinum hoc tempus modificavit reducens ad duo tantùm intervalla, *sess. 24. cap. 10. de reform. Matrim.* inquiens: *ab Adventu Domini nostri JESU Christi usque in diem Epiphaniæ; & à feria quarta cinerum usque in Octavam Paschatis inclusivè antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari S. Synodus præcipit.*

5. Nota quartò: *Secundum* impedimentum tantùm impediens est contractus prior validus Sponsalium cum alia Sponsa priori, qui ante sui legitimam dissolutionem impedit Matrimonii contractum cum alia Sponsa faciendum. *Nam qui alicui mulieri fidem pactionis fecerit, non debet aliam ducere,* inquit *cap. 1. de Sponsa duorum.* *Tertium* est cognatio spiritualis, orta ex Catechismo, *cap. contracto, de cognation. Spiritual.* Hæc Cognatio putatur per Tridentinum totaliter sublata, *sess. 24. cap. 2. de Reform. Matrim.* uti docui supra *tit. 11. cap. 1. not. 6.* *Quartum* est votum simplex castitatis perpetuæ; vel Religionis ingrediendæ; vel suscipiendi Ordines sacros; vel Matrimonii non ineundi, *cap. Meminimus.* Et *cap. Consuluit*; Et *cap. Rursùs, qui Clerici vel voventes, &c.* *Quintum* sunt crimina nonnulla, propter quæ quasi locô pœnitentiæ prisci canones, criminosos impediverunt à licita connubiorum celebratione: Talia autem sunt crimen incestûs cum Matre, vel filia, *can. si quis cum matre 9. cauf. 34. q. 2.* Similiter *incestus* cum consanguineis suæ Uxoris saltèm adhuc viventis, qui intra secundum gradum impedit, *cap. 1. & 4. de eo, qui cognovit Consangu.* Item crimen uxoricidii, *can. admonere.* Et *can. interfecta, cauf. 33. q. 2.* nisi accessisset simul adulterium, cum priori conventione, quo casu evadit impedimentum dirimens. Item cædes Presbyteri, si de eo fuerit in judicio convictus *cap. Qui Presbyterum, de pœn. & remiss.* Item Matrimonium initum cum Moniali professa, *can. hi ergò 13. cauf. 27. q. 1.* Item solemnis, & publica pœnitentia quàm diu durat, *can. de his, 12. cauf. 33. q. 2.* Item susceptio proprii filii de Baptismi fonte in fraudem debiti conjugalis, nè scilicet alter Conjunx possit petere debitum, *can. de eo, 5. cauf. 30. q. 1.*

CAP. II.

De Dispensatione in Impedimentis Matrimonii.

1. DIco primò : Summus Pontifex potest dispensare in omnibus impedimentis, solo Jure Ecclesiastico dirimentibus Matrimonii; non autem in dirimentibus lege naturæ. Ita communis DD. Ratio primi est; quia res per quas causas nascitur, per easdem etiam dissolvitur, secundùm regulam Juris *in 6*. Cùm ergo impedimenta solo Jure Ecclesiastico dirimentia sint à Supremo Conditore Canonum Summo Pontifice statuta, per eundem etiam poterunt dispensari. Et quia Papa quà Vicarius Christi in terris habet summam potestatem dispensativam circa Canones, adeóque & circa impedimenta dirimentia Matrimonii à Canonibus constituta. Secundum inde patet, quòd Papa nequeat dispensare in lege naturæ; adeóque nec in impedimentis lege naturæ irritantibus Matrimonia, v. g. inter patrem, & filiam.

2. Dico secundò : Summus Pontifex regulariter debet habere justam causam dispensandi in impedimentis Matrimonii. Ita communis DD. Et constat ex Tridentino *sess. 24. cap. 5. de Reform. Matrim.* Et quia omnis dispensatio petit justam causam; ùt habet idem Tridentinum *sess. 25. cap. 18.* adeóque & dispensatio impedimentorum Matrimonii.

3. Nota autem primò : Sequentes causas numerari ab Henriqu. Sa, Sanch. Reginal. Ledesm. Gutier. Navar. & cæteris Doctoribus, ut sufficientes, & justas. *Prima*, est Bonum pacis per tale Conjugium obtinendum. Huc refer extinctionem inimicitiarum capitalium, litium civilium, & aliarum discordiarum, & præventionem similium, nè fiant; & nè homicidia, infamiæ, pericula subversionis in fide, & incontinentiæ oriantur. *Secunda*, est defectus paris Conjugii in hoc loco, nisi cum sanguine junctis. *Tertia*, est exigua aut nulla dos, ratione cujus quis nequit inire Matrimonium cum extraneo æquali. *Quarta*, est Conservatio splendoris, & magnarum opum, quas hæres alioquin transferret ad extraneos, nisi sanguine junctam ducat in Conjugem. *Quinta*, est Recognitio excellentium, & memorabilium meritorum in Ecclesiam ex parte petentis dispensationem; vel ejus pro quo petitur. *Sexta*, est Convalidatio Matrimonii, bonâ fide celebrati, saltem ex una parte, quæ detectô impedimentô dirimente Matrimonium, supplicat pro dispensatione. *Septima*, est Resarcitio honoris ablati à muliere violata, & legitimatio, ac debita educatio prolis antea susceptæ. *Octava*, est acceptatio notabilis mulctæ, vel alterius pii operis, quod supplicans vult præstare ob obtentam dispensationem, Hôc mediô frequenter petuntur dispensationes à Papa sub clausula *sinè causa*; subintellige, ex illis septem, antea numeratis; sed non sinè hac octava.

4. Dico tertiò : In Impedimentis impedientibus tantùm, potest dispensare Episcopus, exceptô votô simplici Castitatis, & Religionis. Ita communis Doctorum. Et Ratio est; quia ita habet praxis Episcoporum, à Summo Pontifice tolerata, quæ jam videtur Jus consuetudinarium introduxisse in favorem Episcoporum; ùt notat Zypæus in Analysi Juris Pontific.

5. Nota secundò : Episcopos etiam posse dispensare in Impedimentis, quæ superveniunt Matrimonio, impedientibus petitionem debiti ; cujusmodi sunt affinitas, & Cognatio Spiritualis. Ita Sanchez, Sà, Henriqu. &c. Et est Ratio ; quia nullo Jure leguntur prohibiti Episcopi ab hujusmodi dispensatione.

TITULUS XVII.

Qui filii sint legitimi.

CAP. I.

Qui censendi sint Filii legitimi; & qui illegitimi.

1. NOta primò : tametsi rubrica *hujus tit.* solùm loquatur de filiis legitimis; in eo tamen etiam tractatur de illegitimis. Et quia proles legitima est effectus, ex legitimo Matrimonio prodiens; idcircò Papa post discussa in præmissis variis titulis Matrimonia legitima, id est illa, quæ absque impedimentis Canonicis contrahuntur ; subdit *hunc tit.* de filiis, filiabúsque legitimis, quorum variæ sunt species ; de quibus pono sequentes conclusiones.

2. Dico primò : legitimi filii censentur esse in primis illi, qui procreati sunt ex legitimo Matri-

Matrimonionio, seu justis nuptiis. Ita Vallens. Et habetur in *cap. Causam 7.* Et *cap. Pervenit 11. hoc tit.* Et ejusmodi filii dicuntur naturales, & legitimi, utpotè quos natura & lex approbat.

3 Dico secundò : prᴂterea legitimi filii pariter habentur illi, qui nati sunt ex putatitio Matrimonio, id est tali, quod publicè bona fide utriusque, vel saltèm unius parentis, & sinè contradictione celebratum fuit; quamvis illud revera erat nullum ob latens impedimentum dirimens, v. g. Consanguinitatis, vel alterius ex suprà recensitis, & propterea deinde dissolutum à Judice Ecclesiastico. Ita Pirh. Vallens. & communis DD. Et habetur *cap. Cùm inter 2. hoc tit.* Et *cap. Perlatum, 8.* Et *cap. Pervenit, 11. eod.* Quare si contingat aliquem conjugatum vivente prima uxore solemnizare Matrimonium cum secunda, hoc ignorante, proles ex tali Matrimonio secundo natᴂ erunt legitimᴂ quoad omnia, & habiles ad succedendum in feudis, & hᴂreditates; idque concedit Ecclesia favore prolis *cap. Ex tenore 14. hoc tit.*

4. Dico tertiò : proles progenitᴂ ex soluto, & soluta, qui poterant inire legitimum Matrimonium tempore copulᴂ, quamvis ab initio illegitimi fuerint; attamen per subsequens Matrimonium legitimantur, & pro legitimis habendᴂ sunt. Ita Glossa, Abbas, & communis DD. Et habetur *cap. Tanta, hoc tit.* Estq; Ratio; quia Matrimonium subsequens abstergit omnem maculam, & vitium; quare prᴂfatᴂ proles ita legitimᴂ habendᴂ sunt, acsi procreatᴂ fuissent ex legitimo Matrimonio.

5. Dico quartò : sed & illᴂ proles reputandᴂ sunt legitimᴂ, quᴂ quidem generatᴂ sunt extra justas nuptias; sed deinde debitè legitimatᴂ à Papa, vel alio Principe, habente potestatem legitimandi. Ita Vallens. & communis DD. Et habetur *cap. Per venerabilem.* Et authent. *quibus modis natur. effic.*

6. Dico quintò : etiam filii infidelium conversorum ad fidem Christianam reputantur legitimi, quamvis parentes ipsorum in secundo, vel tertio gradu prohibito Matrimonia contraxerant. Ita Glossa, & communis DD. Et habetur *cap. Gaudemus 15. & ult. hoc tit.* Quod statutum est in favorem fidei, ita suadente publica utilitate, ut alii infideles citiùs convertantur.

7. Dico sextò : geniti quoque ex Matrimonio clandestino; sed postea ab Ecclesia approbato, legitimi judicandi sunt. Ita Glossa, Vivian. & communis. Et habetur *cap. Quod nobis 9. hoc tit.* Quod procedit, etsi postea rationabili de causa Ecclesia faciat divortium inter tales conjuges. Estq; Ratio ; quia approbatio Ecclesiᴂ superveniens retrotrahitur, & censetur in favorem Matrimonii adfuisse ab initio.

8. Dico septimò : demum etiam censentur esse legitimᴂ illᴂ proles, quᴂ per debitam adoptionem, naturᴂ imitatricem, in filios, vel filias assumuntur. Ita communis DD. Et est Ratio; quia leges proles adoptivas pro legitimis reputant, & ad hᴂreditates admittunt. Circa alterum articulum hujus cap.

9. Nota secundò : filiorum illegitimorum, quos Grᴂci unâ voce generali appellant *Nothos*, pariter diversᴂ sunt species; & omnes patiuntur defectum natalium, eò quòd ex illegitima conjunctione prodierint. Et alii sunt naturales tantùm; alii non naturales, seu spurii; alii aliis nominibus appellantur. *Naturales tantùm* de Jure Canonico dicuntur illi, qui nati sunt à parentibus solutis, inter quos Matrimonium tempore conceptionis, vel saltèm nativitatis citra omne impedimentum dirimens contrahi poterat. *Non naturales*, seu *Spurii* Jure Canonico nuncupantur illi, qui procreati sunt ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel nativitatis non poterat fieri Matrimonium ; puta quia erant jam aliô Matrimoniô ligati, vel aliô impedimentô laborabant. Hi dicuntur esse nati ex damnato concubitu, seu damnabili complexu.

10. Dico octavò : Omnes filii sub quacunque specie illegitimi reputantur inhabiles ad succedendum in hᴂreditatibus, & ad consequendas dignitates, atque beneficia Ecclesiastica, & Ordines suscipiendos; nisi priùs debitè legitimentur. Ita communis DD. Et constat ex variis Legibus Civilibus, ac Canonicis, quᴂ sub suis titulis sparsim in hoc opere allegantur.

CAP. II.

De Legitimatione filiorum illegitimorum.

1. NOta primò : Legitimationem illegitimorum posse fieri tribus modis; scilicet per subsequens Matrimonium; per rescriptum Papᴂ ; & per rescriptum Principis.

2. Dico primò : per subsequens Matrimonium legitimantur soli filii naturales tantùm, seu illi, qui nati sunt ex soluto, & soluta, inter quos

quos poterat consistere Matrimonium tempore conceptionis, vel nativitatis. Ita communis DD. Et habetur *cap. Conquestus 1. hoc tit.* Et *cap. Tanta 6. eod. tit.* Estq; Ratio; quia Matrimonium subsequens purgat vitium præcedens, ita ut filii priùs geniti Juris fictione, seu dispositione deinde reputentur, acsi ex legitimo Matrimonio prodiissent.

3. Nota secundò: nequeunt autem per præfatum modum subsequentis Matrimonii legitimari filii non naturales, seu spurii nati ex soluto, & conjugata, inter quos tempore conceptionis, vel nativitatis non poterat subsistere Matrimonium. *cap. Causam, 4.* Et *cap. Tanta 6. hoc tit.* Unde ejusmodi illegitimi ex damnato coitu nati repellendi sunt ab hæreditatibus, *cit. cap. 6.* Imò & ab alimentis eos Lex Civilis excludit, *L. ex complexu ff. de incest. nupt.* Jus tamen Canonicum moderatur hunc rigorem Juris Civilis, & ordinat, ut pater necessaria alimenta proli spuriæ administret, *cap. Cùm haberet; de eo, qui duxit in Matrim.* Estque Juri naturali consonum, ut genitor genitam prolem alimentet.

4. Dico secundò: similiter filii legitimantur per privilegium seu rescriptum Summi Pontificis, qui potest legitimare quoscunque filios illegitimos, non solùm quoad Ordines; sed etiam quoad beneficia, & dignitates Ecclesiasticas; imò & ad successionem hæreditatis in bonis temporalibus, in terris sibi jurisdictionaliter subjectis. Ita communis DD. Et habetur *cap. Per venerabilem, 13. hoc tit.*

5. Dico tertiò: legitimantur quoque filii per rescriptum Imperatoris, Regis, vel alterius Supremi Principis; qui omnes potestatem habent quoscunque illegitimos legitimandi, & purgandi natales. Ita communis DD. Et habetur Authent. *quibus modis natur. effic. &c. §. illud.* Quamvis autem memorati possint legitimare naturales tantùm, & spurios ad sæculares dignitates, honores, & officia publica; non tamen ad obtinendas Ecclesiasticas dignitates, beneficia Ecclesiastica, vel Ordines; uti habet Azor. Tanner, Pirh. Et hoc defectu potestatis circa spiritualia.

6. Dico quartò: tametsi ad probandam legitimationem natalium valeat multùm fama communis viciniæ, asserentis aliquem esse spurium: attamen sola non præbet sufficientem probationem, sinè aliis adminiculis, & præsumptionibus; quare debet accedere confessio parentum, cui statur. Ita Covarr. Abbas, &c. Et habetur *cap. Transmissa 3. hoc tit.*

7. Nota tertiò: Non invalidatur legitimatio prolis per hoc, quòd probetur Matrimonium inter tales genitores non substitisse; sed oportet probare, ipsos parentes Matrimonium malâ fide iniisse, *cap. Pervenit 11. hoc tit.* Nam semper in favorem prolis natæ standum est, quousque mala fides contrahentium probetur. Et quia tale Matrimonium est contractum in facie Ecclesiæ, quod proinde censetur esse validum; nisi ostendatur mala fides prædicta.

8. Dico quintò: Legitimatio prolis efficaciter probatur per dicta uniformia testium debitè deponentium aliquem esse legitimum; quamvis fama viciniæ, & tractatus parentum habeat contrarium. Ita Abbas cum aliis DD. Ratio primi est; quia quando adsunt duæ præsumptiones sibi contrariæ hinc inde concurrentes; tunc standum est illi, quæ potentior, & illi, quæ in dubio est favorabilior: probatio autem per testes est potentior; est enim plena, & sufficiens, *cap. Cùm causam, 37. de testib.* probatio verò à fama viciniæ desumpta est debilior, quia insufficiens, *cap. Tam literis 33. eod.* Ratio secundi est; quia probatio per testes est vera probatio; probatio autem per tractatum parentum est tantùm præsumptiva; & talis tractatus potest esse fictitius: adeóque probatio per testes efficaciter probat legitimationem; etsi tractatus parentum habeat contrarium.

9. Dico sextó: Quando suboritur quæstio natalium, seu de legitimatione filiorum, opposita petenti hæreditatem coram Judice sæculari, talis remittenda est ad Judicem Ecclesiasticum, ut ab eo cognoscatur; quamvis de illa non principaliter, sed incidentaliter agatur. Ita communis DD. Et habetur *cap. Lator 5. hoc tit.* Estque Ratio: quia causa natalium est merè spiritualis; cùm sit accessoriè annexa Matrimonio, quod est spirituale; ideóque Iudex sæcularis nec principaliter, nec incidentaliter potest de ea cognoscere, *cap. Causam 7. hoc tit.* sicut nec de annexo spirituali, *cap. Quanto 3. de judic.*

TITU-

TITULUS XVIII.

Qui Matrimonium accuſare poſſunt; vel contra illud teſtari.

CAP. UNICUM.

De accuſationibus, & teſtimoniis contra Matrimonia.

1. NOta primò: Poſtquam Papa in *ſuperior tit.* terminavit tractatum de validitate, & invalidate Matrimonii; demum *hoc*, & *ſequent.* tractat de ejusdem diſſolutione, & divortio. Quia verò ad inſtituenda ritè divortia prærequiruntur debitæ accuſationes, ac teſtimonia; idcirco *iſto tit.* de eis agit. Eſt autem hìc *accuſatio* idem, quod actio contra Matrimonium non ſubſiſtens.

2. Dico primò: Ad accuſandum, ſeu ad agendum contra ſubſiſtentiam, & volorem Matrimonii, tanquam nullum ob impedimentum dirimens Conſanguinitatis, primò omnium admittendi ſunt parentes; his deficientibus propinquiores cognati; poſt hos demum extranei; & inter tales præferuntur maturiores. & antiquiores è vicinia, qui notitiam exactam Conſanguinitatis habent. Ita Vallenſ. Pirh. &c. DD. Et conſtat ex *cap. Videtur 3. hoc tit.* Et *can. 1. & 2. cauſ. 35. q. 6.* Eſtque Ratio; quia memoratæ perſonæ ſtirpis genealogiam, ac conſanguinitatem inter contrahentes optimè norunt; ac proinde meritò præferuntur aliis in favorem Matrimonii, *cit. cap. 3.*

3. Dico ſecundò: Ad accuſandum, ſeu agendum pro inſtituenda ſeparatione tori duntaxat propter adulterium ſolus Conjunx innocens; ſimiliter ad dirimendum Matrimonium ob impotentiam, ſoli conjuges admittuntur. Ita Abbas, Canis. Pirh. &c. Et Ratio primi eſt; quia ſolius Conjugis innocentis intereſt agere ad tori ſeparationem, & non alterius; adeóque ipſe ſolus debet admitti ad accuſandum. Secundum conſtat ex *cap. Conſultationi 4. de frig. & malef.*

4. Dico tertiò: Omnes perſonæ aliàs habiles ad accuſandum Matrimonium, pariter admitti poſſunt ad teſtificandum contra idem; ſi ex alio capite non impediantur à teſtimonio ferendo. Ita Abb. Innoc. Pirh. &c. Et colligitur ex *cap. Videtur 3. hoc tit.* ubi parentes, & conſanguinei cenſentur eſſe idonei ad accuſandum, & ad teſtandum pro conjungendo, vel diſſolvendo Matrimonio. Et obſerva quòd in cauſa matrimoniali idem poſſit eſſe accuſator, & teſtis, *can. Si duo, 4.* Et *can. de parentela 5.* Et *can. Epiſcopus 7. cauſ. 35. q. 6.* quando ſcilicet quæritur de conſanguinitate Conjugum.

5. Dico quartò: Ab accuſando Matrimonium repelluntur illi, qui accuſant ob quæſtum; & illi qui tempore denunciationum præmiſſarum ante copulationem publicam habentes notitiam de impedimento dirimente futuri Matrimonii, tacuerunt; niſi præfatas denunciationes probabiliter ignoraſſent; vel niſi jurent ſe poſtea primò talis impedimenti notitiam aſſecutas fuiſſe. Ita Gloſſa, & communis DD. Primum habetur *cap. Significanti 5. hoc tit.* Secundum extat determinatum *cap. Cùm in tua 6. & ult. hoc tit.*

6. Dico quintò: Pro impediendo futuro contractu Matrimonii ſufficit teſtificatio unius teſtis integræ æſtimationis, deponentis ſe certò ſcire impedimentum; utì & fama publica. Ita Zoës. Abbas, Covarr. &c. Primum habetur *cap. ſuper, de teſtib.* Et *cap. Præterea, de ſponſal.* Eſtque Ratio; quià agitur de peccato vitando, ne aliquo impedimento impediti agant in contractu futuro Matrimonii contra Canones. Secundum conſtat ex *cap. 2. de Conſang.*

7. Dico ſextò: Ad diſſolvendum Matrimonium requiruntur duo teſtes jurati omni exceptione majores; nec ſufficit confeſſio utriuſque conjugis. Ita Zoës. Covarr. Sanch. Primum habetur *cap. 1. de Conſang.* Secundum conſtat ex *cap 3.* Et *5. de eo, qui cognovit.* Et eſt Ratio; quia conjuges confitendo adverſus Matrimonium, agunt in cauſa propria; agens autem in cauſa propria nequit teſtari pro eadem; utì tenet communis DD.

8. Dico ſeptimò: Regulariter accuſatio, & teſtificatio perſonaliter fieri, & proferri debet. Ita Gloſſa, Zoës. Pirh. &c. Et habetur *cap. A nobis 2. hoc tit.* Ratio eſt; quia ſecuriùs proceditur per accuſationes, & teſtimonia perſonalia præſentia; nam accuſatores, & teſtes faciliùs calumniari poſſunt per ſcripturam, quàm per voces, ſeu perſonalem præſentiam, *can. ult. cauſ. 2. q. 8.* Huic tamen diſpoſitioni Juris videtur longâ conſuetudine in quibusdam regionibus derogatum fuiſſe; utì advertit Gail.

TITULUS XIX.

De Divortiis.

CAP. UNICUM.

Variæ Resolutiones circa Divortia.

1. NOta primò : quoniam *præcedenti tit.* resolvit Papa, quinam possint, vel non possint accusare Matrimonium, & contra illud testificari in ordine ad instituendum Divortium ejus ; consequenter *hoc tit.* discurrit de ipso Divortio, id est separatione, seu dissolutione connubii. Accipitur autem Divortium à Canonibus dupliciter; aliquando pro dissolutione Matrimonii quoad vinculum substantiale ejus, *can. puto, caus. 32. q. 1.* tale contingit, quando separantur duo Conjuges propter aliquod impedimentum dirimens, præcedens contractum matrimonialem ; quo casu Judex Ecclesiasticus declarat Matrimonium eorum ob ejusmodi impediens fuisse statim ab initio nullum, unde & conjuges tales sunt separandi. Dixi *præcedens impedimentum dirimens* ; nam ob superveniens non potest institui Divortium. Aliquando accipitur pro dissolutione Matrimonii tantùm quoad thorum, & cohabitationem, ac mutua obsequia, *cap. significâsti 4. & aliis, hoc tit.* Et de Divortio in hac secunda usurpatione procedunt capitula istius tituli.

2. Dico primò : Divortium, proùt de eo hìc agitur, rectè describitur, quòd *sit legitima mariti, & uxoris separatio quoad thorum, cohabitationem, ac mutua obsequia, manente vinculo conjugali inter eos.* Ly *Separatio* est genus: reliqua ponuntur pro differentia.

3. Dico secundò : quamvis secundùm Jura Civilia ob certas causas, etiam extra casus impedimentorum dirimentium potuerit institui Divortium Christianorum, etiam quoad vinculum, & post consummationem Matrimonii ; secundùm tamen Sacros Canones non dissolvitur ullo casu verum legitimum, & consummatum Matrimonium ; præterquam in casu secutæ mortis alterius conjugis. Ita Vallens. & communis DD. Primum constat ex *toto tit. ff. de Divortiis.* Et *tit. Cod. de repudiis.* Unde ob longam captivitatem mariti, vel aliam gravem causam uxor Jure Civili poterat separari à viro, & transire ad alias nuptias. Secundum habetur *cap. Gaudemus, hoc tit.* Et *can. puto, ac aliis, caus. 32. q. 1.* Nam quod DEUS conjunxit, homo non separet, *cap. ult. de translat. Episcopi.* Estque Ratio ; quia Matrimonium repræsentat unionem Christi cum Ecclesia per charitatem, & per naturæ conformitatem ; quare sicut illa inter eos indissolubilis, ita & Matrimonium quoad vinculum debet esse indissolubile ; utì rectè notat Vallens. Quare ulteriùs

4. Dico tertiò : nequit validum institui Divortium, & dissolutio Matrimonii quoad vinculum ejus ob commissum adulterium duntaxat alterius conjugis. Ita communis DD. Catholicorum, contra Hæreticos recent. Hæc resolutio constat *primò* ex S. Literis, Marci 10. & Luc. 16. proferentibus indissolubilitatem præfatam Matrimonii, illis verbis *: qui dimiserit uxorem, & aliam duxerit, mœchatur.* Et 1. ad Cor. 7. *præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quod si discesserit manere innuptam; aut viro suo reconciliari.* Et ad Rom. 7. *quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi. Vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Secundò* idem constat ex Trident. *sess. 24. can. 7.* anathematizante oppositum dogma Hæreticorum. Oppositas rationes Erronum modernorum rectè solvit Zoës. *hoc tit.* & TT. passim in *4. Sent.*

5. Dico quartò : potest tamen conjunx innocens ob adulterium alterius reverà commissum, & probatum, instituere Divortium, seu separationem quoad thorum, & cohabitationem ; Ita Glossa, & communis DD. Et habetur *cap. Significâsti 4. hoc tit.* Quod si autem & conjunx priùs innocens fornicetur post separationem prædictam, tunc cessat Divortium factum, & Matrimonium redintegratur, ita ut conjuges separati sibi cohabitare teneantur, *cap. Ex literis 5. hoc tit.*

6. Dico quintò : potest etiam ritè institui Divortium, seu separatio thori, ac cohabitationis non tantùm propter adulterium alterius conjugis patratum, sed etiam ob exercitum quemcunque alium illicitum concubitum consummatum cum decisione seminis cum alia persona ; cujusmodi sunt Sodomia tam activa, quàm passiva ; & bestialitas completa : non item ob actum mollitiei cum alia persona commissum ; vel propter turpes tactus, & amplexus. Ita Sanch. Pirh. &c. Ratio primi est ; quia Divortium, seu separatio thori, & cohabitationis ritè fit tunc, quando alter

alter conjunx dividit carnem suam in aliam carnem, contra fidem Matrimonialem, explicatam Gen. 2. illis verbis; *erunt duo in carne una*. sicq; infertur notabilis injuria Matrimonio: contingit autem ejusmodi divisio carnis non tantùm per adulterium alterius conjugis; sed etiam per quemcunque alium illicitum concubitum Sodomiæ, vel bestialitatis: quare per ejusmodi concubitum potest ritè institui Divortium thori, & cohabitationis. Ratio secundi de mollitie, seu pollutione, tactibus, & amplexibus est; quia in hujusmodi actibus peccaminosis non fit divisio carnis propriæ in aliam carnem; neque infertur notabilis injuria Matrimonio; & consequenter ob eos nequit institui Divortium thori, & cohabitationis.

7. Dico sextò: Potest præterea etiam institui Divortium thori, & cohabitationis, si alter conjunx labatur in hæresim, vel gentilismum. Ita Glos. Vallens. &c. DD. Et constat ex *can. idololatria 5.* & *can. non solum 6.* Et ibi Glos. ver. *recede, caus. 28. q. 1.* Et *cap. fin. de convers. conjugat.* Et *cap. Quæsivit 2. hoc tit.* Quod statutum est propter periculum perversionis Catholici conjugis. Et quidem si uxor per judicium Ecclesiæ ob lapsum mariti in heresim, vel gentilismum se se separaverat à thoro, & cohabitatione ejusdem, non tenetur reverti ad eundem quando reversus fuerit ad Catholicam fidem; secùs si authoritate propria ab eo recesserat, uti habetur *cap. De illa 6. hoc tit.*

8. Dico septimò: Si unus conjugum alterum nitatur inducere, & pertrahere ad gravia peccata v. g. infidelitatis, poterit licitè institui Divortium thori, & cohabitationis. Ita Sanch. & communis DD. Et constat ex *cap. Quæsivit 2. hoc tit.* Estque Ratio; quia Jus naturale, & Divinum permittit, ut quisque periculum corporis evitare possit: ergo à fortiori periculum animæ: imò ad hoc tenetur; juxta illud Matth. 18. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Cæterùm præter periculum inductionis ad peccata, ob nullum aliud crimen, quantumvis grave præter fornicationem carnalem, & spiritualem, id est lapsum in hæresim vel infidelitatem, licitum est inter conjuges Divortium facere; uti constat ex *cap. 2. hoc tit.*

9. Dico octavò: Similiter, si unus conjugum nimiùm sæviat in alterum, ita ut periculum vitæ, & salutis corporalis ei immineat ex cohabitatione, permittitur metû passo institui Divortium, donec cesset periculum, & præstetur ipsi sufficiens cautio de malo in posterum non inferendo. Ita Vallens. Sanch. &c. Et constat ex *cap. Transmissa 8.* Et *cap. Litteras 13. de restit. spoliat.* Estque Ratio; quia non videtur ex quo capite quis obligetur cum ejusmodi periculo cohabitare Conjugi sævo.

10. Nota secundò: Divortium thori, seu separationem quoad thorum, & redditionem debiti potest conjunx innocens propriâ authoritate facere, negare alimenta, & dotem, statim ac certitudinem moralem obtinuit de alterius adulterio: at pro separatione quoad cohabitationem instituendam ex dicta causa, expectare debet Ecclesiæ judicium; uti habet Abbas, Armilla, Conink, Sà, &c. Et constat ex *cap. Porro 3. hoc tit.* Estque Ratio; quia talis separatio est publica, & potest generare scandalum, nisi Ecclesiæ judicio fiat. Idem dicendum de aliis casibus, in quibus ex dictis institui potest Divortium quoad thorum, & cohabitationem. Excipitur tamen casus, quò adulterium alterius esset omnino publicum, & notorium, *cap. significasti 4. hoc tit.* ob quod conjunx innocens propria authoritate recedere potest ab adultero.

11. Nota tertiò: Secutô Divortiô inter aliquos Conjuges liberi educari, & ali debent penes conjugem innocentem; & quidem expensis Patris, si is dedit causam Divortio: si verò mater eam dederit, tunc apud patrem expensis matris locupletis: excipe nisi pater non sit idoneus ad eos educandos; tunc enim apud matrem educari debent; uti habetur Authen. *si pater. C. Divortio facto.*

12. Dico nono: Potest etiam institui Divortium mutuo consensu conjugum ob causam honestam, & sanctam. Patet ex S. Augustino *Epist. 199. ad Ecdiciam.* ex S. Gregorio, Hilario, & aliis PP. qui passim laudant separationem Conjugum, factam mutuô consensu ob continentiam, quàm DEO voverant. Imò ipsemet Christus Matth. 19. eam recommendat dicens; *Omnis qui reliquerit Fratres, aut Sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut Uxorem &c.* Et Apostoli uxorati separârunt se ab uxoribus, sequentes Christum; ùt expressè docet D. Hieronymus *Epist. 50. ad Pamachium.* Et *lib. 1. adversus Jovinianum.*

13. Nota quartò: Causas honestas, & sufficientes pro instituendo Divortio mutuô consensu posse esse: Si scilicet perpetuam continentiam uterque Conjugum colere velit; uti habet *can. De Syracusanæ d. 28.* Item si unus suscipiat Ordinem sacrum, & alter ingrediatur Religionem, vel votum de colenda pariter continentia emittat: uti habet Concilium Agathense, *cap. 16.* Et *cap. Conjugatus.* Item si uterque Religionem velit intrare; juxta *cap. de Convers. Conjugat.*

14. Dico decimò: Potest quoque inter duos

duos Conjuges, quorum unus convertitur ad fidem Catholicam, & alter remanet Judæus, vel Infidelis Paganus, institui Divortium, quoad thorum; imò etiam quoad vinculum Matrimonii in certis circumstantiis. Ita Glossa, & TT. communiter. Primum constat ex *can. Judæi 10. cauf. 28. q. 1.* Estque Ratio; quia si Judæus, vel infidelis Paganus. cohabitaret uxori conversæ, subesset periculum perversionis ejusdem. Secundum habetur *cap. Quanto 7.* ubi dicitur, *si alter Conjugum* (scilicet infidelium, vel Judæorum) *ad fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia Divini Numinis, vel ut eum pertrahat ad peccatum mortale, ei cohabitare volente; qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit*; ac proinde consurgit inter tales Conjuges Divortium quoad vinculum Matrimonii in dictis circumstantiis. Et est Ratio; quia quamvis Connubium inter tales Conjuges olim contractum sit Matrimonium verum; non est tamen ratum; quia non repræsentat conjunctionem Christi cum Ecclesia *cit. cap. Quanto*; adeoque potest dissolvi etiam quoad vinculum, in dictis circumstantiis.

15. Dico undecimò: Si ambo conjuges infideles convertantur ad fidem Catholicam, nequeunt propterea instituere Divortium; sed tenentur simul permanere in connubio, etiamsi in gradu Jure Ecclesiastico prohibito contraxissent. Ita Zoës. & communis DD. Et constat ex *cap. Gaudemus 8. hoc tit.*

16. Dico duodecimò: Si quispiam Judæus secundùm permissionem legis veteris, priùs repudiâsset suam uxorem, & ducat aliam; deinde autem convertatur ad fidem Catholicam, debet cum secunda etiam post Baptismum facere Divortium, & adhærere primæ; si ea velit ipsi cohabitare, absque blasphemia Creatoris, & periculo perversionis; aut nisi fuisset fornicata. Ita communis DD. Et habetur *cap. Gaudemus 8. hoc tit.* Estque Ratio, quia cùm tale repudium legitimæ Uxoris Christus reprobaverit in Lege Evangelica Matth. 19. ideo non potest præfatus Judæus conversus licitè, & validè aliam uxorem, etiam post conversionem habere; nisi prima renuat, vel fornicata sit, vel cohabitet cum blasphemia Creatoris, vel periculo perversionis conversi.

17. Dico decimo tertiò: Si contingat aliquem Paganum ante suam conversionem habuisse plures uxores; post conversionem adhærebit tantùm primæ. Ita communis DD. Et determinatur *cap. Gaudemus 8. hoc tit.*

TITULUS XX.

De Donationibus inter virum, & uxorem; & de Dote post Divortium restituenda.

CAP. I.

De quidditate Dotis, & Donationum inter conjuges; earúmque valore; vel non.

1. Nota primò: Quando Judex Ecclesiasticus pronunciat sententiam Divortii, sive quoad vinculum, sive quoad thori separationem, & cohabitationem duntaxat; simul etiam pronunciare debet de Donationibus factis inter virum & uxorem propter nuptias; ac de Dote. Quare Papa *priori titulo* de Divortiis subnectit hunc de Donationibus propter nuptias; & Dote restituendis.

2. Nota secundò: Duplex potest attendi Donatio inter conjuges; una simplex; altera propter causam. *Prima* habetur, quando fit gratis, ac ex mera donantis liberalitate *L. 1. ff. de donat.* *Secunda* habetur, quando conjuges ob aliquam causam sibi aliquid dant; talis est donatio ante, vel propter nuptias, quam facit maritus suæ uxori propter Matrimonium in compensationem datæ sibi Dotis.

3. Dico primò: Dos describitur bene hìc, quòd *sit illa pecunia, quæ ab uxore, vel alio ejus nomine datur, vel remittitur marito pro sustinendis oneribus Matrimonii.* Ita constat ex *L. pro oneribus 20. C. de jure Dotium.* Hujusmodi Dos nequit repeti, quàm diu subsistit Matrimonium; nisi maritus labatur facultatibus *L. si constante ff. soluto Matrimonio.* Aut nisi ejus bona inferantur Fisco *L. si marito, de repudiis.*

4. Dico secundò: constante Matrimonio invalida est Donatio simplex facta liberalitatis causâ inter virum, & uxorem. Ita communis DD. Et habetur *L. 1. 2. & 3. ff. de Donat. inter vir. & uxor.* ubi textus etiam affert Rationem; ne scilicet conjuges mutuo amore se invicem

invicem spolient profusâ in se liberalitate. Et ne contingat separari Matrimonia, si forsitan is non præstet aliquas Donationes qui potest; sicque Matrimonia evadant venalia; & conjugalis amor pretiô conciliari videatur. Et procedit conclusio etiam de Donationibus, quæ ante contractum matrimonialem fiunt; sed ejus effectus differtur in tempus contracti Matrimonii, *L. quod Sponsæ 4. C. de Donat. ante nupt.*

5. Nota tertiò: censetur autem illa Donatio simplex duntaxat inter virum, & uxorem facta esse invalida, ex qua donans fit pauperior, & recipiens locupletior; unde à contrario sensu, si donans fiat locupletior, & accipiens pauperior, valebit talis Donatio; uti notat Abbas, De Nævo, Pirh. &c. Fit verò donans pauperior tunc, quando donat de sua substantia taliter, ut imminuatur suum patrimonium, *L. si Sponsus 5. §. si maritus ff. hoc tit.* Unde si maritus faciat Donationes de patrimonio necdum acquisito, seu donet tantùm illa, quæ potest acquirere: v. g. si repudiet aliquam hæreditatem Donationis causâ, ut ea conferatur suæ uxori substitutæ; valet hujusmodi Donatio: uti advertit De Nævo: nam hoc casu non censetur maritus fieri pauperior.

6. Dico tertiò: Donationes, quas faciunt sibi mutuò conjuges remunerationis causâ, non sunt invalidæ, nec prohibitæ; uti nec Donationes causâ mortis factæ. Ita Abbas, Sanch. &c. Primum constat ex *L. quod mater 7. §. si vir ff. hoc tit.* Estque Ratio; quia hìc fit mutua compensatio. Secundum patet ex *L. si eum 9. in fine, & seq. ff. hoc tit.*

7. Dico quartò: Donationes simplices invalidæ inter conjuges factæ convalescunt tribus modis: *primò*, morte naturali donantis: *Secundò*, morte etiam civili ejusdem: *Tertiò*, si Donationi accedat juramentum alterius conjugis donantis de ea non revocanda. Ita Azor. Mol. Sanch. &c. Primum habetur *cap. ult. hoc tit.* Et L. *Papinianus 23. ff. eod.* Estque Ratio; quia in Donationibus factis causâ mortis cessat causa, ob quam Leges prohibuêre Donationes simplices inter conjuges, ne scilicet se invicem spolient mutuo amore profusâ in se liberalitate. Secundum patet *arg. L. sed si mors 13. ff. hoc tit.* Estque Ratio; quia mors civilis v. g. ejectio in exilium donantis æquiparatur morti naturali. Non autem convalescit hujusmodi Donatio, si donans efficiatur servus hominis *L. Cùm hic status ff. hoc tit.* Ratio tertii est; quia Donatio facta inter conjuges favore Religionis, & piæ causæ confirmatur; adeóque etiam juramentô munita, cujus magna est Religio. Plura de Donationibus Conjugum vide *lib. 3. tit. 24. cap. 2. Concl. 3. & notab. 1.*

CAP. II.

De Dotis Restitutione.

1. Dico primò: si contingat dissolvi Matrimonium ex justa causa tunc Dos debet restitui mulieri; uti & Donatio propter nuptias viro. Ita Zoës. Vallens. Abbas, &c. Primum habetur *cap. Mulieres 1. hoc tit.* Estq; Ratio; quia Dos est accessorium quid ad nuptias; datur enim ad illius onera sustinenda, *cap. Salubriter 16. de usuris*; quare si dissolvatur Matrimonium, Dos restituenda est mulieri. Secundum constat *cit. cap fin.* ver. *sanè.* Quæ procedunt, nisi vel pactis specialibus Conjugum de lucranda Dote, ac Donatione, vel consuetudine aliter sit introductum, *cit. cap. fin.*

2. Dico secundò: si contingat fieri Divortium, non tantùm Dos à viro restituenda est mulieri; sed etiam ultra Dotem omnia bona, seu lucra, quæ constante Matrimonio communiter acquisita sunt utrique conjugi, æqualiter in eos sunt dividenda. Ita Glossa, & communis DD. Et habetur *cap. Significavit 2. hoc tit.*

3. Dico tertiò: illi, qui cum notitia impedimenti dirimentis contraxêre Matrimonium, & postea instituunt separationem, perdunt ea omnia, quæ sibi mutuò donârunt, & ea sibi Fiscus vendicat; nisi per errorem, vel minorem ætatem excusentur. Ita Vallens. Glossa, & communis DD. Et habetur *cap. Necesse 5. hoc tit.* Et *L. qui contra 4.* Et *Authent. incestus C. de incest. nupt.*

4. Dico quartò: quando fit Divortium ob adulterium à muliere commissum, ipsa perdit Dotem, illáque cedit marito. Ita Glossa, & communis DD, Et habetur *cap. Plerumque 4. hoc tit.* Sed si reconcilietur ejusmodi adultera marito suo, suam Dotem non perdit: censetur enim vir factâ reconciliatione remittere injuriam, proùt eandem valet remittere, *cap. 3. de adult.* similiter si maritus consentit in adulterium Uxoris; aut ipse leno fuit, & illam prostituit, tunc non lucratur Dotem ejus: etsi conventus ab Uxore excipiat de adulterio, ipsa

ipsa replicabit de Lenocinio *L. mulier 47. ff. solut. Matrim.*

5. Nota primò: si conjuges habeant proles ex eodem, vel alio Matrimonio; tunc secutô Divortiô ob adulterium uxoris nec maritus lucratur Dotem; nec uxor Donationes propter nuptias; sed ea reservantur prolibus adulteræ post mortem uxoris: dum autem vivit maritus, ad ipsum spectat ususfructus; uti habet Farinac. Pirh. &c. DD.

6. Nota secundò: si uxor efficiatur hæretica, & propterea fiat Divortium; Dos non cedit marito; sed Fisco: uti habet Covarr. & Zoës. Ratio est; quia talis mulier non tam in conjugem, quàm in Rempubl. peccat suo lapsu in hæresim; quare is ab eadem Republica meritò vindicatur per Dotis confiscationem. Et facit pro hac resolutione *L. 3. ff. de bon. damnat.* ubi ob crimen læsæ Majestatis Dos adducitur Fisco. Et *cap. Vergentis, de hæret.* ubi simpliciter Fisco deferuntur bona hæreticorum.

TITULUS XXI.

De Secundis Nuptiis.

CAP. UNICUM.

Resolutiones circa Secundas Nuptias.

1. Nota primò; factô Divortiô Matrimonii quoad vinculum, sæpiùs transitur ad secundas nuptias, seu nova Matrimonia: unde Papa meritò *hunc* addit *tit.* de secundis nuptiis. Et intelliguntur hìc nomine *secundarum nuptiarum* non tantùm illæ, quæ celebrantur immediatè post primas; sed quæcunque subsequentes; etiam tertiæ, quartæ, quintæ, &c.

2. Dico primò: Ecclesia permittit, & approbat secundas nuptias, quotiescunque illæ fiant secundùm ordinationes Sacrorum Canonum, & evacuatô penitus primô Matrimoniô. Ita communis DD. Et constat ex *can. aperiant. 11. & seq. caus. 31. q. 1.* Et fundatur hæc permissio, ac promissio Ecclesiæ in Epist. Divi Pauli *ad Romanos*, 7. ubi habentur sequentia; *quæ sub viro est mulier, obligata est legi; si autem mortuus est vir, soluta est à lege viri.* Et ejusdem Epist. *1. ad Cor. 7.* ibi; *si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat.* Estq; Ratio; quia expedit concedere secundas nuptias, ne vidui proclives ad fornicationem, incidant in incontinentiam. Quare meritò damnantur Hæretici Montanistæ, ac alii ejusdem malæ farinæ, contrarium conclusioni asserentes, *cap. ult. & penult. hoc tit.*

3. Dico secundò: ob solam absentiam diuturnam alterius Conjugis non dissolvitur Matrimonium quoad vinculum; quare præsens nequit inire secundas nuptias; nisi postquam certò constat de morte absentis conjugis. Ita communis DD. Et habetur *cap. Dominus 2. hoc tit.* Quòd si tamen conjunx dubius tantùm de morte prioris conjugis defactò transiret ad secundas nuptias; talis nullô modô potest petere debitum; reddere autem tenetur, *cit. cap. 2.* Et si postea priorem conjugem adhuc vivere constiterit, relictis adulterinis complexibus ad illum priorem conjugem tenetur reverti, *cit. cap. 2.* Estq; Ratio; quia Matrimonium primum legitimè celebratum non nisi morte dissolvitur inter Christianos, *can. 1. & 2. caus. 32. q. 7.*

4. Dico tertiò: secundùm priscum Jus Civile mulier fiebat infamis, aliásque pœnas incurrebat, quæ transibat ad secundas nuptias intra primum annum luctûs post obitum viri: verùm secundùm Jus Canonicum, cui hìc standum est, quævis mulier citra omnem infamiam nubere potest etiam intra annum luctûs. Ita Glossa, Vallens. Pirh &c. Primum constat ex *L. 1. 2. 4. & 11. C. hoc tit.* ubi recensentur quinque pœnæ infligendæ mulieribus, intra annum luctûs nubentibus; *prima* est; quòd infamiam contrahat. *Secunda* quòd nequeat secundo viro dare Dotem. *Tertia* quòd sit expers cujuscunque hæreditatis, legati, & fideicommissi. *Quarta* quòd privetur omnibus relictis à viro in ultima voluntate quoad proprietatem, & usumfructum. *Quinta* quòd teneatur medietatem bonorum dare filiis prioris Matrimonii: quæ pœnæ statutæ sunt, ut evitetur turbatio sanguinis per secundum Matrimonium, & incertitudo prolis. Secundum statuitur *cap. Super illa 4.* Et *cap. Cùm secundum 5. & ult. hoc tit.* Et fundat se Jus Canonicum in *citatis suprà Epist.* D. Pauli.

5. Dico quartò: Secundæ tamen nuptiæ non debent à Sacerdote solemniter benedici, si uterque, vel alter conjunx in primis nuptiis

accepit benedictionem. Ita Glossa, & communis DD. Et habetur *cap Capellanum 1.* Et *cap. Vt autem 3. hoc tit.* Estq; Ratio; quia non convenit eandem personam bis benedici; cùm aliæ solennes benedictiones rerum, ut Ecclesiæ, altarium, virginum, non iterentur: aliàs vilescerent.

6. Dico quintò: Sacerdos benedicens secundas nuptias incurrit pœnam suspensionis ab officio, & beneficio. Ita Glossa, Sanch. Pirh. &c. Et habetur *cap. 1. hoc tit.* Non tantùm pœna infamiæ; sed etiam aliæ quatuor suprà relatæ hodie evacuatæ censentur per contrarium statutum Ecclesiæ, permittentis secundas nuptias etiam intra annum luctûs; uti notat Zoës.

Finit IV. Decretalium D. Papæ Gregorii IX. quem humiliter quoque submitto Judicio S. Sedis Apostolicæ.



LIBER V. DECRETALIUM D. GREGORII PAPÆ IX.

PRÆFATIO.

QUoniam Summus Pontifex Lib. II. Decretal. *egerat de ordine judiciario, seu de ritè instituendo, & terminando judicio in decidendis causis civilibus, quatenus pertinentibus ad forum Ecclesiasticum civile; easdémque causas ventilavit in* III. *&* IV. Decret. *Tandem* hoc V. *tractat de ordine instituendi judicium Ecclesiasticum pro terminandis causis criminalibus; & easdem quoque causas, seu delicta discutit; pœnásque pro ipsis taxat. Unde cum eodem proponitur*

TITULUS I.

De Accusationibus; Inquisitionibus; & Denunciationibus.

CAP. I.

De Quidditate, & Forma Accusationis.

1. NOta primò: juxta communem DD. sensum causæ criminales tribus modis agitantur, & iisdem criminalia Ecclesiastica judicia instituuntur; videlicet per Accusationem, per Inquisitionem, & per Denunciationem; utì constat ex *cap. Licet Heli 31. in prin. de Simon.* Et *cap. Qualiter 24. hoc tit.* Neque conceditur Judici per aliam procedere viam; aut privatâ notitiâ, vel arbitriô decidere lites. Circa primum modum

2. Dico primò: rectè describitur Accusatio, quòd *sit declaratio legitima alicujus criminis apud competentem Judicem, vindictæ publicæ causâ.* Hæc descriptio colligitur ex *L. fin. C. de accusat.* & eandem sequuntur Zoës. Vall. Clarus &c. DD. Ly *delatio* est genus; reliqua ponuntur pro differentia. Et ista descriptio convenit Accusationi publicæ (de qua potissimè hic agitur) & in qua agitur ad vindictam publicam criminis. ut videlicet Reus castigetur corporaliter, ac tali exemplô populus deterratur à patrandis criminibus. Accusatio autem privata sic bene describitur, quòd *sit actio legitima coram competente Judice facta de vindicanda aliqua privata injuria, sibi, vel suis illata*; utì notat Zoës. & Farin.

3. Dico secundò: Accusatio criminalis debitè

bitè instructa est licita. Ita Zoës. Pirh. & communis DD. Et est Ratio; quia hæc conducit ad publicam utilitatem, & Reipublicæ tranquillitatem, quam consequimur repressis criminalibus personis, seu malefactoribus; *can. non frustrà.* Et *can. Regum, cauf. 23. q. 5.* Quare Accusatio criminalis debitè instructa non continet peccatum, quando abest rancor, & odium; *can. Officia, cit. cauf. & q.* Estq; Ratio; quia nemo tenetur remittere injuriam absque satisfactione.

4. Nota secundò: ut autem Accusatio debitè fiat, debet legitima forma ejus, seu libelli accusatorii servari, & observare sequentes conditiones. *Primò* debet Accusatio criminalis, seu libellus criminalis continere nomen Judicis, coram quo agitatur crimen commissum; ea de causa, ut sciatur an sit competens, *L. 3. libellorum 3. ff. de accusat.* *Secundò* pariter continere debet nomen Accusatoris,& accusati, *cit. L. 3.* quòd si nomen accusati ignoretur, sufficit in libello ejus habitum,officium, & alias circumstantias describere; utì notat Vallens. *Tertiò* idem libellus continere debet speciem criminis patrati, v. g. homicidii, vel adulterii, *cit. L. 3.* Et est Ratio; quia super ejusmodi speciem fundatur intentio accusatoris. *Quartò* in eodem libello exprimi debet tempus, seu annus,& mensis commissi criminis, *cit. L. 3.* Item locus in quo commissum fuit crimen; utì habet Clarus, Vallens. & *L. 3. cit.* Ratio etiam horum omnium est; quia absque allegatione temporis præfati, & loci accusatio redditur incerta, & Reo adimitur facultas faciendi suas debitas defensiones, petendas ex circumstantiis temporis, & loci, ad convincendos testes sibi oppositos,& probandam negativam, ad locum, & tempus determinatam; utì rectè ex Claro observat Pirh.

5. Nota tertiò: in libello tamen criminali non tenetur necessariò accusator exprimere diem, & horam, quibus crimen commissum fuit; utì habetur *cit.* L. 3. Et est Ratio; quia aliàs nimiùm arctaretur potestas accusandi; sicque plura crimina defectu advertentiæ ad diem, & horam,manerent impunita,cum præjudicio tranquillitatis,& utilitatis publicæ. Et quia diei, ac horarum quis facilè oblivisci potest. Si tamen Reus instaret pro assignatione diei, & horæ, ut negativam restrictam ad præcisum tempus diei, & horæ faciliùs probare possit, ostendendo se, tali die, vel horâ fuisse in alio loco, remoto à loco delicti; tunc accusator diem,& horam assignare debet in libello, *L. optimam, C. de contrah. stipul.*

6. Nota quartò: requiritur præterea, ut in libello criminali exprimantur personæ, si quæ fuerunt, cum quibus, vel in quas perpetratum fuit tale crimen; utì notat Vallens. Requiritur quoque inscriptio seu subscriptio accusatoris, distinctè apposita eidem libello, quâ is se subscribit ad subeundam pœnam talionis, si in probando crimine defecerit, *cit.* L. 3. *libellorum.* Et L. *ult. C. de accusat.* quâ promittit se prosecuturum accusationem usq; ad finem sententiæ, *L. si cui 7. ff. eod.* Quæ conditio libelli à Legibus præscripta est, ut refrænetur temeritas accusatorum, *cit.* L. 7. Et homines deterreantur à calumniis, *L. pen. C. de accusat.* Notat tamen Clarus, Felin. Vallens. & Pirh. hanc conditionem subscriptionis ad pœnam talionis hodie in foro sæculari jam abiisse in desuetudinem; eò quòd homines per eam multùm retraherentur ab accusando, nolentes in se recipere onus probandi cum tanto periculo. In foro tamen Ecclesiastico adhuc viget, & est necessaria; utì constat ex *cap. Super his 16.* Et *cap. Qualiter 24. hoc tit.*

7. Nota quintò: si contingat in libello omissam fuisse aliquam ex præfatis necessariis conditionibus, adhuc in vigore existentibus; tunc nomen Rei aboletur, & fit potestas ex integro repetendi Reum, *cit.* L. 3. *libellorum.*

CAP. II.

De Personis habilibus; & inhabilibus ad accusandum.

1. NOta primò: de personis habilibus, & inhabilibus ad accusandum, vide primò, quæ dixi *tom. 1. hujus operis lib. 2. tit. 1. cap. 3.* agendo de judiciis in communi. Deinde cape sequentes resolutiones pro judicio particulari criminali, de quo *hic tit.* procedit. Unde

2. Dico primò: Omnes illæ personæ de populo possunt criminaliter accusare crimen publicum, quæ à Legibus ab ejusmodi actione instituenda expresse non repudiantur. Ita Glossa, Clarus, Vallens. Engel. &c. Et constat ex *L. qui accusare 8. ff. de accusat.* Estque Ratio; quia eæ actiones, quæ à Legibus non prohibentur, singulis concessæ videntur *cap. 2.* junctâ Glossâ, ver. *non incurritur, de transl. Episc.* Et L. *ab ea 5. ff. de probat.* Cæterum utroque Jure variæ personæ repudiantur ab accusando criminaliter. Quare

3. Nota secundò: Imprimis Laicus nequit criminaliter accusare Clericum; ita habetur *can. 1.* Et *can. 2.* Et *can. 3.* Et *can. 8.* Et *can. 13. cauf. 2. q. 7.* Et *cap. cum P. 10. hoc tit.* Quod sancitum est propter reverentiam, quam Clericis tanquam suis Pastoribus debent. Lai-

ci: & propter odium, quô plures Laici persequuntur Clericos; ut dicitur *cit. can.* Et *cap. 3. de immunit. Eccles. in 6.* Ad prosequendam tamen injuriam sibi, vel suis illatam conceditur Laico accusare Clericum, *cap. De cætero 14. de testib.* Uti & in criminibus excessivis, ac atrocibus, v. g. læsæ Majestatis, sacrilegio, hæresi, simonia, *cap. 5. hoc tit.* Et *can. sanè 4. caus. 15. q. 3.* Et *cap. Tanta 7. de simon.*

4. Nota tertiò: Præterea etiam Clericus nequit criminaliter accusare Laicum; *can. Sicut 6. caus. 2. q. 7.* Et Ratio assignatur in *can. si quis 50. cit. caus.* quia accusatio est genus illaudabilis intentionis; quare Clericus eam exercere non debet. Et quia Clericus non debet se immiscere sæcularibus negotiis, *tot. tit. ne Clerici, vel Monachi &c.* Et tandem quia Clericus criminaliter accusans, si agatur de inferenda morte vel mutilatione, fieret irregularis.

5. Nota quartò: Repudiatur quoque à potestate accusandi criminaliter ille inimicus accusati qui laborat gravi, vel capitali inimicitia erga eundem; uti & cohabitans tali inimico; ita habetur *cap. Repellantur 7.* Et *cap. Meminimus 13. hoc tit.* Estque Ratio primi; quia capitalis, seu gravis inimicus præsumitur accusare potiùs privatæ vindictæ causâ, quàm zelô justitiæ. Ratio secundi est; quia cohabitantes inimico, ob continuam familiaritatem cum eo censentur esse amici accusatoris, & inimici accusati *can. 1. dist. 93.* Gravis porrò, & capitalis inimicitia tunc censetur adesse in accusatore, si is vitæ, vel majori parti bonorum accusati insidiatus fuerit; vel si eundem alia vice per calumniam de gravi crimine accusaverit, *cap. 10. hoc tit.* Et repudiatur inimicus gravis non tantùm ab accusatione; sed etiam ab exceptione voluntaria, *cap. Meminimus 13. hoc tit.*

6. Nota quintò: Similiter rejicitur ab accusando criminaliter in illa causa is, qui tulit testimonium in eadem causa; uti habetur *cap. cum P. 10. hoc tit.* Estque Ratio; quia ex tali testimonio præsumitur orta fuisse inimicitia inter testem, & accusatuum. Sed nec Frater Fratrem regulariter accusare permittitur in causa gravi criminali; uti constat ex *L. si magnum 13. C. de his, qui accus. pos.* ubi Fratri accusanti Fratrem pœna exilii statuitur: nimis enim inhumanum videtur, ut Frater Fratris publicam desideret damnationem. Conceditur tamen Fratri accusatio adversus Fratrem, quando hæc necessaria est ad conservandam propriam vitam; ut quia Frater Fratri molitur insidias vitæ, *L. propter insidias C. cit.*

7. Nota sextò: Præterea accusare prohibetur mulier, ob sexûs verecundiam, & fragilitatem, quâ facilè inducitur ad habendum odium, vel amorem, *L. 1.* Et *L. qui accusare 8. ff. de accusat.* Similiter prohibetur pupillus per se accusare, L. *cit. 8. ff. de accusat.* Et *can. prohibemur 14. caus. 2. q. 1.* Et hoc ob defectum ætatis. Item miles, nè distrahatur à militia. Et Magistratus, nè distrahatur ab officio. Et suspectus de calumnia, seu corruptus, eò quòd falsum testimonium subornatus dixerat aliquando; talis enim præsumitur corruptus pecuniâ; Item infames, ac criminosi; uti habent variæ leges *cit. tit. qui accusare ff. de accusat.* Et de infamibus, ac criminosis idem habet *can. infames 17. caus. 6. q. 1.* Præfatæ tamen omnes personæ possunt accusare, quando necesse est prosequi injuriam suam, vel suorum, *L. si tamen, ff. eod. tit.* Et in criminibus exceptis, ut læsæ Majestatis *L. famosi 7. ff. ad leg. Jul. Læs. Majest.*

8. Nota septimò: Repudiantur quoque ab accusando criminaliter Pagani; Judæi; & hæretici respectu Christianorum, & Catholicorum, *can. Pagani 25. caus. 2. q. 7.* Item liberi, liberti, vasalli, & à tenera ætate alimentati, respectu suorum parentum, patronorum, & alimentatorum; uti habet *L. qui accusare 8. ff. de accusat.* Engel. Hi tamen civiliter convenire possunt suos Parentes, Patronos, & alimentatores, si ab eis jacturam rerum suarum patiantur; juxta L. *si quis 5. ff. ad L. Jul. de vi privat.* Item criminaliter accusare nequeunt excommunicati excommunicatione majori, *cap. Intelleximus, 7. de judic.* Et *cap. 1. de exception. in 6.* Item accusatus criminaliter pendente accusatione nequit reaccusare accusatorem suum in pari, vel minori crimine; nisi suam, suorúmque injuriam prosequatur, *L. 1. & 6. C. de his qui accusare non possunt.*

9. Nota octavò: Monachi possunt criminaliter accusare suum Prælatum, committentem aliquod crimen; uti constat ex *cap. Ex parte 11. hoc tit.* hi tamen pendente lite tenentur eidem adhuc obedire; uti habet Pirh. Cæterùm alias personas extra Ordinem nequeunt Monachi accusare criminaliter; uti constat ex *cit. cap. 11.* Cùm censeantur mortui mundo, & respectu extraneorum non habere ullum velle, ac nolle; ùt notat Glossa. Possunt tamen, & hoc facere, si consensus Abbatis accedat; vel Monasterii utilitas id petat, *can. Monachi 3. caus. 16. q. 1.* Arcetur & valde pauper homo à criminali accusatione, L. *nonnulli 10. ff. de accusat.* Ratio est; quia notabilis egestas sæpe cogit ad illicita. Si tamen pauper esset aliàs vir bonæ, & honestæ vitæ, admitti poterit ad accusandum; uti notat Glossa.

sa. Item removetur suspectus de quæstu turpi; ut qui duo judicia adversùs duos Reos subscripta habet, nummósque ob accusandum, vel non accusandum accipit; ùt notat Vallens. & Clarus. Quidam DD. etiam rejiciunt ab accusando socios criminis; delatos; sortilegos; Principes; & Clericum respectu suæ Ecclesiæ.

CAP. III.

Varia circa accusationem resolvuntur.

1. NOta primò: Ad formandam accusationem criminalem nemo invitus cogi potest, nec ad hoc obligatur; argum. *can. si quem pœnituerit.* Et *can. si quis iratus, caus. 2. q. 3.* nisi crimen vergat in damnum spirituale, vel temporale Reipublicæ; vel alia ratione impediri nequeat, nisi instituatur processus criminalis contra Reum; utì habet Pirh. Sylv. &c. Potest etiam accusator ante libelli oblationem, & subscriptionem ab accusando desistere: quo casu ei imponendum est perpetuum silentium, ne deinceps eundem in eodem crimine accuset, vel infamet, *cap. Licet 14. hoc tit.* Post autem factam subscriptionem cogitur accusator prosequi accusationem; nec impunè citra abolitionem desistere valet; utì constat ex *L. quæsitum 5. ff. ad S. C. Turpill.* Quòd si accusator post accusationem jam inchoatam deprehendat se errâsse, eò quòd falsò putaverit accusatum esse Reum de tali crimine; tunc tenetur desistere ab accusando; utì habet Less. Pirh. &c. DD. Et si accusator non compareat in termino à Judice dato pro comparendo, ampliùs non est audiendus; nisi legitimam causam afferat suæ absentiæ, *can. quisquis unic. caus. 4. q. 5.*

2. Nota secundò: In causis criminalibus, ubi Reo condemnato pœna capitalis, vel alia corporalis infligenda est, ad accusandum, & defendendum Reum regulariter non admittitur Procurator; utì constat ex *can. 2. caus. 5. q. 3.* Et *L. pen. ff. ad crimen. ff. de public. judic.* Estque Ratio; quia aliàs de facili judicium criminale redderetur elusorium, contra *L. si Prætor 75. ff. de judic.* si tamen Reus sit Monialis; vel Universitas, quæ comparere individualiter nequeunt; vel si Reus detineatur in carcere extra territorium Judicis; tunc Procurator admitti potest; utì habet Glossa, Bart. Clarus, &c. plures alios casus à priori regula exceptos quoque, assignat Barbosa; & alii DD. In causis tamen criminalibus, ubi sola pœna pecuniaria, vel similis imponitur, potest intervenire Procurator, *L. 1. ff. an per aliam causam appell.*

3. Nota tertiò: In judicio criminali accusatorio, quando utraque pars, id est accusator, & Reus sunt præsentes, proceditur eôdem modô, quô in civili: præterquam *primò*, quòd in criminali non sit necessaria conclusio in libello ad certam pœnam; quia probato crimine, pœna secundùm leges imponi debet; utì habet Clarus, Pirh. &c. *Secundò*; quòd in criminali necessariæ sint evidentiores probationes, *L. ult. C. de probat.* *Tertiò*, quòd Reo concedenda sit libera defensio, quamvis appareat, causam ejus non esse justam; & quidem etiam post causæ conclusionem, ut notat ex Wesenbec. Pirhingus. Quando verò in judicio criminali Reus est contumaciter absens, non potest contra eum fieri sententia definitiva condemnatoria secundùm Jura Civilia, *L. absentem 5. ff. de pœnis.* Secundùm verò Canonica, si liqueat de delicto lite contestata, potest ejusmodi sententia pronunciari; utì patet ex *can. Decernimus 10. caus. 3. q. 9.* quod procedit, si possit sententia executioni mandari: nam si non possit; quia v.g. pœna in sententia dictata est corporalis, v.g. incarceratio, vel mors; tunc etiam nō debet ferri talis sententia contra absentem; cùm ejus latio sit frustranea.

4. Nota quartò: Non quævis persona potest accusari Et *primò* contra mortuos nequit fieri accusatio, *L. 20. hoc tit.* Et *L. fin. ff. ad Leg. Jul. Majest.* *Secundò* nec pupilli minorennes 14. aññis, furiosi, & mēte capti, rectè accusantur; his enim delicta non imputantur, ob rationis defectum, *L. infans 12. ff. ad Leg. Corn. de siccariis.* Et *L. dives 14. ff. de Offic. Præsid.* Minorennes verò majores 14. annis, & pupilli proximi pubertati, ac doli capaces accusari quidem possunt; sed pœna eisdem interdum habitâ ætatis, & pudentiæ consideratioe pro Judicis discretione mitigatur, *L. auxilium, ff. de minoribus.* *Tertiò* semel accusatus, & absolutus per Judicem, nequit rursus accusari de eodem crimine; de delicto enim unius hominis sæpius quæri non potest, *L. si cui §. 1. ff. hoc tit.* Et *L. licet ff. ult. ff. nautæ, caupones &c.* nisi secundus accusator prosequatur suam injuriam, & doceat, se primam accusationem ignorâsse; vel primum accusatorem prævaricatum fuisse, *L. 1. cit.* Et *L. si quis 11. C. eod.* *Quartò* sed nec contra illos accusationes cudi possunt, qui jam ante complures annos illa crimina patraverant; utì habet Engel; ita enim omnia delicta carnis regulariter abolentur lapsu quinquennii, *L. mariti §. 6. mensium.* Et *§. quinquennium*

nium ff. ad Leg. *Jul. de adult.* exceptô crimine raptûs; & adulterii incestuosi; vel violentæ oppressionis, quæ 20. annos pro sui abolitione requirunt, *L. vim passa §. præscriptione ff. ad Leg. Jul. de adult.*

5. Nota quintò: Similiter *quintò* Legati Imperatoris, & Reip. Provinciarum, ac Magistratus durante eorum officio non possunt accusari L. *hos accusare 12. ff. de accusat.* nisi circa officium delinquant; aut crimen sit notorium; in reliquis autem differtur accusatio usque ad depositionem Officii; datâ interim cautione de judicio, L. *si adulterium §. ult. de adult.* sed nec Reges, nec Imperatores, nec Papa, ob dignitatem suam accusari solent; uti habet Hostiens. Pirh. & Vallens. *Sextò* etiam absentes à judicio de capitali crimine accusari nequeunt, *L. absentem 6. C. de his qui absent.*

6. Nota sextò: Cæterùm regulariter loquendo omnes alii, præter exceptos in *prior. 2. notab.* delinquentes possunt criminaliter accusari de quibuscunque delictis; tam liberi, quàm servi; & sine sexûs differentia, dummodo præditi sint usu rationis; uti notat Clarus, Pirh. Wesenb. & alii DD. Effectus porrò accusationis criminalis sunt sequentes. *Primò*, quòd Reo post factam debitam probationem criminis, infligatur pœna, à Lege statuta, quando aliqua statuta est: aut alia condigna, v. g. Sacerdoti totâ nocte potitanti, & non jejunè sacrificanti, privatio beneficii; uti constat ex *cap. Si constiterit 12. hoc tit. Secundò*, quod pendente accusatione accusatus de aliquo gravi crimine, nequeat promoveri ad ullam dignitatem, vel honorem; uti constat ex *cap. Omnipotens 4. hoc tit.*

7. Nota septimò: Si petenti immissionem in aliquod beneficium Ecclesiasticum, objiciatur per accusationem crimen aliquod grave, v. g. homicidium; tunc si de tali crimine non sit publicè infamatus, collatio beneficii & immissio in beneficium fieri poterit: si autem publicè de crimine ejusmodi sit diffamatus, & accusator illud probaverit, non debet immitti in illud beneficium, *cap. accedens 23. hoc tit.* Et si jam immissus sit, eô privandus est, *cap. Post electionem 7. de conc. preb.* si verò accusator non probaverit crimen objectum, Reus absolvendus est. Et si accusator non compareat, accusatus ampliùs non gravetur, *cit. cap. 7.*

8. Nota octavò: Accusatio criminalis variè extinguitur. *Primò* morte accusatoris ante latam sententiam, ita ut hæredes eam prosequi non valeant, L. *libellorum 3. §. fin. ff. de accusat.* Nisi Judex ex officio eam vellet prosequi; uti patet *L. pen. ff. de pub. judic. Secundo* præscriptione, post elapsum scilicet tempus 20. annorum à die commissi criminis, L. *querela 12. C. ad Leg. Corn. de falsis.* quod procedit de criminibus illis duntaxat, quæ semel patrata cessant deinceps: non de continuatis, ut hæresi, vel apostasia continuata. *Tertiò* morte Rei, ita ut ab hæredibus pœna etiam pecuniaria non possit exigi, si sententia condemnatoria ante mortem non sit finita, L. *ex judiciorum 20. ff. de accusat.* Et *L. defuncto 6. ff. de pub. judic.* Nisi crimen fuisset de exceptis, ut læsæ Majest. hæresi, &c. in quibus pœna confiscationis bonorum infligi potest, etiam post mortem, cum hæredum damno; uti habet Farin. Clar. &c.

CAP. IV.

De Inquisitione.

1. NOta primò: Quoniam sæpius homines refugiunt Accusationes, ne onus probandi crimina in se recipere cogantur; & quia metuunt, ne defecturi in probationibus se se exponant pœnæ talionis; propterea ne delicta cum ingenti Reipublicæ damno maneant impunita, Leges ordinârunt, ut Judex ex mero officio instituat Inquisitionem in notabiles malefactores, v. g. sacrilegos, latrones, homicidas, fures, &c. quare L. *congrui 13. de officio Præsidis* jubetur, Præses Provinciæ malos homines conquirat, puniátque. Et in *Novell. 128. §. jubemus*, mandat Imperator, ut Magistratus per se requirant malefactores.

2. Dico primò: Rectè describitur Inquisitio, quòd *sit investigatio criminis manifesti, à Judice competente instituta, præcurrente famâ, vel alia justâ causâ.* Ita habet Hostiens. Zoës. Vall. &c. Ly *investigatio* est genus; reliqua ponuntur pro differentia.

3. Nota secundò: Secundùm Vallens. Engel, & alios DD. Duplex datur Inquisitio, videlicet generalis, & specialis. *Inquisitio generalis est*, quæ de nulla certa persona instituitur; sed ex officio fit; & generaliter de toto aliquo loco, vel districtu investigatur; talis est; si Episcopus ex officio visitet Diœcesim; vel Provincialis suam Provinciam, inquirendo, an non committantur in ea delicta: & de hujusmodi Inquisitione procedit *cap. Grave 29. de Preb.* Et *cap. sicut olim 25. hoc tit. Specialis* est, quæ instituitur de certa aliqua persona criminosa, v. g. de Clelio homicida. Et de hac potissimè agitur hìc, & est descripta *concl. 1.*

4. Nota tertiò: Ad Inquisitionem specialem

cialem ritè instituendam requiruntur duo. *Primum*, ut præcedat diffamatio, non à malevolis, & paucis; sed à providis, honestis, gravibus, & pluribus viris, qui talem personam de crimine tali v.g. homicidio suspectum habeant, *cap. Qualiter & quando 24. hoc tit.* Quare licèt clam porrigatur Judici libellus infamationis, quô certa persona de gravi aliquo crimine defertur; non propterea is ad specialem Inquisitionem contra eandem procedere valet; nisi de eo fama quoque accusati sit læsa: ne inde nascantur injuriæ, unde jura nasci debent, Judicísque vilescat authoritas, *cap. Inquisitionis 21. hoc tit.* Et *cap. cit. Qualiter.* Et *cap. Oporteat 19. eod.* fama enim est locô denunciatoris, vel accusatoris, *cit. cap. Qualiter. Secundum* est, ut capitula Inquisitionis Reo communicentur, *cap. 1. hoc tit. in 6.* ut is contra ea possit excipere, de non facta v.g. legitima specificatione loci, temporis, aliarúmque circumstantiarum, & ut obtenta ejusmodi specificatione, commodiùs suam innocentiam ostendere valeat, quòd forsitan tali tempore non fuerit commoratus in tali loco. Item dicta, & nomina testium sunt eidem Reo publicanda, ut suas defensiones ritè contra eadem instituere possit, *cap. Cùm oporteat.* Et *cap. Inquisitionis.* Et *cap. cit. qualiter, hoc tit.*

5. Nota quartò: Si in Inquisitione speciali non servetur debitus Juris ordo, puta quia contra non infamatum Judex inquisierit; & quamvis non constiterit de infamia, nihilominus inquisitum fuerit de veritate criminis; tunc debet idem Judex tempore opportuno errorem corrigere, & debitum ordinem observare, *cap. Qualiter 17. hoc tit.* Prætereà si Juris Ordo servatus non fuerit, ita ut Judex sinè prævia infamia, vel non traditis Capitulis ad Inquisitionem processerit; Reus autem non exceperit, vel protestatus fuerit; tunc Reus ex post facto nequit impugnare processum; sed Inquisitio tenet, *cap. Ad petitionem, hoc tit.* Et *cap. si is 2. eod. in 6.* si etiam Judex inquirat ad denunciationem publici Officialis, non est necesse præcedere infamiam inquisiti; utì habet Marant. Pirh. Uti & si fiat inquisitio non ad effectum puniendi; sed corrigendi, ac pro salute animæ; ut dum Episcopus visitans Ecclesiam se se informat de vita, & moribus præficiendi, vel ordinandi; utì habet Abbas, Vallens. & Marant.

CAP. V.

De Denunciatione; & aliis modis procedendi in criminalibus.

1. NOta primò: Denunciatio subit vices Accusationis; & recipitur ad hunc finem, ut Judex posteà possit ex officio inquirere super aliquo delicto, *cap. ult. hoc tit.* Circa hunc modum procedendi in judicio

2. Dico primò: Denunciatio in genere describitur, quòd *sit delatio, seu manifestatio alicujus criminis, legitimè facta apud competentem Judicem; sed sinè inscriptione.* Ita Hostiensis, Engel, Sylv. &c. Ly *delatio* est genus; reliqua ponuntur pro differentia; & maximè per ly *sed sine inscriptione* differt Denunciatio ab Accusatione; nam licèt denuncians teneatur facere aliquam probationem criminis; non tamen punitur pœnâ talionis, si in probando defecerit; dummodo appareat eum bonô zelô, & non animô calumniandi processisse ad Denunciationem.

3. Nota secundò: Communiter triplicem assignant DD. Denunciationem, scilicet Evangelicam, Canonicam, & Civilem. *Denunciatio Evangelica* est, quæ demandata est à S. Evangelio *Matth. 18.* Et *Luc. 17.* & in ea observandus est Ordo sequens; ut videlicet frater peccans corrigatur, seu corripiatur privatim; si autem ejusmodi correptio non fructificarit, rursus monendus est, adhibitô unô, vel duobus testibus; & si nec talis admonitio eum à recidivando retraxerit; demùm denunciandus est Ecclesiæ; utì habetur in *cit. locis* S. Scripturæ. Et *cap. Novit. 13. de judic.* Et *cap. Licèt Heli 31. de simon.* Et *can. si peccaverit, caus. 2. q. 1.*

4. Nota tertiò: *Denunciatio Canonica* est, quæ invecta est à SS. Canonibus, & est delatio alicujus Criminis apud competentem Judicem Ecclesiasticum, facta legitimè absque inscriptione; uti constat ex *cap. 2.* Et *3.* Et aliis *hoc titul.* Hæc introducta est à S. Canonibus ad impediendum, ne fiat aliquid illicitum, v.g. ne eligatur, vel ordinetur, vel instituatur aliquis indignus; item ne contrahatur matrimonium cum impedimento Canonico; vel ut sic contractum dissolvatur: item ut Prælati mali post binam correptionem incorrigibiles deponantur. Et de hac fit mentio *cap. 1. de offic. Custod.*

5. Nota Quartò: *Denunciatio Civilis* est, quam constituerunt leges Civiles, & fit per Ministros publicos ad hoc constitutos, ut denuncient Magistratibus crimina patrata, ac manifestent eorum actores, ut de iisdem instituatur inquisitio, *L. ea quidem 7.* junctâ *L. seq.* Et *L. singuli 14. C. de accusat.* Ministris publicis denunciantibus non est credendum simpli-

ſimpliciter; ſed concurrentibus indiciis moveri debet Judex ad inquiſitionem inſtituendam, *cit. L. 7. & 14.* Et iidem puniendi ſunt, ſi per calumniam detulerint *L. 1. C. de furioſis.* ſin autem aliquali ſaltèm probabilitate ducti denuncient, excuſantur propter officii neceſſitatem *L. 6. ff. de cuſtodia Reorum.*

6. Nota quintò: DD. ſolent præfatis tribus modis inſtituendi judicium criminale, adhuc addere alios tres; ſcilicet procedendi per exceptionem; ſinè ordine per notorium; & per implorationem officii Judicis. *Primo modo* ſcilicet per exceptionem proceditur, ſi Reus accuſatoribus, vel teſtibus objiciat crimen vel nudè ad defendendum; vel ut repellantur ab accuſatione, & teſtimonio ferendo *cap. 1. de except.* Quare hôc modô in judicio criminali utens non habet neceſſe facere inſcriptionem, *cap. ſuper his 16. hoc tit.*; nec puniendus eſt ejusmodi excipiens, caſu quo deficiat in probatione objecti criminis: ſiquidem præfatâ objectione utens duntaxat ad ſe defendendum, nemini affert injuriam, *L. injuriarum ſ. 2. ff. de injuriis.* Vel demùm per exceptionem objicit crimen, ut quis ab officio, vel beneficio, quod affectat, repellatur; & hoc quoque caſu non eſt neceſſaria inſcriptio; ùt notat Vallens. *Secundus modus* ſinè ordine per notorium adhibetur in caſu, quô delictum patratum eſt omnino evidens, & notorium, adeò ut nullô teſtimoniô, vel probatione egeat: & circa ſimile delictum non eſt neceſſariò ſervandus Ordo Juris; proùt habetur *cap. evidentia 9. hoc tit.* Requiritur tamen ſententia declaratoria Judicis, *L. qui ſententiam 16. C. de pœnis.* Illud autem hic cenſetur eſſe notorium delictum, quod nulla tergiverſatione poteſt celari, ut dum crimen patratur coram populo, aut collegio, aut majori ejus parte, *can. de manifeſto 17. cauſ. 2. q. 1.* De Tertio Modo procedendi ſcilicet per implorationem Officii Judicis, vide Gloſſ. & Canoniſtas, latè proſequentes hanc materiam in *tit. de Officio Judicis.*

CAP. VI.

Quid Juris Regularis de Accuſationibus, Inquiſitionibus, & Denunciationibus in Ordine S. Franciſci Obſerv. & Reform.

1. Nota primò: plures reſolutiones concernentes Judicium Minoriticum, ſolitum fieri per Accuſationes, Inquiſitiones, & Denunciationes poſui *tom. 1. hujus oper. lib. 2. tit. 1. cap. 6.* quas vide *ibidem.* Præterea in conformitatem hujus tit. addo ſequentia. Et *primò* quoad Accuſationes ordinatum eſt in Conſtitutionibus generalibus Valliſoletanis, & noviſſimis Romano-Toletanis *cap. 10. ſ. 1. num. 5.* quòd nullus Frater Minor Obſervans, vel Reformatus poſſit quempiam accuſare de aliquo crimine, quod probare nequit per idoneos teſtes; & qui contrafecerit, plectendus eſt pœnâ talionis. Quâ pœnâ pariter puniendus eſt is, qui Confratrem ſuum accuſaverit de illis, quæ tanquam falſa jam judicialiter fuerunt rejecta; niſi accuſans ſeſe obſtringat, ejusmodi crimina per novas probationes oſtenſurum; in quibus deficiens, rursùs talione mulctandus eſt; *cit. conſtit. noviſſimæ n. 6.* Utì & accuſans ſcienter de his, de quibus accuſatus jam eſt legitimè correctus; utì habent ſtatuta Salmant. *cap. 10.*

2. Nota ſecundò: in tribunali noſtro Minoritico nullius accuſatio eſt recipienda; niſi accuſans priùs juret, ſe non moveri malo zelo ad accuſandum Fratrem ſuum; & niſi ſe obliget ad probandum ſub pœna talionis. Quòd ſi autem ex inadvertentia, vel ignorantia id non fiat, declarari debet, quemlibet accuſatorem ad pœnam talionis obligari; utì habent *cit. Stat. Salmant.* Similiter non eſt acceptanda accuſatio facta in genere, & non expreſſo Accuſatoris nomine. Quare ut Accuſatio etiam in foro Franciſcano legitima cenſeatur, debet libellus continere nomen accuſatoris, delictum in individuo, cum loci, perſonarum, & temporis circumſtantiis; utì habet Practica Criminalis Ordinis, verb. *accuſatio.*

3. Nota tertiò: Judex Minorita delegatus, vel inferior receptam ſemel Accuſationem abolere nequit, ſinè conſenſu accuſatoris, vel authoritate Superioris Majoris; & vel maximè, ſi punitio criminis talis ad evidens Religionis emolumentum vergere dignoſcatur; utì habet *cit. Practica Criminalis*, S. Severino, &c. Superior tamen Major Ordinis, ut Generalis, & Provincialis Accuſationes quandóque mediante juſtitia abolere poterunt, ſi id pro pace inter ſubditos procuranda omnino expedire judicaverint; ùt habet Sanctorus *in pœnal. cap. 10. q. 5. reſp. 1.* S. Severino &c. Sicut nec Judex inferior, ita nec ipſe accuſans poſt accuſationem receptam poteſt deſiſtere à proſequenda accuſatione, ſinè Superioris conſenſu; niſi proſequatur propriam injuriam; quo caſu poteſt ſuo Juri renunciare, juxta *L. fur. ff. de his, qui &c.* Et quando deſiſtentia non inferret damnum communitati; utì habet Sanctor. *loc. cit.*

4. Nota quartò: in Ordine noſtro nemo cogi poteſt ad accuſandum; bene tamen ad denun-

denunciandum, maximè in casibus gravioribus; ùt in crimine hæresis; & in actu Visitationis Canonicæ; & quando proditio, mors, vel scandalum grave Conventui, vel Ordini immineret ex non facta denunciatione; utì habet Sanctorus *in pœnal. cap. 24.* & alibi. Et ex eo S. Severino, &c. AA.

5. Nota quintò: Frater Minor accusans Confratrem suum de delicto, quod scit se probare non posse, nisi semiplenè per unum testem, subterfugit quidem pœnam talionis, illud sic probando: nihilominus peccat; utì habet Sanctor. *cit. loc.* Estque Ratio; quia finis accusationis est punitio, & emendatio delinquentis, quem non assequitur accusans, & producens unum duntaxat testem. Similiter liberatur à pœna talionis ille Frater, qui bona fide accusavit: sed ob malitiam testium deinde non potest probare delictum; utì notat *cit.* Doctor Ordinis.

6. Nota sextò: contra Prælatos Ordinis nostri Franciscani, ac insignes personas ejusdem, quales sunt Patres Ordinis, & Provinciarum, Lectores Jubilati, & Prædicatores Clarissimi, accusationes non sunt recipiendæ, nisi à personis, de quarum zelo non ambiguitur, quarúmque vita omnino laudabilis æstimatur; utì habet Practica criminalis Ord. Et constat ex *can. si qui sunt.* Et *can. querend. caus. 2. q. 7.* & S. Thoma, Claro, Sot. &c.

7. Nota septimò: in Ordine nostro delicta præscribuntur regulariter spatiô trium annorum: unde hôc elapsô Accusator, vel Denunciator, qui habuit antè notitiam criminis, ampliùs non est audiendus; sed tanquam publicæ tranquillitatis perturbator corrigendus pœnâ privationis Officii sui, & infamiâ; utì habet Sanctor. & S. Sever. Nisi sceleris cognitio primò post triennium ei advenerit; ùt habent *cit.* AA. Circa Denunciationes

8. Nota octavò: Minoritæ nostri tenentur tempore Visitationis Canonicæ denunciare Confratrum delicta, quæ de Jure sunt denuncianda Ministro Provinciali, vel alteri Canonico Visitatori; utì habent Constit. generales modernæ, *cap. 7. §. 6. n. 34.* Et qui reperti fuerint, ejusmodi delicta subticuisse tempore Visitationis prædictæ, ob intentum suum particulare, quod cùm non fuerint consecuti, deinde ad alios Superiores deferunt, suam excusantes malitiam sub eo prætextu, quòd fiduciam non habuerint ad Ministrum Provincialem, vel alium Visitatorem priorem, castigandi sunt tanquam conspiratores, & pœnâ privationis perpetuæ actuum legitimorum mulctandi; nisi fortè eodem Visitationis tempore protestentur coram tali visitatore, se ad alium recursuros Superiorem, ad aliquorum delicta denuncianda; utì habent Constit. cit.

9. Nota nonò: nemo Minor debet fraternè denunciare alium, maximè occultè delinquentem, nisi Evangelica circa ipsum correptione præmissâ; excepto casu, quô judicialis correptio magis profutura crederetur; aut nulla spes emendationis affulgeret. Et eò minùs præmitti debet, si Fratrem remotis etiam labendi occasionibus viderit emendatum: jam enim lucratus est Fratrem suum, si is eum corripientem audierit; ùt habet Pract. Crimin. verb. *Denunciatio.* Si tamen quis à Superiore adstringatur per obedientiam, tenetur delictum confratris sui patefacere; tametsi eundem jam in occulto secundùm S. Evangelium fraternè corripuerit; item tenetur revelare consocium criminis; & contrarium dogmatizans Privandus est actibus legitimis, & carceri mancipandus; ita Constit. generales moder. *cap. 10. §. 1. n. 3.* Et meritò; quia contraria doctrina, quam Constitutiones cit. vocant *pestiferam*, in perniciem Ordinis, & regularis disciplinæ tendit.

10. Nota decimò: in judiciali denunciatione, si delicta sint publica, opus non est fraternâ præviâ correptione; utì habet Pract. Crimin. Ord. *loc. cit.* Censentur autem esse publica delicta illa, quæ in publicum Religionis detrimentum vergunt; cujusmodi sunt crimen læsæ Majestatis Divinæ, vel humanæ, hæresis, blasphemia, sortilegium, profanatio Sacrorum, conspiratio in Generalem, qui est Princeps Ordinis; & in Provincialem, eorúmque Commissarios, ac Superiores Locales, ac talium vulneratio, percussio, homicidium; item subornatio in electionibus, & simonia; item peccatum nefandum, fornicatio, adulterium, quando periculum est, quòd hæc tria possint publicari; aliàs autem inter privata delicta recensentur.

11. Nota undecimò: Minor denuncians judicialiter, tenetur tempus, locum, & crimen annotare, ac testes nominare; utì habet Pract. Crimin. Ord. verb. *Denunciatio.* Frater noster purè denuncians non subjacet quidem pœnæ talionis; cùm non sit accusator; sed solùm aperiat Judici viam ad inquirendum: attamen si falsum denunciaverit, castigandus est pœnâ extraordinariâ, *ibidem.* Et constat ex *can. placuit caus. 6. q. 2.* Et *cap. Qualiter & quando 1. de accusat.* Si denuncians post denunciationem interpositam insistat apud Judicem eundem

eundem stimulando ad procedendum, & puniendum, tunc cogendus est, ut subscribat denunciationi, & ad probandum obligari debet; quia assumit personam Actoris sub titulo denunciatoris; uti habet Pract. Criminal. *cit. loc.*

12. Nota duodecimò: contra Prælatos Ordinis, & alios magni nominis Viros nullo pacto recipi debent denunciationes à personis infimæ plebis: sed contra ipsos ut plurimùm per accusationes est procedendum; uti habet Pract. Crim. Ord. *cit.* Et notat Rodriqu. & alii DD. Ord. Circa Inquisitiones

13. Nota decimòtertiò: Judex noster Franciscanus in generali Inquisitione, quam facit in aliquo Conventu, non debet ab ullo Fratre extorquere juramentum; admonere tamen debet, ac per S. Obedientiam præcipere, ut singuli dicant, quæ DEI gloriam, Religionis, Provinciæ, ac Conventûs talis candorem concernunt; dummodo occulta non sint; uti habet Pract. Crimin. Ord. In ea non debet perquirere de speciali persona, vel delicto occulto: & si de his perquisierit, ultra mortalem culpam quam committit, officiô suô est privandus; & Fratres subditi licet adducti quibusvis præceptis, respondere non obligantur; utpotè juridicè non interrogati. Ab hac tamen generali doctrina eximuntur Ministri Provinciales nostri Ordinis, ad quos syndicandos à P. Generali destinantur Commissarii Visitatores Generales; quare hujusmodi Visitatoribus liberum erit de dictorum Ministrorum regimine in genere, & in specie nominatim inquirere, etiam nullâ infamiâ præcedente: non tamen possunt ad illorum vitam, & mores examinandos descendere, nisi præcedat diffamatio; quod etiam circa Prælatos Locales observandum; uti habent Constitutiones Vallisolet. *cap. 10. & 7.* Et tenet Pract. Crimin. Ord. Iidem Visitatores poterunt etiam de suo Antecessore Visitatore inquisitionem generalem facere, juxta *cap. Ea, quæ, de Stat. Monach.* Plura de Inquisitione tum generali, tum speciali, vide in Pract. Crimin. Ord. verbo *Inquisitio.* Uti & de modo procedendi in Judicio nostro Franciscano per modum Exceptionis, *ibidem* verbo *Exceptio.* Ac de aliis compluribus ad Judicia criminalia Minoritica ritè exercenda necessariis, *ibidem*, per *diversa verba* coordinatis.

TITULUS II.

De Calumniatoribus.

CAP. I.

Variæ Resolutiones de Calumniatoribus.

1. NOta primò: in proponendis accusationibus, & delationibus delictorum debet longè abesse calumnia: quare postquam Pontifex expedivit *tit. præced.* de accusatoribus; rectè subnectit *hunc* de calumniatoribus, quorum dicta calumniosa omnino à Rep. statim in ingressu Judicii Criminalis repudianda, & castiganda sunt.

2. Dico primò: Rectè definitur Calumniator, quòd *sit falsorum Criminum coram Judice cum sententia, & dolo malo impositor.* Ita constat *ex L. 1. §. 1. ff. S. C. Turpill.* Ly *impositor* est genus; reliqua sunt pro differentia. Calumnia ergo erit dolosa impositio falsorum criminum coram judice. Et alia est calumnia vera; alia præsumpta. *Vera* exercetur, quando quis dolosè, & scienter proximum arguit de falso crimine. *Præsumpta* autem, quando accusator crimen, de quo aliquem accusavit, non probavit, *cap. 2. hoc tit.*

3. Nota secundò: Calumniatori antiquitùs ex Lege Rhemia inurebatur in fronte litera K. Deinde secundum L. *ult. C. de accusat.* & *L. ult. C. de Calumniat.* infligebatur talio; id est pœnæ similitudo; ut scilicet calumniator idem pateretur, quod alterum pati voluerat. Demùm hodie eidem imponitur arbitriô Judicis, maximè in foro Ecclesiastico, pœna extraordinaria, secundùm qualitatem criminis, & personæ calumniantis, ac alias circumstantias; uti colligitur ex *cap. Super his 16. de accusat.* Et maximè si Calumniator non possit puniri pœnâ talionis, ob incapacitatem aliquam; uti liquet ex *cap. cùm fortiùs 1. hoc tit.* ubi quia quidam Subdiaconus calumniatus fuerat Diaconum; ideò Subdiaconatu privatus fuit, & verberibus publicè, ac exiliô castigatus; cùm incapax fuerit pœnæ talionis; id est privationis Diaconatûs, quem necdum habuerat.

4. Nota tertiò: adsunt nihilominus quædam causæ, quibus criminalis accusator à pœnis calumniæ excusatur. Et *primò*, si errore probabili ductus accusavit; sed deinde deficiat in probatione criminis, *L. 1. ff. ad S. C. Turpill.*

pill. Et *L. quis non 3. C. hoc tit.* *Secundò*, licèt accusator succumbat in probando; semiplenè tantùm per unum testem crimen probando; nisi is aliàs consueverit calumniari; uti habet Menoch Farinc. Pirh. &c. *Tertiò*, si accusator sit deceptus à testibus, utpotè qui extra judicium promiserant se testaturos; in ipso vero judicio id non præstiterunt. *Quartò*, si accusator probet crimen per testes tales, qui deinde in judicio fuerunt repulsi, ob infamiam, vel aliam causam; ùt habet Abbas, Pirh. &c. *Quintò*, si Accusator probet se crimen tale audivisse à talibus personis fide dignis; ita cit. DD. Pirh. Abbas, &c. *Sextò*, si Accusator ex officio teneatur ad faciendas accusationes; ùt Fiscalis, Procurator, & Tutor, *L. 2. C. de his, qui accusare non possunt.* Et nonnullæ aliæ causæ, quas vide apud Abbatem, Pirhing. Farinc. Menoch. &c. DD. relatos.

5. Nota quartò: vitium calumniæ non tantùm committi potest ab accusatore; sed etiam à denunciatore; utì constat ex *L. cùm patronum 10. ff de jure Patron.* Et *cap. cùm dilectus 2. hoc tit.* ut si non probet sufficienter, esse vera ea omnia, quæ in sua denunciatione continentur. Aut si sufficienter ea probare nequeat; nisi juramentô, aut aliter se purget, se non animo calumniandi denunciâsse, *cap. Inquisitionis 21. de accusat.*

6. Nota quintò: Accusatores, & denunciatores præter calumniam quandoque etiam duas alias malitias committere solent, prævaricando scilicet; vel tergiversando. *Prævaricari* autem est vera crimina abscondere; & falsa detegere, *L. 1. ff. ad S.C. Turpill.* Et *Prævaricator*, dicitur is, qui obiter fungitur munere accusandi; sicque adjuvat partem diversam, colludendo cum Reo, veras probationes dissimulando; falsas verò Rei accusationes, id est exceptiones admittendo, *cit. L. 1.* Hujusmodi puniendus est arbitriô Judicis. *Tergiversari* est desistere in universum ab accusatione, *cit. L. 1.* scilicet sinè licentia Judicis; quod non licet citra abolitionem, quâ reorum numerô Reus eximitur, aboletúrque memoria accusationis, *L. si interveniente 12. ff. eod.* Hujusmodi delinquentis pœna olim fuerunt quinque libræ auri, *L. 3. ff. de prævaricat.*

CAP. II.

Quid Juris de Calumniatoribus in Ordine nostro Franciscano.

1. NOta primò: Minor noster, qui in Judicio Ordinis calumniatorem agit, calumniam Confratri suo imponendo, vel ad hanc alios inducendo, incidit in casum reservatum 5. Ordinis, ex Constit. general. modernis *cap. 7. §. 3.* Præterea Calumniator Minorita falsò aliquem infamans pœnâ talionis puniendus est; nec absolvi potest, nisi famam meliori modo restituat, *ibidem §. 6. n. 63.* Item idem Calumniator falsum in judicio deponens, vel deponi procurans; aut revocans, vel revocari procurans, quod verè depositum fuerat, est ipsô factô excommunicatus; & absolvi nequit, nisi à Provinciali, satisfactione præmissâ; insuper semestri carceri mancipandus est; ac perpetuâ infamiâ notandus. *ibidem n. 64.* Et Constit. General. Reform. *cap. 7. n. 28.*

TITULUS III.

De Simonia; & ne aliquid pro Spiritualibus exigatur, vel promittatur.

CAP. I.

De Quidditate, Prohibitione, & Divisione Simoniæ.

1. NOta primò: *hoc tit.* aggreditur Papa tractare crimina, quæ viâ Accusationis, Inquisitionis, & Denunciationis in judicium criminale adducuntur, ventilantur, & pœnis perstringuntur; de quibus *1. tit. hujus Lib.* actum fuit; ac circa quorum depositionem contingit quandóque calumniari, de quo *tit. 2. eod. lib.* Et primô locô proponit crimen *Simoniæ*; sic dictum à *Simone Mago*, hujus peccati gravissimi Authore, qui *Actor. 8. pecuniam Apostolis obtulit dicens, date & mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum*: ex quo loco docemur Simonem mediante re materiali, scilicet pecuniâ voluisse emere rem spiritualem, scilicet potestatem aliis Spiritum Sanctum pro denariis vendendi; quod est vitium Religioni oppositum.

2. Dico primò: Bene definitur Simonia, quòd *sit studiosa voluntas emendi, vel vendendi pretiò temporali aliquid spirituale; vel spirituali annexum.* Ita Glossa in *can. 11. qui studet, causf. 1. q. 1.* & recipitur passim à D. Thoma, Alensi, Victoria, Herincx, Navar. &c. ly *studiosa voluntas* est genus: reliqua subeunt rationem differentiæ. Dicitur *studiosa voluntas*; ad ostendendū quòd simonia consistat in actu voluntatis, cum debita deliberatione elicito. Dicitur *Emendi* vel *vendendi*; quia termini secundùm DD. Navar. Herincx, & Less. sunt ampliativi, & comprehendunt omnem contractum, ac pactum onerosum, in quo datur pretium temporale, vel ejus æstimatio, pro spirituali. Ly *pretio temporali* (quâ particulâ comprehenditur omnis pecunia, & quidquid pecuniâ æstimabile est) additur, ad excludendum à ratione Simoniæ propriæ dictæ illos contractus, in quibus spirituale pro spirituali datur. Apponitur ly *aliquid spirituale*, ad exprimendum materiam simoniæ, quô nomine venit omnis effectus à DEO ùt Authore gratiæ procedens; vel ad eum ut talem directus; ejusmodi sunt omnia dona Spiritûs Sancti, Sacramenta, patratio miraculorum, absolutio, consecratio Ecclesiæ, &c. Ly tandem *vel spirituali annexum* indigitat, Simoniam committi non solùm in præfatis rebus purè spiritualibus; sed etiam in rebus habentibus tantùm connexionem cum spiritualibus; qualem connexionem habent beneficia, & Officia Ecclesiastica.

3. Dico secundò: Simonia est sub gravi reatu prohibita. Ita Herincx Laym. Lessius, Suar. Sylv. &c. Et ita colligitur ex Sacris Literis, *Actor. 8.* ubi D. Petrus acriter invehitur in Simonem Magum, hôc vitiô laborantem inquiens; *Pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam Donum DEI æstimâsti pecuniâ possideri posse.* Constat etiam ex Jure; quia sacri Canones graviter reprehendunt Simoniam; utì patet ex *can. Reperiuntur, causf. 1. q. 1.* ubi appellatur *execrabile flagitium.* Et ex *can. si quis Episcopus, eadem q.* ubi dicitur *Turpissimum lucrum.* Et ex *can. sanè, causf. 15. q. 3.* ubi *instar publici criminis, ut læsæ Majestatis, est puniendum.* Et tandem ex *cap. sicut 6. de Simonia,* dicitur, *Simoniaca pestis, quæ sui magnitudine alios morbos vincit.* Ratio tandem pariter est; quia per simoniam committitur gravis irreverentia, Religioni opposita, ob indignam tractationem rei sacræ, ac spiritualis. Quare Salvator noster *Matth. 10.* seriò inculcat, ut spiritualia, quæ à DEO gratuitò accipimus, gratìs dispensemus; *Gratis* (inquit) *accepistis, gratis date*; quem locum commentando D. Hyeronymus dicit, *Ego Magister, & Dominus absque pretiò hoc vobis tribui; & vos sine pretiò date; ne Evangelii gratia corrumpatur.* Ex quibus omnibus liquet Simoniam sub gravi reatu esse prohibitam. Circa divisionem Simoniæ

4. Nota secundò: Simoniam *primò* dividi in eam, quæ est Juris Divini; & in eam, quæ est Juris humani. *Prima* est, cujus exercitium interdicitur Lege Divinâ: & hæc exercetur emendo, vel vendendo res aliquas purè spirituales, v. g. Sacramenta. *Secunda* est, cujus exercitium prohibetur Lege Ecclesiastica; & hæc committitur in rebus, seclusâ Ecclesiæ prohibitione vendibilibus; sed tamen ab Ecclesia vetitis hìc & nunc vendi, ob reverentiam rei sacræ connexæ; talem committit vendens beneficium Ecclesiasticum secundùm partem temporalem. *Secundò* dividitur in Mentalem, Conventionalem, & Realem. *Mentalis* est, quæ perficitur propositô interiori, quô vel dando alteri spirituale intendit eum obligare ad refusionem temporalis; vel conferendo temporale intendit eum obligare ad redditionem spiritualis, seclusô omni pactô externô. *Conventionalis* est, quæ perficitur & propositô internô jam dictô, & insuper pactô externô, seu conventione. *Realis* est; quæ perficitur tum propositô internô, tum pactô, tum executione; si v. g. actu aliquid pretio temporali æstimabile, ex prævia conventione, acceptatur pro spirituali.

CAP. II.

De Labe Simoniaca, resultante ex operationibus circa gratiam, Sacramenta, Sacramentalia, Ordines, Divina officia, ac officia Prædicationis.

1. DIco primò: Simonia peccaminosa committitur, quoties quis gratias purè spirituales, v. g. gratiam habitualem, seu sanctificantem; donum prophetiæ, vel miraculorum, &c. vendit, aut emit. Ita S. Thomas, Suarez. Laym. Pirh. &c. Et constat ex facto Simoniaco Simonis Magi *Act. 8.* qui tentavit oblatâ pecuniâ emere potestatem ministerialem conferendi gratiam sanctificantem, & dona S. Spiritus; ut eadem postea pretiô valeret vendere. Estque Ratio; quia ejusmodi venditio, & emptio continet gravem injuriam in DEUM, cujus Divina dona gratiæ inæstimabilia vili pretio æstimantur, cum gravi irreverentia, & læsione Divinæ Excellentiæ.

2. Dico

2. Dico secundò: Similiter committitur Simonia, dum quis dat, vel accepit pretium pro septem Sacramentis, vel sacrificio Missæ. Ita communis DD. Et constat ex *cap. cum in Ecclesia 9. hoc tit.* generaliter prohibente ejusmodi dationem, & acceptationem: & variis aliis canonibus de Sacramentis in particulari idem vetantibus. Estque Ratio; quia & Sacramenta, ac Missæ sunt spiritualia quædam dona Divina, à Christo eorum Authore nobis collata; & quia gratiam suscipientibus conferunt; adeóque irreverentia gravis committitur, si pro eisdem aliquid accipiatur. Ex his

3. Infero primò: Non carere Simoniâ, qui aliquid temporale exigit præcisè pro labore intrinseco rei spiritualis, v. g. pro absolutione, ipsa Baptizatione, Ordinatione, Collatione, & Dispensatione. Ita Herincx, & alii DD. Ratio est; quia similes labores censentur cum re sua spirituali administrata, vel cui adhærent, conflare unum opus; ac proinde pretium aliquod temporale pro talibus labotibus acceptum, censetur pro ipsa re spirituali accipi, juxta illud quod in *can. si quis objecerit 1. caus. 1. q. 3.* habetur: *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*: adeoque non vacat Simonia pacisci, vel aliquid temporale exigere, pro labore intrinseco rei spiritualis.

4. Dico tertiò: Nullam tamen committit Simoniam Minister Sacramentorum, & sacrificans, qui accipit aliquod pretium, vel pretio æstimabile pro laboribus extrinsecis; seu per accidens connexis cum re spirituali. Ita Castro Palao, Less. Herincx, Navar. &c. Estque Ratio; quia ejusmodi labores connexi sunt pretiô temporali æstimabiles, sive sint prævii, sive concomitantes; v. g. obligatio quam habet Sacerdos celebrandi certô locô, tempore; & iter factum ad locum celebrationis: Similiter privare se facultate, & libertate aliam actionem faciendi locô celebrationis Missæ, est pretio æstimabile. Idem dic de cantu adhibito pro Missa; de Scripturis factis in procurandis Beneficiis Ecclesiasticis, expediendis Dispensationibus, &c.

5. Dico quartò: Similiter absque labe Simoniæ Ministri Ecclesiæ à Fidelibus exigere possunt stipendia temporalia pro sustentatione necessaria; & de similibus pacisci. Ita S. Thomas, Laym. Herincx, Cajetan. & communis DD. Ratio est; quia ita colligitur ex S. Scriptura *Matth. 10. Dignus est operarius cibô suô*: sed Ministri Ecclesiæ sunt operarii Ecclesiæ, administrantes Fidelibus spiritualia: ergo &c. Idem pluribus probat D. Paulus *1. ad Corinth. cap. 9.* Estque Ratio; quia æquitas naturalis postulat, ut illi à Fideli populo præstetur necessaria alimonia, qui in utilitatem populi se impendit; & se privat libertate, & facultate rebus sibi proficuis vacandi: sed hoc faciunt Ministri Ecclesiæ: ergo hi absque labe Simoniæ à Fidelibus exigere possunt stipendia temporalia sustentationis; & de similibus præstandis pacisci v. g. pro Missa legenda, Concione, vel Catechismo faciendo, &c.

6. Dico quintò: Simonia fit, si emantur, vel vendantur functiones, seu actus, ex potestate Ordinis procedentes; cujusmodi sunt collationes Ordinum. Ita communis DD. Estque Ratio, quia quamvis ejusmodi actus in entitate sua physica sint materiales; ex institutione tamen Christi, vel Ecclesiæ pertinent ad Ordinem supernaturalem, & spirituales sunt. Ex his

7. Infero secundò: Nec Episcopos, nec eorum officiales posse pro Ordinibus conferendis, vel instrumentis, seu litteris desuper conficiendis, accipere pretium temporale; neque ordinati simile dare; utì constat ex *cap. in ordinando 1. hoc tit.* Et *can. sicut Episcopum, 4. caus. 1. q. 2.* Et Trident. *sess. 21. cap. 1. de Ref.* Idem dicendum de præsentante ad ordines, qui citrà labem Simoniæ nullum pretium accipere potest, *cap. ex tua 10. hoc tit.* Et *cap. per tuas 37. eod.*

8. Dico sextò: Involvit quoque Simoniam, emere, aut vendere Divina Officia, seu preces publicas, quæ in Ordinatione Ecclesiæ fieri convenerunt per Ministros Ecclesiasticos in publicis processionibus, Litaniis, & Choro. Ita S. Thomas, Suarez. &c. Et colligitur ex *cap. ad nostram 21. hoc tit.* Estque Ratio; quia ejusmodi officia sunt spiritualia; fiúntque nomine Ecclesiæ per potestatem ministerialem delegatam ab eadem Ecclesia; & Ordinantur ad cultum DEI, ad impetrandam gratiam, & remissionem peccatorum; aliáque beneficia Divina.

9. Dico septimò: Caret tamen labe Simoniæ, si per modum stipendii aliquid à Ministris Ecclesiasticis pro talibus officiis petatur, & acceptetur, non per modum pretii; sed pro sustentatione necessaria; vel ratione consuetudinis, per modum Eleemosynæ. Ita Zoës. Redoan. Suar. Sylv. Estque Ratio; quia ut dicitur Matth. *10. Dignus est operarius cibô suô.*

10. Dico octavò: Sapit quoque Simoniam, si prædicator pro ipso officio prædicationis pretium acceptet, aut petat, tanquam pretium actûs prædicationis. Ita S. Thomas Pirh. Suarez. &c. Et constat ex S. Evangelio *Matth. 10.* ubi

10. ubi Apostolis Prædicatoribus dicitur, *euntes prædicate &c.* & subditur infra, *gratis accepistis, gratis date.* Estque Ratio; quia Verbum DEI, quòd prædicator tanquam DEI Legatus annuntiat, est spirituale quoddam donum, ordinatum pro animarum salute.

11. Dico nonò: Caret tamen Simoniaca pravitate, etsi prædicator acceptet aliquid pro necessaria sui sustentatione. Ita Suar. Pirh. &c. Et constat ex *cap. cum voluntate 54. de sentent. Excomm.*

CAP. III.

De Simonia interveniente in ingressu Religionis, beneficiis, & actibus Jurisdictionis Ecclesiasticæ.

1. Dico primò: Simoniam committit, qui aliquod pretium dat, vel accipit pro ingressu in aliquam Religionem; vel professione in eadem. Ita Zoës. Suar. Less. &c. Et constat ex *can. nullus 3. caus. 1. q. 3.* Et *cap. Non satis 8.* Et *cap. veniens 19. de Regular.* Estque Ratio; quia status seu ingressus, & professio Religionis est res spiritualis, tum ratione principii, quod est Spiritus sanctus vocans; tum ratione finis, qui est cultus DEI perfectus, & spiritualis profectus ingredientis, ac animæ salus obtinenda.

2. Dico secundò: Si tamen ab ingrediente, vel profitente aliquid offeratur sponte, & liberaliter sine taxa; vel pro sustentatione, & vestitu ejusdem ingredientis, vel profitentis; vel per modum Eleemosynæ, aut ad piam causam, fabricæ v. g. id citra labem Simoniæ dari, & acceptari poterit. Ita Zoës. Sylv. Pirh. &c. Et primùm constat ex Extravag. *Sane 1. inter communes.* Et Trident. *sess. 25. cap. 16. de Reg.* De reliquis Ratio etiam est; quia in ejusmodi oblationibus non censetur dari aliquid temporale pro spirituali tanquam pretium.

3. Dico tertiò: Simoniacum est vendere pro pecunia, vel alia re temporali beneficium curatum; vel aliud habens jurisdictionem Ecclesiasticam; item non curata, Prioratus, Prælaturas, Capellanias, pensiones spirituales, & alia jura percipiendi redditus temporales ex officio spirituali. Ita Gloss. Suarez. Zoës. & communis DD. Et constat ex variis canonibus, signanter *ex can. ex multis 9. caus. 1. q. 3.* Et *can. Salvator 8. cit. caus. & quæst.* Et *cap. non satis, hoc tit.* Estque Ratio; nam quamvis beneficium Ecclesiasticum, actus jurisdictionis, Capellaniæ, & alia Jura percipiendi aliquos redditus temporales secundùm se sint pretiô æstimabilia; quia tamen hæc annexa sunt officiô spirituali, ac in eo fundata, ita ut alteri competere non possint, nisi Clerico, & propter officium Clericale; idcirco spiritualia evadunt; & dum ipsa venduntur pro pecunia, censetur & ipsum officium spirituale sic vendi; quod est Simoniacum. Ex his

4. Infero *primò*: Actum Simoniacum committi, si Collator pecuniam, vel aliud temporale exigat pro collatione alicujus beneficii Ecclesiastici; ut habet communis DD. apud Laym. & Pirhing; cùm collatio sit actus muneris spiritualis. *Secundò*, similiter si pro immissione, vel institutione alicujus Clerici in beneficium Ecclesiasticum aliquid exigatur, utì constat ex *cap. cum in Ecclesiæ 9. hoc tit.* Et *cap. Audivimus 41. eodem.* *Tertiò*, si propter installationem alicujus Episcopi, Archidiaconi, vel Abbatis electi, vel ejus benedictionem, vel alio prætextu exigatur, aut extorqueatur aliquid, *cap. Ne DEI 43. hoc tit.* *Quartò*, si pro homagio, vel alio obsequio temporali præstando promittatur beneficium Ecclesiasticum, *cap. Ex diligenti 17.* Et *cap. Cùm essent 12. hoc tit.* *Quintò*, si pro electione particularis personæ etiam aliàs dignissimæ detur pecunia; ut habet Less. & Pirh. Vel pro suffragio promittatur beneficium, *cap. de hoc 11. hoc tit.* *Sextò*, si quis bona sua det alicui Ecclesiæ eô pactô, ut in Canonicum admittatur, & ex illis bonis instituatur præbenda, quæ ipsi conferatur, *cap. Tua nos 34. hoc tit.* *Septimò*, si electus det pecuniam pro sua confirmatione, vel pro præsentatione; utì habet Azor. Pirh. &c. DD. *Octavò*, si Jus patronatûs per se vendatur; utì habet Glossa. Et est Ratio; quia tale Jus est rei spirituali annexum: circa autem sic annexa comittitur Simonia, *cap. Quæsitum, de rerum permut.*

CAP. IV.

Varia alia circa Simoniam resolvuntur.

1. Dico primò: Simonia confidentialis prohibita committitur, dum quis alteri beneficium Ecclesiasticum cujuscunque Ordinis, sive curatum, sive simplex, sive regulare, sive sæculare resignat; vel alterum præsentat, eligit, confirmat, postulat, instituit, vel in commendam dat, cum certa confidentia, id est pactô expresso, vel tacito, ut is post lapsum certi temporis ipsimet resignanti, præsentanti, confirmanti &c. vel tertio

tio idem resignet; aut pensionem, vel fructus ex eo præstet. Ita communis DD. Et habetur in Bulla Pii IV. *Romanum Pontificem*.

2. Dico secundò: Censetur etiam Simonia committi in venditione officiorum, etsi temporalium alicujus Ecclesiæ, qualia sunt officium Syndici, vel Procuratoris, vel Advocati Ecclesiæ. Ita Zoës. Suar. Pirh. &c. Et constat *ex can. si quis 8. caus. 1. q. 1.* Et *can. Salvator 8. caus. 1. q. 3.* Et *in cap. Consulere 38. hoc tit.* ubi generaliter prohibetur, ne pro pecunia vendatur administratio rerum Ecclesiasticarum.

3. Dico tertiò: De Jure Ecclesiastico est irrita, & invalida electio, collatio, præsentatio, vel quævis alia provisio ad beneficium Ecclesiasticum simoniacè facta, si fiat sciente, & non contradicente ipsô provisô. Ita Garc. Abb. Fagn. Less. &c. Et constat ex *cap. Matth. 23. hoc tit.* Imò quamvis ejusmodi provisio simoniaca facta fuisset insciô provisô; uti liquet ex *cap. Ex insinuatione 26. hoc tit.* Et *cap. Nobis 27. eodem.* Et *Extravag. cum detestabile 2. hoc tit. inter communes.* Sententia tamen Judicis declaratoria talis invaliditatis accedere debet.

4. Dico quartò: Non est tamen Simonia, si post jus acquisitum in beneficio per electionem, postulationem, institutionem, &c. pecuniâ redimatur vexatio, quæ ad jus in beneficio acquisitum tollendum injustè infertur. Ita Glossa, Abbas, Azor. &c. Et constat ex *can. quæsitum 4. caus. 1. q. 3.* Et *cap. Dilectus 28. hoc tit.* Si tamen pecunia ad redimendam vexam daretur pro jure in beneficio primùm acquirendo; etsi talis vexa esset injusta; committeretur Simonia; uti colligitur ex *cap. sicut tuis 33. hoc tit.*

5. Dico quintò: Simonia est, vendere Reliquias Sanctorum. Ita Glossa, Abb. Zoës. &c. Et constat ex *cap. ult. de Reliq. & venerat. SS.* Estq; Ratio, quia & Reliquiæ numerantur inter res spirituales.

6. Dico sextò: ut resultet vera Simonia, pretium interveniens debet necessariò esse aliquid temporale. Ita S. Thomas, Pirh. Suar. Et constat ex *cap. 8. Matth.* de pretio pecuniario, à Simone Mago pro dono DEI. Estque Ratio; quia malitia Simoniæ Simonis Magi desumitur ex improportione, quæ est inter rem materialem, & spiritualem. Unde permutare rem spiritualem pro alia merè spirituali, v.g. unas Reliquias sacras cum aliis Reliquiis, quibus nihil temporale est annexum; vel unum Jus Patronatûs pro alio simili; vel unum beneficium Ecclesiasticum cum alio simili; vel unum beneficium Ecclesiasticum cum alio simili, accedente Superioris Authoritate, non sunt Simoniacæ actiones; uti notat Suar. & alii DD.

7. Nota primò: pretium Simoniacum solet esse triplex; scilicet munus à manu; munus ab obsequio; & munus à lingua, *can. Ordinationes 113.* cum duobus sequent. *caus. 1. q. 1.* *Sub munere à manu* venit inprimis pecunia; & de hoc fit mentio *can. 1. & ult. caus. 1. q. 3.* Et ad rationem talis pretii Simoniaci non requiritur, ut detur pecunia numerata; sed sufficit, quòd sit promissa, *cap. de hoc 11.* Et *cap. cùm essent 12. hoc tit.* Pertinet quoque ad hoc munus à manu omnis alia res materialis, & pretiô æstimabilis; tam mobilis, quàm immobilis; corporalis, & incorporalis, ùt Jura, & census, *can. totum 6. caus. 1. q. 3.* Item remissio debiti facta ab aliquo pro obtinenda re spirituali, *cap. veniens 10. de test.* Item datio mutui ad eundem finem; uti colligitur ex *L. quisquis. C. si centum petat.* *Sub munere ab obsequio* veniunt quævis obsequia, seu servitia temporalia alicui præstita, vel præstanda sub obligatione conferendi eidem vicissim beneficium Ecclesiasticum, aut aliam rem spiritualem. Sub *munere à lingua* demùm veniunt laudes, commendationes, & preces, quæ pro aliquo interponuntur eô fine, ut ei res spiritualis conferatur, *can. sunt nonnulli 114. caus. 1. q. 1.* Et *cap. nemo 14. hoc tit.*

CAP. V.

De Pœnis Simoniacorum.

1. Dico primò: pro Simonia purè mentali Canones nullam statuerunt pœnam Ecclesiasticam. Ita Vallens. Navar. &. Et constat *ex cap. ult. hoc. tit.* ubi dicitur, sufficere ejusmodi Simoniam per pœnitentiam coram DEO expiare.

2. Dico secundò: similiter pro nulla Simonia conventionali actu exteriori non completa, exceptâ illâ, quæ confidentialis dicitur, ulla pœna Ecclesiastica taxata est in Jure, præsertim novo. Ita Navarr. Vallens. Gutier. Et constat ex *Extrav. cum detestabile 2. hoc tit.* Ubi ordinantur pœnæ duntaxat in illos, qui conventionem factam actu complent dando aliquid, vel accipiendo; adeóque si absit à Simonia conventionali opus, seu actus dationis, vel acceptionis alicujus rei temporalis, nulla incurritur pœna spiritualis Ecclesiastica.

3. Dico tertiò: pro Simonia verò reali, actu exteriori completa statuuntur pœnæ Ecclesiasticæ

ſticæ diverſæ pro diverſitate ejuſdem. Ita Vallens. Leſſ. Navarr. Et patet ex variis ſpecialibus Canonibus, mox citandis. Unde

4. Dico quartò : contra Simoniacè ordinantes, & dantes munera pro ordinationibus fulminatur cenſura excommunicationis, & ſuſpenſionis. Ita communis DD. *Primum* conſtat ex *Extrav. cum deteſtabile 2. hoc tit.* Et *can. placuit 22. cauſ. 1. q. 1.* Et in Bulla Sixti V. edita contra malè promoventes, Epiſcopus Simoniacè conferens Ordines non tantùm ipsô factô excommunicatur, & ſuſpenditur ab executione munerum Pontificalium, & interdicitur ab Eccleſiæ ingreſſu; ſed & contra præfatam ſuſpenſionem, & interdictum operans ſuſpenditur ab adminiſtratione Eccleſiæ, & à perceptione omnium fructuum; & abſolutio ab his Papæ reſervatur. *Secundum* habetur quoque in *cit. Extravag.* Ubi dans munus pro conſequendo aliquo Ordine non tantùm ipsô factô eſt excommunicatus; ſed etiam indefinitè ſuſpenſus ab executione omnium Ordinum, quos habet; uti tenet Sylv. Vallens. &c. Et in Conſtit. Pii V. incipit, *cum primùm* Simoniam committentes in Ordinum receptione per decennium ſuſpenduntur, ſinè ſpe diſpenſationis, & per annum jubentur incarcerari. Veniunt autem nomine Ordinum tam Ordines majores, quàm minores; uti notat Barbos. imò & ſecundum Suar. Laym. &c. DD. contra Leſſium venit prima tonſura; Et putat etiam Avila ac Laym. quòd Simonia intervenire poſſit in Reverendis, ſeu Dimiſſoriis; judicat tamen Leſſ. & Pirh. Notarium ab ea excuſari, qui pro eorundem expeditione, vel ſigillo aliquid petit.

5. Dico quintò : ſimiliter qui committunt Simoniam tam dando aliquid, quàm accipiendo pro ipſo ingreſſu in aliquam Religionem, vel profeſſione in eadem, incidunt in excommunicationem ipsô factô ; & Conventus in ſuſpenſionem. Ita communis DD. Et conſtat ex *Extravag. 1. hoc tit.* Et *cap. Veniens q. 10.* jubetur Simoniacè profeſſus tranſire ad aliud Monaſterium; & Conventus tenetur reſtituere pretium acceptum. Imò *cap. Dilectus 30. hoc tit.* Prælati talis Conventûs recipientes aliquid Simoniacè ab ingrediente Ordinem jubentur ab executione ſuorum Ordinum ſuſpendi, quouſque ſalutarem pœnitentiam, propterea ipſis injunctam, agant. Non incurruntur autem præfatæ pœnæ, ſi adſint modificationes quædam, *ſuprà cap. 3. can. 2.* allatæ.

6. Dico ſextò : Simoniæ utrimque completæ, reſultanti ex acceptione, & largitione rei temporalis pro collatione alicujus beneficii Eccleſiaſtici correſpondet pœna excommunicationis, Papæ reſervatæ ; præterquam in mortis articulo ; inſuper proviſio eſt irrita; & beneficiatus efficitur etiam inhabilis ad illud beneficium obtinendum, ſaltèm pro illa vice; infamia quoque inducitur : & tales Simoniaci obligantur ad reſtitutionem. Ita communis DD. Et *primum* habetur *Extrav. cum deteſtabile 2. hoc tit.* *Secundum* habetur in *can. ea, quæ, &c. cum aliis, cauſ. 1. q. 3.* Et *cap. cùm Clerici, de pact.* Et *Extrav. cit.* quod procedit, etſi proviſio illa procurata fuiſſet ignorante; vel etiam contradicente proviſô, *cit. Extravag.* *Tertium* conſtat ex *cap. Nobis 27.* Et *cap. Sicut tuis 33. hoc tit.* *Quartum* patet ex *can. Sane, cauſ. 15. q. 3. fin. cauſ. 1. q. 3.* Et intelligitur hic infamia juris; quæq; reſultat primò poſt ſententiam Judicis ; ùt notat Zoëſ. Vallens. & Suar. Ratio *Quinti* eſt; quia pretium Simoniacum nullô titulô poſſideri poteſt; adeóque eſt reſtituendum.

7. Dico ſeptimò : Pro Simonia confidentiali taxatæ ſunt ſequentes pœnæ ; ſcilicet ſi ea committatur ab Epiſcopo ; vel alio Prælato Superiore, interdicitur is ab ingreſſu Eccleſiæ; inferior verò Prælatus, & alius Clericus incurrit excommunicationem latæ ſententiæ, Papæ reſervatam; item reſignatio; vel collatio beneficii hôc modô facta eſt irrita, & renuncians efficitur inhabilis ad idem beneficium obtinendum; ſimiliter idem Simoniacus confidentialis privatur omnibus beneficiis, ùt penſionibus priùs habitis; ac ad alia quæcunque obtinenda redditur inhabilis ; ſed primò ſententiam latam à Judice : & demùm beneficia obtenta per Simoniam confidentialem Sedi Apoſtolicæ reſervantur; & fructus interim malè percepti, applicandi ſunt Cameræ Apoſtolicæ. Ita Vallens. Navarr. Suar. &c. Et conſtat ex Bulla Pii IV. incipit, *Romanum Pontificem.* Et Bulla Pii V. incipit *intolerabilis.* Ut autem prædictæ pœnæ incurrantur debet Simonia confidentialis intercurrens fuiſſe opere impleta datione, & acceptione beneficii in confidentiam; uti notat Pirh. & alii DD.

CAP. VI.

Reſolutiones de Simonia pro Ordine Minoritico.

1. Nota primò : Prælatus Minor, vel Capitulum, ſeu Conventus committeret Simoniam, ſi pro ingreſſu in Religionem Seraphicam, vel pro habitu regulari, in pactum deduceret aliquod pretium temporale, à Novitio, vel ejus Parentibus, vel Amicis

cis solvendum; utì notat Sanctorus in commentar. Statut. General. *cap. 2. stat. 14.* Et constat ex *Extravag.* Pauli II. *Cùm detestabile, de Simon.* Et Bullis Urbani V. ac Gregorii VI. Si tamen Novitius, vel ejus Parentes, aut Amici spontè, & plena libertate aliquid Eleemosynæ locô obtulerint tempore ingressûs, vel investitionis, aut professionis Novitii; id citrà labem Simoniæ acceptari potest: utì habent cit. Pontifices Urbanus, & Gregorius. Prælatus præfatô modô Simoniam committens; imò & dantes Prælato aliquid pro ingressu Religionis, excommunicationem incurrunt: Capitulum verò suspensionem, Extravag. *Sanè, de Simonia.*

2. Nota secundò: Minores dantes, vel accipientes aliquid temporale pro obtinendo Officio aliquo in Ordine, v. g. Guardianatu, vel Provincialatu, vel Generalatu, committunt Simoniam; utì habet Sorbus; & constat ex Bulla Pii V. quæ incipit, *Cùm primum, &c.* Et sic promoti sunt ipso Jure privati, ac inhabiles ad ea, & alia obtinenda Officia Religionis; utì habet idem Sorbus, & Sanctor. Et constat ex Extravag. Pauli II. *Cùm detestabile, de Simon.*

3. Nota tertiò: Prælati nostri Franciscani possunt Fratres suos absolvere ab omni Simoniaca pravitate, ac dispensationis beneficium ipsis impertiri; utì habet Mare Magnum Sixti IV. Imò & cum Novitiis idem operari possunt; ùt notat Sanctor. super Stat. General. 14. Quæ privilegia licèt in parte fuerint revocata à Sixto V. attamen postea per Clementem VIII. rursùs revalidata fuere ex certa scientia; utì habet Hieron. Roder. &c.

TITULUS IV.

Nè Prælati vices suas; vel Ecclesias sub annuo censu concedant.

CAP. UNICUM.

Variæ Resolutiones circa Vices, Jurisdictionem; & Ecclesiam, datas ad annuum censum.

1. Nota primò: *hunc tit.* rectè annectit Papa *priori tit.* de Simonia tanquam appendicem quamdam ejusdem; & in eo tractat duas species Simoniæ, scilicet de commissione, quâ Prælati sub annuo censu committerent vices, id est jurisdictionem suam aliis ad terminandas causas; vel Ecclesiam suam ad annuum censum.

2. Dico primò: prohibetur Ecclesiarum Prælatis, Archi-Episcopis, Episcopis, Archi-Diaconis, &c. sub Simoniæ incursu, nè suas vices, seu jurisdictionem suam Ecclesiasticam, vel Regimen Ecclesiarum committant alteri sub annuo pretio, seu censu. Ita communis DD. Et habetur *cap. 1. hoc tit.* quod desumptum est ex Concilio Lateranens. sub Alexandro III. *cap. 15. §. 1. cap. 2. eod.* Estque Ratio; quia jurisdictio Ecclesiastica est Spiritualis; adeóque vendi nequit citra Simoniam. Et prælatus sic committens, vel vendens suam Ecclesiasticam Jurisdictionem, officiô suô privandus est, *cit. cap. 1.* Et insuper per sententiam reddendus infamis, *cit. cap. 2.*

3. Dico secundò: similiter prohibetur Rectoribus Ecclesiarum sub annuo censu locare secundùm Jus antiquum ultra septennium; secundùm verò novum ultra triennium suas Ecclesias; id est obventiones, seu proventus, ac fructus beneficiorum suorum Ecclesiasticorum. Ita Covar. Redoan. Pirh. &c. Et habetur in *Extravag. ambitiosè, un.* Pauli II. *de reb. Eccles. alien.* Et *cap. querelam 4.* Et *ult. hoc tit.* Quamvis si locarentur ejusmodi fructus quatenus merè temporales sunt & provenientes ex jurisdictione Ecclesiastica, nulla Simonia fieret *cit. cap. fin.*

4. Dico tertiò: non sapit ullam Simoniam vendere, vel reservare Clericatum, vel Auditoratum in Curia Apostolica quoad emolumentum temporale, resultans ex ejus administratione; modò jurisdictio ipsa spiritualis non vendatur: nec Simoniam continet, exigere Annatas, hoc est integros fructus primi anni, quos Summus Pontifex ex Episcopalibus, Prælaturis, aliisque beneficiis Ecclesiasticis vacantibus colligit, si annui redditus beneficii summam 24. aureos excedant. Ita Zoës. Pirh. Azor. &c. Ratio primi est; quia in venditione, vel reservatione tali non intervenit temporale aliquod datum pro Spirituali. Ratio secundi est; quia cùm olim in Lege Mosaica Summ. Pontifex citra labem Simoniæ po-

potuerit à Sacerdotibus, & Levitis minoribus decimas decimarum exigere, Num. *cap. 18.* pariter in lege nova Summ. Pontifex à reliquis Ecclesiæ Ministris poterit citra Simoniam exigere Annatas. Deinde hujusmodi Annatæ non exiguntur ùt pretium aliquod pro collatione beneficii; sed pro ipsis fructibus primi anni beneficii vacantis merè temporalibus ad Papam pertinentibus, & ab eodem justô titulô reservatis; puta in subventionem suæ dignitatis, & Sedis, ac in sustentationem Ministrorum suorum, quorum operâ eget pro gubernatione Ecclesiæ, toto orbe diffusæ.

TITULUS V.

De Magistris; & nè aliquid exigatur pro Licentia docendi.

CAP. I.

Variæ Resolutiones circa Magistros, Facultates, & Lectiones eorundem.

1. NOta primò: Papa proponit *hunc tit.* in continuationem materiæ de Simonia, eò quòd quandam speciem Simoniæ continere videatur, Magistros exigere pretium pro licentia docendi; cùm scientia sit donum DEI, & consequenter res spiritualis, *can. Revertimini, 65. cauf. 16. q.* 1. Intelligitur autem hìc nomine *Magistri* illa persona, quæ artes liberales, ùt Grammaticam, Rhetoricam, &c. vel Theologiam docet alios; utì patet ex *cap. 4. hoc tit.*

2. Nota secundò: gravissimas extare constitutiones canonicas, & conciliares, ut in loco Cathedralium Ecclesiarum, aut alio commodo Diœcesis constituantur Magistri artium liberalium, & Theologiæ; imò & in Collegiatis Magistri Grammatices, qui Clericos, & alios pauperes scholares gratis erudiant; utì habetur in Concil. Lateran. sub Alex. III. & refertur *cap. Quoniam 1. hoc tit.* Et in alio Concil. quoque Lateran. sub Innocent. III. Et *cap. 4. eod.* Et in Trident. *sess. 5. cap. 1. de Ref.* Magister Theologiæ jubetur constitui pro exponenda Scriptura: Et ut ejusmodi Magistro competens beneficium pro sustentatione assignetur, seu proventus unius præbendæ, *cit. cap. 4. & 1.* Munus porrò talis Magistri Theologi erit, Sacerdotes, & alios in sacra Pagina erudire, & in illis principaliter instruere, quæ curam animarum concernunt, *cap. Quia nonnulli 4. hoc tit.* Et *Trident. cit.*

3. Nota tertiò: Magistri Theologiæ actu docentes habent speciale privilegium, quòd percipere possint omnes fructus sui beneficii, etiam in absentia, *cap. Super specula 5.* Et *ultimo hoc tit.* Et *Trident. sess. 5. cap. 1. de ref.* Distributiones tamen quotidianas, non percipiunt; nam tales dantur duntaxat præsentibus; & iis, qui actu intersunt Divinis Officiis, *cap. Licet 32. de Preb.*

4. Dico primò: caret omni labe Simoniæ dare Magistris, vel accipere stipendium justum, seu mercedem pro munere docendi S. Theologiam. Ita Zoës. Suar. Vallens. &c. Ratio est; quia licèt Doctrina Theologiæ sit suô modô supernaturalis; ipsi tamen actus Lectionum Magistri Theologiam profitentis sunt merè naturales; adeóque pro ipsis dari, & accipi potest res naturalis, & temporalis, seu stipendium justum.

5. Dico secundò: tametsi spectatô Jure Divino, Simonia non sit accipere, vel dare aliquod pretium pro licentia, seu facultate docendi Theologiam, quatenus hæc importat actus ipsos Lectionum; SacriCanones tamen graviter vetant simile pretium accipere, vel promittere. Ita Vallens. Suar. Pirh. &c. Ratio primi est; quia cùm actus prælectionum Theologiæ sint merè naturales, & non spirituales; propterea si pro eis interveniat pretium aliquod, Simoniam non importat; sed aliud peccatum scilicet inobedientiæ & injustitiæ. Secundum constat ex *cap. 1. 2. & 3. hoc tit.* ubi prohibetur pretium exigi, & promitti pro licẽtia docendi etiam sub prætextu alicujus introductæ consuetudinis; non quòd dare licentiã docẽdi Theologiam sit Simonia propter ipsam Doctrinam; sed quia injustitiam continet denegare licentiam idoneæ personæ, nisi pretium numeretur; quæ res redundat in gravamen tum docentium; quia viri docti sunt potiùs invitandi ad docendum, quàm emungendi pretiô; tum ipsorum discentium maximè pauperum, qui à Magistris talibus de facili obligari possent, ad solvendas Lectiones, ut ita compensetur pretium, à Magistro datum pro licentia docendi.

CAP.

CAP. II.

De Magistris in Ord. Seraphico Observ. & Reform.

1. NOta primò: in qualibet Provincia nostra debent studia Logices, Physicæ, Metaphysicæ, ac Theologiæ tum speculativæ, tum moralis esse instituta, & provisa qualificatis Magistris, seu Lectoribus; utì ordinant Constitutiones Generales modernæ totius Ord. *cap. 5. §. 4. num. 3. & 4.* Et Constitutiones Generales Reformat. *cap. 9.* Magistri autem tales, seu Lectores SS. Theologiæ spatiô quatuor annorum tenentur prælegere in Scholis omnes materias, quæ continentur in 4. libris Sententiarum Scoti, concinnando vel Scripta ad mentem ejusdem Doctoris subtilis; vel explicando Cursum Theologicum ex recentiori Magistro Ordinis nostri; utì ordinant expressè Constitutiones modernæ Generales totius Ordinis *cap. 5. §. 4. num. 9.* & Constitutiones Generales Reformat. *cap. 9. n. 6.* Iidem Lectiones accommodare debent cum SS. Patribus, & Conciliis œcumenicis; utì habent Constit. General. Reform. *cit.* Et S. Bonaventuræ doctrinam inspergere suadentur; utì habent eædem ambæ *cit.* Constit. Generales. Lector Philosophus spatiô trium annorum absolvere tenetur Cursum Philosophicum, ad mentem Scoti, secundùm Constit. Reformat. *cap. 9. n. 7.*

2. Nota secundò: Magistri, seu Lectores instituendi sunt in Capitulis, & Congregationibus Provincialibus, juxta meritum Doctrinæ, & morum; utì habetur in Constit. General. Ordinis modernis *cap. 5. §. 4. n. 11.* Pro Studiis Generalibus instituit Lectores Generalis Minister, vel Commissarius Generalis Familiæ, *ibidem n. 8.* Tenentur singulis annis habere publicas Conclusiones, *ibidem n. 15.* & Reformat. *cap. 9. n. 9.* Lector Theologus nemo institui potest, qui non priùs Cursum Philosophiæ prælegerit, *ibidem n. 22.* Inter Observantes Lector Theologus per sex annos absq; interpolatione prælegens Theologiam assequitur gradum Ex-Diffinitorum Provincialium juxta Constit. General. Ord. *cit. n. 30.* Circa Magistros Ordinis, præsertim Jubilatos, vide plura in Constit. General. totius Ordinis *cap. 5. §. 7.* per totum.

TITULUS VI.

De Judæis; Saracenis; & eorum Servis.

CAP. UNICUM.

Variæ Resolutiones circa Judæos; & Saracenos.

1. NOta primò: *hoc tit.* Summ. Pontifex agit de speciali peccato infidelitatis quod vocatur Judaismus, & Paganismus; quódque opponitur veræ Religioni, veróque cultui DEI, & illud committunt Judæi, & Saraceni. *Judæi* sic vocantur à Tribu *Juda*, quæ olim erat cæteris bellicosior, & famosior; & est certum genus hominum, quod vetus duntaxat Testamentum recipit, Circumcisionem, ac alia Legalia observando. *Saraceni* sic se vocitant à *Sara*; cùm tamen Agarenos sese de Jure appellare deberent; utpotè qui non à Sara Domina; sed ab Agar serva Abrahæ descendunt, *can. recurrat.* Et *can. dixit Sara, caus. 33. q. 4.* Hæc colluvies hominum est quasi pagana, *can. quàm sit, 10.* Et *cap. ex speciali 18. hoc tit.* quamvis idola communiter non colat; nam nec recipit novum, nec vetus Testamentum, saltèm in totum; sed observat varia deliria, & erronea dogmata, in Alcorano contenta: conflatur autem hodie ex Turcis, Tartaris, Persis, Arabibus, Mauris, Ægyptiacis, ac aliis Africanis, & Asiaticis nationibus; Et eorum nomine in Canonibus veniunt etiam omnes alii Pagani. Circa Judæos

2. Nota secundò: conceditur equidem Judæis habitatio in terris Christianorum, ita ut citra compulsionem ad Fidem Christianam inter eosdem habitare possint, *cap. sicut 9. hoc tit.* Item habere synagogas veteres, *cap. consuluit. 7. hoc tit.* Item suas exercere cæremonias, & ritus; citra tamen scandalum, & contumeliam Creatoris, *cap. quia super 4. hoc tit.* Et *Clement. uni. eod.* Et *cap. nonnullis 15. eod.* Item possunt pacificè possidere cæmeterium; & nemo exhumare valet inde corpora sepultorum Hebræorum; *cit. cap. 15.* Item conversi ad Fidem nullatenus spoliandi sunt suis possessionibus, *cap. Judæi 5. hoc tit.* Demum ijdem conversi non sunt mulctandi; sed ab injurijs defendendi, *Extravag. dignum 2. inter communes, hoc tit.*

3. Nota tertiò: è contra Judæis varia sunt inter-

interdicta per S. Canones. Et *primò* nullus potest inter Christianos fungi aliquô officiô publicô, potestate, dignitate, administratione, vel honore, *cap. cum sit 16.* Et *cap. ex speciali 18. hoc tit.* Idem dicendum de Paganis: *Secundò* nequeunt Judæi erigere synagogas novas, *cap. Judæi 3. hoc tit. Tertiò*: die Parasceves nequeunt habere fenestras, & ostia apertas, *cap. quia super, 4. hoc tit.* ne scilicet derideant Christianos in contumeliam Creatoris; ut habet Glossa. *Quartò*, non conceditur eis adhibere nutrices, & obstetrices, vel famulos, aut famulas domesticas Christianas, *cap. Etsi 13. hoc tit.* possunt tamen habere Christianum colonum adscriptitium, vel originarium, *cap. Multorum 2. hoc tit. Quintò*, in diebus Passionis Dominicæ, seu in hebdomada S. non debent prodire in publicum, in contemptum, & odium Christianorum, *cap. In nonnullis 15. hoc tit. Sextò*, debent ijdem Judæi deferre habitum, discriminantem eos à Christianis, *cap. cit. 15. Septimò*, Judæus nequit esse tutor non Judæi; uti habet Vallens. Tholos. Buss. &c. Nec etiam possunt postulare contra Christianos; nec filijs substituere pupillariter; uti habent cit DD. si Judæus percutiat Clericum, non incidit in excommunicationem latam in *can. si quis. 29. caus. 17. q. 4.* cùm talis non sit subjectus jurisdictioni spirituali, juxta illud *1. ad Cor. 5. quid nobis de his, qui foris sunt*; id est non nostræ jurisdictionis; ùt ait Glossa. Talis ergo percussor à potestate sæculari aliter castigandus erit pro qualitate delicti.

4. Nota quartò: Christianis varia prohibita sunt respectu Judæorum. *Primò* interdicitur ipsis generaliter assidua conversatio, & familiaritas cum ipsis, *cap. Ad hæc 8. hoc tit.* Cujus interdicti causa est, ne Judæi occasione ejusmodi familiaritatis pertrahant Christianos simplices ad suam perfidiam. *Secundò*, specialiter prohibetur Christianis, ne in eadem domo simul morentur cum Hebræis, *can. nullus 13. caus. 28. q. 1. Tertiò* prohibetur quoque eosdem assumere in Medicos; & medicinas, curásque ab eis accipere, *cit. can. nullus.* Nisi in casu necessitatis, quando non adest Medicus Christianus; vel non satis peritus; uti notat Sylv. Pirh. &c. *Quartò* non permittitur, ut Christiani simul balneent cum Judæis, *cit. can. nullus. Quintò* & ne per modum ritûs vescantur azymis eorum, *can. cit. nullus.* Cùm sit cibus discriminativus Judæi à Christiano. Licitum tamen est ijs vesci in casu necessitatis, & per modum simplicis panis; uti notat Gloss. Sylv. Pirh. *Sextò*, sed & convivia cum Judæis celebranda interdicta sunt Christianis, *can. Omnes, caus. 28. q. 1.* Cùm plerumque Judæi non utantur cibis communibus Christianorum; sed eos contemnant tanquam immundos. Idem dicendum de nuptijs eorum; ut notat Azor. Conceditur tamen Prædicatoribus, ut tempore, quô prædicant Judæis, possint eorum cibis vesci; item cum illis habitare, & colloqui familiariter, ut hâc viâ eos faciliùs convertant: & de his etiam intelligitur ille *can. ad mensam 24. caus. 11. q. 3.* in quo conceditur accessus ad mensam Paganorum. *Septimò* interdicitur Christianis servitium stabile apud Judæos, maximè in domo, *cap. Ad hæc 8. hoc tit.* Quia decens non est, ut Judæus sit dominus, & superior Christianô. *Octavò* similiter Christianis vetatur, assumere nutrices, & obstetrices Hebræas, *cit. cap. 8.* Christiani in præfatis casibus communicantes cum Judæis, grave committunt peccatum; uti notat, Sanc. & Pirh. Circa Saracenos

5. Nota quintò: Christianis quoque varia reperiuntur prohibita respectu Saracenorum, seu Paganorum. Et signanter *cap. Ita quorumdam 6.* Et *cap. Ad liberandum 17. hoc tit.* interdicitur ipsis deferre, vendere, vel procurare arma, ferrum, & ligamina Saracenis; sub quibus intelliguntur secundùm DD. Azor &c. omnia instrumenta artis militaris; cujusmodi sunt loricæ, hastæ, Sagittæ, sclopi, tormenta, pulveres, funes, galeæ, scuta, & eorum materia, ut ferrum, chalybs, stannum, plumbum, aliaque metalla; item trabes, & tabulæ ad naves conficiendas; item cannabis ad funes texendos. Idem dicendum de victualibus, ac alijs mercibus, Extrav. *Multa 1. hoc tit.* Et Extrav. *Copiosus, unic. Joan. 22. hoc tit.* Et Christiani deferentes præfata prohibita ad Saracenos, seu infideles, hodie ipsô factô sunt excommunicati, *cap. significavit 11. & alijs hoc tit.* Et in Bulla cœnæ; ubi etiam hujusmodi delatio est casus Papæ reservatus.

TITU-

TITULUS VII.
De Hæreticis.

CAP. I.
De quidditate, & requisitis Hæretici.

1. NOta primò: prosequitur Papa discutere crimina; & postquam *priori tit.* posuit resolutiones circa Judaismum, & Saracenismum, qui afficiunt non baptizatos; consequenter *hoc tit.* agit de Hæresi, quæ in quibusdam baptizatis reperitur. Est autem hæc vox *Hæresis* Græcum vocabulum, & significat latinè *electionem*; seu *divisionem*; eò quòd Hæreticus eligat sibi opinionem singularem sectandam; & se dividat ab Ecclesiæ unitate, *can. Hæresis.* Et *can. qui in Ecclesia, caus. 24. q. 3.*

2. Dico primò: rectè describitur Hæresis, quòd *sit error singularis voluntarius quem persona baptizata profitetur pertinaciter contra aliquem fidei orthodoxæ articulum, sufficienter propositum.* Et Hæreticus, quòd *sit persona baptizata profitens cum pertinacia singularem aliquem errorem voluntarium contra aliquem fidei orthodoxæ articulum sufficienter propositum.* Ita colligitur ex *cit. can. Hæresis.* Et *cit. can. qui in Ecclesia.* Ly *error* in prima definitione est genus; reliqua ponuntur pro differentia. In secunda ly *persona* est genus; reliqua habent rationem differentiæ. Ex his patent requisita ad formalem hæreticum; nam

3. *Primò*; ut quis dicatur formalis Hæreticus, requiritur, ut sit persona baptizata: nam quamvis Judæi, & Saraceni profiteantur plurimos errores contra Fidem Orthodoxam; quia tamen baptizati non sunt; idcirco Hæretici propriè non dicuntur; cùm se non dividant ab unitate Ecclesiæ; eò quòd cum ipsa nunquam fuerint uniti.

4. *Secundo* requiritur, ut quis profiteatur cum pertinacia aliquem errorem; nam error solus non facit Hæreticum; sed si adjunctam habeat pertinaciam, *cap. Damnamus, de Sum. Trin.* Et in *can. qui in Ecclesia caus. 24. q. 3.* Unde *can. dixit cit. caus.* dicitur, *qui sententiam suam quamvis falsam, atque perversam, nullo pertinaci animo defendunt; quærunt autem veritatem, corrigi parati cùm invenerint; nequaquam sunt inter Hæreticos deputandi.* Censetur autem is habere pertinaciam, qui quamvis sciat suam opinionem esse erroneam, & contra Ecclesiæ definitionem; nihilominus eandem profitetur, & manutenet.

5. *Tertiò* requiritur, ut quis profiteatur errorem singularem; nam si seminet doctrinam in toto contrariam definitionibus Ecclesiæ; talis non Hæreticus; sed Apostata dicendus est; ùt rectè advertit Vallens.

6. *Quartò* requiritur, ut quis profiteatur errorem voluntarium: nam sicut alia peccata, ita & crimen hæresis formalis debet procedere à voluntate, haberéque rationem voluntarij, seu liberi. Quare errans involuntariè seu indeliberatè circa aliquem articulum Orthodoxæ Fidei, non est tenendus pro formali Hæretico; utì observant communiter DD.

7. *Quintò* requiritur, ut quis profiteatur errorem contra aliquem articulum Fidei Orthodoxæ; quia qui dogmatizat propositiones aliquas singulares, quæ non opponuntur clarè articulis Fidei Catholicæ, de Sacramentis Ecclesiæ, aut alijs ab Oecumenicis Concilijs definitis; is formalis Hæreticus reputandus non est; utì constat ex *cap. Cùm Christus 7.* Et *cap. Ad abolendam 9. hoc tit.*

8. *Sextò* requiritur, ut quis erret circa aliquem articulum Fidei Orthodoxæ sufficienter ei propositum; quia si errans ignoret talem articulum Fidei, non censetur eundem hæretico Spiritu formali impugnare; sed materialem duntaxat committere hæresim; utì observat Sanch. Pirh. Sayr. &c. DD.

CAP. II.
De pœnis Hæreticorum.

1. DIco primò; formalis Hæreticus plectitur pœnâ excommunicationis majoris latæ sententiæ. Ita communis DD. Et habetur *can. resecandæ, caus. 24. q. 3.* Et *cap. Ad abolendam 9. hoc tit.* Et *cap. Excommunicamus, eod.* Et *cap. sicut 8. eod.* Et in Bulla cœnæ; ubi etiam hæresis est casus Papæ reservatus. Quare cum ejusmodi Hæretico nulla communicatio habenda; sed omnino vitandus est à Christi fidelibus, sepulturâ Ecclesiasticâ seu sacrâ privandus, ac alijs effectibus Excommunicationis Majoris subjiciendus Ut autem præfata Excommunicatio incurratur requiruntur sequentes conditiones. *Prima*, ut quis hæresim mentalem externis signis manifestaverit, ita ut possit de hac constare

Eccle-

Ecclesiæ. *Secunda*, ut quis sit Hæreticus formalis; non autem materialis, seu carens pertinaciâ. *Tertia*, ut actus externus manifestativus hæresis sit mortaliter malus. *Quarta*, ut hæresis externè sit manifestata cum animo eam profitendi; utì notant Sanch. Laym. Pirh.

2. Dico secundò: formalis Hæreticus pariter efficitur infamis. Ita communis DD. Et habetur *can. infames, caus. 6. q. 1.* Et *cap. Excommunicamus 13. hoc tit.* Et non solùm Hæretici ipsi; sed & fautores eorum, receptores, & defensores, infames evadunt, *cit. cap. 13.* Contrahitur autem ista infamia demùm post sententiam Judicis, declaratoriam criminis hæresis.

3. Dico tertiò: formalis Hæreticus etiam punitur confiscatione bonorum suorum. Ita communis DD. Et habetur *cap. Cùm secundum hoc tit. in 6.* Et *cap. Vergentis 10. hoc tit.* Et *cap. Excommunicamus 13. eod.* Et *cap. Cùm secundum 19. hoc tit. in 6.* Et quidem bona Clericorum hæreticorum cedunt Ecclesiæ; Laicorum verò Fisco sæculari *cit. cap. 13.* In hujusmodi autem bonis confiscatis maritorum salvantur uxorum innocentium dotes, *cap. Decrevit 14. hoc tit.* idem dicendum de paraphernalibus uxorum, & donationibus ipsis factis propter nuptias; utì notat Farinac. Pirh. &c.

4. Dico quartò: formalis Hæreticus per modum pœnæ arcetur quoque à testamento condendo; & inhabilitatur à successione hæreditatis; amittit patriam potestatem in filios; potestatem dominij in servos & vasallos; & jus exigendi debita à creditoribus. Ita communis DD. Et primum habetur *cap. Excommunicamus 13. hoc tit.* Et *L. Manichæos 4. de Heret.* Secundum constat ex *eod. cit. cap. 13.* Et *cit. L. 4.* Et Episcopi, ac Presbyteri instituentes hæredes Hæreticos, excommunicationem incurrunt, *cap. Si quis 5. hoc tit.* Tertium habetur *cap. fin. hoc tit. in 6.* Quartum extat in *cap. Absolutos 16.* & *ult. hoc tit.* Quintum habetur *cap. ult. hoc tit.*

5. Dico quintò: Si Clericus efficiatur formalis manifestus Hæreticus, in pœnam est priùs degradandus; deinde verò tradendus Curiæ sæculari. Ita communis DD. Et habetur in *cap. Ad abolendam 9. hoc tit.* Porrò forma servanda in hujusmodi degradatione præscribitur *cap. Quoniam 1. hoc tit. in 6.*

6. Dico sextò: formalis Hæreticus potest etiam pœnâ corporalis mortis puniri, seu comburi. Ita Abb. Azor. Clar. Farinac. Et constat ex *L. Ariani 5.* Et *L. Quicunque 8. C. de Heret.* Et quia talis perturbat pacem, & tranquillitatem Reipublicæ. Et hodie pœna combustionis eidem rectè infertur; utì habent cit. DD. Evadit autem hanc pœnam, si resipiscat, hæresim ejuret, & sincerè Ecclesiæ reconcilietur, *cap. ad abolendam 9. hoc tit.* Nisi fuerit relapsus; huic enim nulla venia est impertienda, *cap. Accusatus 8. hoc tit. in 6.* Idem dicendum de Hæresiarchis; utì notat Zoës. His tamen omnibus resipiscentibus Sacramentum Eucharistiæ, & Pœnitentiæ non sunt neganda; & mitiganda, si ita videatur, sententia, *cap. Super.* Et *cap. Ut commissi, hoc tit. in 6.*

CAP. III.

Varia circa Hæreticos resolvuntur.

1. NOta primò: rigorem pœnarum *priori cap.* relatarum ex Jure communi, hodie in Provinciis pluribus Germaniæ non observari circa Hæreticos formales; nec posse observari, proter cohabitationem necessariam Catholicorum & Hæreticorum, unde etiam ipse Summ. Pontifex Martinus V. in Concil. Constantiensi circa pœnam excommunicationis majoris, quam aliàs Hæreticus formalis incurrit, edidit constitutionem, quæ incipit *Ad evitanda*, in qua declaratur, ut nemo posthac teneatur abstinere, & se separare, neque evitare communicationem alicujus in administrando, aut recipiendo Sacramenta, aut in aliis Divinis; aut extra illa ratione alicujus sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ; & consequenter etiam ratione Excommunicationis majoris, incursæ ob hæresim; nisi talis esset specialiter, & nominatim excommunicatus; aut notorius percussor Clerici. Unde hodie in Germania, Anglia, & Polonia ubi permixtim vivunt Catholici, & Hæretici formales, iidem dicuntur *tolerati*; ac proinde Catholici civilia commercia cum ipsis habere possunt; cùm non sint secundùm cit. constitutionem Martinianam specialiter denunciati excommunicati. Item cum iisdem comitari funera; dummodo id non fiat animo favendi Hæreticis, ùt Hæretici sunt; & absit scandalum Catholicorum; utì habet Azor. Sanch. Pirh. Item Catholici possunt templa Hæreticorum adire, & filios eorum ex Baptismo ibidem levare; dummodo is ritu Catholico administretur, utì habet Pirh. & Azor.

2. Nota secundò: vetitum est Catholicis Laicis disputare cum Hæreticis formalibus, præsertim Magistris errorum; utì habetur *cap. Quicunque 2. hoc tit. in 6.* Imò & Clerici indocti regulariter cum eisdem disputativè congredi

gredi non debent, *can. cum quibus 36. cauſ. 24. q. 3.* Eſt q; Ratio; quia Laici plerumque, & Clerici indocti non ſunt verſati in controverſiis Fidei; ac proinde poſſent in diſputando cum Hæretico præſertim Magiſtro errorum ſuccumbere cum ſcandalo aliorum, & præjudicio Fidei Orthodoxæ. Si tamen Laicus aliquis reperiretur eximiè doctus, aut Clericus eſſet Theologus practicus in controverſiis, & ex diſputatione utilitas aliqua, puta confutatio, & confuſio Hæreticorum circa ſua dogmata; aut ſpes converſionis eorundem ſperaretur; tunc tales diſputare poterunt cum Hæreticis; uti habet S. Thomas, Sanch. Farin. Pirh. &c.

3. Nota tertio: vigore Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 6. de Refor.* poſſunt Epiſcopi abſolvere ab hæreſi occulta; & hujusmodi facultas videtur reſtricta ad ſolam perſonam Epiſcopi, ita ut per ſuum Vicarium, vel alium hujusmodi abſolutionem regulariter præſtare non valeat; uti notat Molin. Gutier. Garc. &c. Nec hanc facultatem Epiſcoporum eſſe revocatam contendit Laym. & Pirh. ſed contrarium veriùs tenet Barbos. Azor. Suar. & ſtat pro hoc declaratio DD. Cardinal. Congregat. Interpretum Conc. Trid. Barbos. Azor. Suar. &c. Alii diſtinguunt dicendo, Epiſcopos valde remotos ab Urbe, uti ſunt Epiſcopi Germaniæ, & Poloniæ non obſtante annua revocatione Bullæ Cœnæ adhuc poſſe uti dictâ facultate in foro conſcientiæ abſolvendi ab hæreſi non tantùm occultâ; ſed & publicâ; cùm frequens ſit converſio Lutheranorum, & Calviniſtarum in illis regionibus; & occurrant evidentia impedimenta eos mittendi Romam; ut proinde hujusmodi caſus Papales fiant Epiſcopales. Item cùm in Germania non ſint Inquiſitores hæreticæ pravitatis iidem Epiſcopi ſiunt delegati Sedis Apoſtolicæ; ut proinde Hæreticos ibidem poſt abjuratam hæreſim, & pœnitentiam impoſitam, eosdem ab excommunicatione contracta, & Papæ reſervatâ abſolvere valeant, juxta *cap. Ut Officium 11. hoc tit. in 6.* ubi eſt recurſus difficilis valdè ad Papam. Et ita docent Molin. Pirh. Farinac. Franc. Laym. &c. Præpoſito etiã Generali Societatis JESU (& videntur in hoc per cõmunicationem privilegiorum participare quoque alii Ordines, præſertim in partibus ab Urbe remotioribus, ùt Germania remotiori) à Julio III. an. 1552. die 22. Octob. conceſſa eſt facultas per ſe, vel alios quoscunque abſolvendi à caſibus hæreſis in foro conſcientiæ; uti habetur in compendio Privil. Societ. ver. *abſolutio.* Maximè dum caſus Papales ſiunt Epiſcopales, ob nimiam difficultatem remittendi ad Urbem neoconverſos, utpote pauperes, fœminas, ſenes, filiosfamilias, ſubditos &c. Et quia Hæretici Germaniæ hodie poſt Conc. Conſtant. communiter ſunt tolerati; & à rigore antiquorum Canonum liberati: niſi aliqui eorum eſſent Hæreſiarchæ, vel ſpecialiter excommunicati.

4. Nota quartò: de Jure communi Hæreticus notorius Laicus ad Fidem Catholicam converſus remanet irregularis, & inhabilis ad beneficia Eccleſiaſtica, Ordines, & Officia publica; uti conſtat ex *can. Saluberrimum 21. cauſ. 1. q. 7.* Et *cap. Quicunque 2. hoc tit. in 6.* Et ſi Clerici fuerint, nequeunt ad ulteriores Ordines promoveri; in ſuſceptis tamen ante hæreſim poſſunt miniſtrare, poſt abſolutionem, *cit. can. Saluberrimum.* Si tamen hæreſis Laici converſi fuit occulta, cenſet Layman, Avila, & Pirh. eum non contrahere tunc irregularitatem; & deducunt hoc ex *cap. ad abolendam 9. hoc tit.* Irregularitatem autem ob hæreſim notoriam contractam diſpenſat ſolus Papa; uti habet Pirh.

5. Nota quintò: filii Hæreticorum de Jure communi privantur hæreditate, & omnibus bonis paternis, tametſi efficiantur Catholici; uti habetur *cap. Vergentis 10. hoc tit.* Et *cap. penult. eod. in 6.* Quod ſtatutum eſt in terrorem criminis hæreſis; ſi tamen patres eorum pœnituiſſent ante mortem, filii non ſunt privandi hæreditate præfata, *cap. Statutum 15. hoc tit in 6.* Sed & dicti filii, uti & fautores, defenſores, & receptores Hæreticorum, ſunt irregulares, ita ut ad Ordines promoveri nequeant, *cap. 2. juncto cap. cit. 15. hoc tit. in 6.* Et diſpenſatio in dicta irregularitate eſt quoque Papæ reſervata. Porrò *Fautores* Hæreticorum cenſentur eſſe illi, qui auxilium præſtant Hæreticis, vel favent in ſua hæreſi, excuſando eos, laudando, commendando, viſitando, occultando, &c. *Receptores* eorum cenſentur eſſe, qui recipiunt eos, nè veniant in manus Judicis. *Defenſores* verò, qui eorum errores defendunt, vel perſonam tuentur, nè capiatur, vel denuncietur, vel puniatur, &c. Filii autem Clerici Hæreticorum, quamvis in paterna hæreſi non participaverint, privari debent ſuis beneficiis Eccleſiaſticis, & Officiis publicis, ſi quæ poſſideant, *cap. Ut commiſſi 12. hoc tit. in 6.* Nec admitti ad alia ulla beneficia impoſterum, *cap. Statutum 15. hoc tit. in 6.* Niſi patres eorum pœnituerint, *cit. cap. 15.*

6. Nota ſextò: Receptores, Defenſores, & Fautores Hæreticorum incurrunt Excommuni-

municationem; quam si contempserint, post annum efficiuntur infames, arcentúrque ab omnibus Officiis publicis, & consiliis: adimitur ipsis quoque potestas testandi; ac hæreditandi; acta pariter eorum in Judicio evadunt irrita,& invalida, *cap. Excommunicamus 13. hoc tit.* Et in Bulla Cœnæ. Item Clerici debent talibus pestilentibus hominibus denegare Sacramenta, & sepulturam Ecclesiasticam, *cit. cap. 13. §. sane.* Nec ullus favor, consilium, aut patrocinium eisdem est præstandum, *cap. Si adversus 11. hoc tit.*

7. Nota septimò: nè autem crimen hæresis, tam perniciosum Reipublicæ, latè serpat, & profundiores figat radices, S. Canones prohibent in illis locis, ubi nata est hæresis aliqua, fieri clandestina conventicula *cap. Cum ex injuncto, 12. hoc tit.* Similiter conciones clandestinas,& publicas citra consensum Episcoporum faciendas vetat *cap. Excommunicamus; cum sequent. hoc tit.* Et ordinat, ut Ordinarii faciant diligentes annuas visitationes in locis de hæresi suspectis, *cit. cap. Excommunicamus.* Et in ejusmodi visitationibus sibi adjungant Inquisitores, qui cognoscant de personis in hæresi suspectis, *cap. Per hoc 17. hoc tit. in 6.*

8. Nota octavò: Ordinarii Judices criminis hæresis sunt Papa, & Legatus à latere; uti notat Farinac. & Pirh. Quod munus oritur in eis ex eminenti dignitate, quâ in Ecclesia fulget Papa, & Legatus à latere. Similiter Episcopus in sua Diœcesi Judex constituitur super delicta hæresis, ex *Clement. 1. hoc tit.* Et *cap. Ad abolendam 9. hoc tit.* Idem dicendum de Capitulo Sede vacante, *cit. cap. 9.* Principes autem sæculares nullò modò sunt Judices super causas hæresis: etiam commissas à Laicis; uti constat ex *cap. Ut inquisitionis 18. hoc tit. in 6.* Possunt tamen, imò & tenentur dare auxilium Episcopis,ac Inquisitoribus ab eis constitutis ad capiendos, carcerandos, & puniendos Hæreticos, eorúmque Fautores, *cit. cap. 18.* Et *cap. Præsidentis 6. hoc tit.* Principes quoque sæculares nequeunt condere statuta, quibus quòvis modò Inquisitores Hæreticorum impediantur, aut retardentur in suis muneribus, *cap. Statutum 9. hoc tit. in 6.* Dicti Inquisitores debitè instituti sunt Judices competentes, non quidem Ordinarii,sed delegati, in crimine hæresis; uti constat ex *Clement. 1. hoc tit.* Et *cap. Nè aliqui 10. hoc tit.* Possunt proinde in delegata tota sibi Provincia procedere tum contra ipsos Hæreticos; tum contra eorum fautores, receptores, & defensores; & hoc conjunctim, & divisim; si plures eorum sint in eadem Provincia, *cap. Ut Officium 11. hoc tit. in 6.* Possunt pariter Hæreticis resipiscentibus beneficium absolutionis impertiri, habitâ ad hoc speciali facultate *cit. cap. 11.* Et talibus injungere, quod *can. quoties 9. caus. 1. q. 7.* injungi consuevit. Non possunt tamen contra ipsummet Episcopum inquirere in crimine hæresis; sed eum Sedi Apostolicæ denunciare, *cap. Inquisitores 16. hoc tit. in 6.* Nec contra Sedis Apostolicæ Officiales, vel Nuncios; sed eosdem suspectos pariter dictæ Sedi significare, *Extravag. Cum Matthæus 3 & ult. hoc tit. inter communes.* Plura circa Inquisitores hujusmodi vide in *cap. Per hoc 17.* Et *cap. Ut commissi 12. in 6.* Et in *Extravag. Ex eo 1. hoc tit. inter communes.* Et *Clement. Multorum 1. hoc tit.*

9. Nota nonò: juxta *cap. Excommunicamus 13. hoc tit.* Et Constitutionem Pauli IV. tenentur Principes sæculares, & alii Domini Hæreticos denunciatos ab Ecclesia, ac ab eadem damnatos, eorúmque complices exterminare omni possibili modo; sicque purgare territoria sua: quòd si id facere neglexerint, cùm tamen possint, anathemati subjiciendi sunt; & si in eodem per annum persistiterint, Papa vasallos eorum fideles absolvet à juramento; ac territoria dicta exponet aliis fidelibus Principibus occupanda, salvo tamen Jure Domini alti, seu Supremi; nisi & is sit in culpa. His consentit Constitutio Friderici Imp. *Auth. Cazaros C. hoc tit.*

10. Nota decimò: in causa hæresis procedi potest summariè, & de plano, absque ullo strepitu, & figura Judicii; quare in ea non est necessaria in Scriptis oblatio libelli, contestatio litis, feriarum observatio, dilationum concessiones prolixæ, exceptiones & appellationes frustraneæ, &c. uti notant Farinac. Pirhingus, & cæteri Doctores. Substantialia tamen Juris debent observari; unde facienda est citatio Rei, probationes afferendæ, defensiones necessariæ admittendæ. In hoc processu potest eadem persona agere testem, & accusatorem, vel denunciantem, *cap. In omni 4. de testib.* modò priùs juret, se non ex passione odii, ac levitate accusare, vel denunciare; uti notat Vallens. Imò quivis in hoc crimine potest pro teste admitti; quare etiam Laicus adversùs Clericum de hæresi testificari potest, *cap. De cætero 14. de Testibus.* Et Socius criminis juxta Sanctionem Alexandri IV. allegatam à Vallens. Et infamis, ac perjurus; modò hi non sint inimici Rei, *cap. In Fidei 5.* Et *cap. Accusatores, 8. hoc titulo in 6.* In hoc

crimine

crimine quoque recipiuntur testes, juramenta, & depositiones eorum, etiam parte, contra quam fiunt, absente & non citatâ. Nec sunt publicanda nomina testium, & accusatorum, si ex publicatione tali timeatur grave periculum personis, aut bonis ipsorum accusatorum, vel testium; vel consanguineis eorum imminere propter potentiam inquisiti, *cap. ult. hoc tit. in 6.*

CAP. IV.

Resolutiones speciales de Hæreticis pro Ordine Franciscano.

1. NOta primò: ad Religionem Franciscanam de Observ. & Reformat. suscipi nequeunt Hæretici formales; nec de aliquo errore suspecti, nec descendentes ab Hæreticis usque ad quartam generationem, quorum corpora, vel statuæ sunt combustæ; uti habent Constitut. Generales totius Ordinis *cap. 2. §. 1. n. 1.* Et General. Reformat. *cap. 2. n. 2. & 3.* Et habetur in Constitutionibus Papalibus Julii II. *cap. 2.* Et prima duo puncta fundantur in Seraphica Regula, ibi, *examinent eos diligenter de fide Catholica, &c.* Per *Suspectos* autem *de aliquo errore*, intelliguntur secundùm Sanct. & S. Severinum laborantes tum suspicione levi, tum vehementi, tum violentâ, seu maximâ, quæ adducuntur in *cap. accusatus, de hæret. in 6.* Et *cap. ad abolendam.* Et *cap. excommunicamus, de hæret.* Et *cap. literas, de præsumpt.* Si tamen tales suspecti congruâ purgatione propriam monstrâssent innocentiam, uti dicitur *cap. Excommunicamus 1. de hæreticis*, poterunt ad Ordinem suscipi; uti tenent *cit.* DD. Nam tunc cessat omnis suspicio.

2. Nota secundò: Gregorius IX. concessit Fratribus nostris Minoribus proficiscentibus in terras Infidelium, ut Hæreticos, Apostatas, & Schismaticos inter Saracenos commorantes possint absolvere. Similiter Alexander IV. concessit Prælatis majoribus Ordinis nostri, puta Generalibus, Provincialibus, & Custodibus regiminis plenariam facultatem quoscunque suos subditos regulares, etiam Moniales, & Tertiarios, in hæresim vel apostasiam lapsos, ac relapsos absolvendi, & cum eis dispensandi; uti refert Sorbus in Compend. Privil. Ordinis Min. Quid verò possint Minoritæ circa absolutionem sæcularium ab hæresi, remitto me ad dicta suprà *cap. 3. not. 3.* Et *tom. 3. Schola meæ Theol. tract. de Sacram. dist. 11. q. 9. n. 1.* & aliis.

TITULUS VIII.

De Schismaticis; & Ordinatis ab eis.

CAP. UNICUM.

Quædam Resolutiones circa Schismaticos, & Recipientes ab eis Ordines.

1. NOta primò: continuando crimina pertinentia ad Judicium Canonicum, *isto tit.* Pontifex agit de crimine Schismatis, & de Schismaticis. Est autem Ly *Schisma* vox Græca, Latinè significans *Scissuram*, seu *Disjunctionem*, & *Dissensionem*: per antonomasiam verò significat scissuram à vera Ecclesia Romana. Unde

2. Dico primò: rectè definitur Schisma, quòd *sit disjunctio, & divisio ab unitate veræ Ecclesiæ, ejusque Capite, Romano scilicet Pontifice*: Schismaticus verò, quòd *sit homo separans se ab unitate Ecclesiæ veræ, & Obedientiâ totali Summi Romani Pontificis, veri Capitis ejusdem Ecclesiæ.* Ita constat ex *can. Schisma, caus. 22. q. 1.* Ly *disjunctio, & divisio* in prima descriptione ponitur locô generis; reliqua loco differentiæ. In secunda verò Ly *homo* habet rationem generis; reliqua rationem differentiæ.

3. Nota secundò; omnem Hæreticum esse simul Schismaticum; non verò è contra; quia Schisma potest stare cum credulitate omnium articulorum Fidei Orthodoxæ; cùm ex sua natura importet solam separationem, & scissuram à vera Ecclesia, & defectionem totalem à capite ejusdem, quod est Romanus Pontifex, in quo differt ab hæresi, quæ semper aliquem articulum Fidei negat, *can. inter, caus. 24. q. 3.* Transit tamen plerumque Schisma in hæresim; cùm Schismatici plurimùm confingant etiam aliqua dogmata contraria Ecclesiæ Romanæ, & Summo Pontifici, ut factum suum, & contumaciam cohonestent, & defen-

defendant, rectéque videantur ab Ecclesiæ veræ unitate recessisse; uti in priori sæculo apparuit in Henrico VIII. Angliæ Rege, qui excusså obedientiâ Romani Pontificis, & recedens ab Ecclesia Romana Religionem seu sectam Anglicanam fabricavit, & se Caput Ecclesiæ Anglicanæ constituit.

4. Dico primò: Schisma est gravissimum peccatum mortale, & meritò punitur majori Excommunicatione latæ sententiæ. Ita communis DD. Et habetur in Bulla Cœnæ. Et præterea Schismaticus privatur dignitate, aut cingulô, & omni officiô, beneficiô, honore, & Prælaturâ actu possessâ; bonis item mobilibus, & immobilibus, Juribus ac Jurisdictionibus præsentibus, *cap. unic. hoc tit. in 6.* Si verò nullam dignitatem, vel beneficium, &c. habeat, amittit omnem substantiam, & pellitur in exilium, *can. qui contra, caus. 24. q. 1.* Schismaticorum fautores pariter, ac defensores excommunicationem incurrunt, *cap. unic hoc tit. in 6.* Schismatici quoque inhabilitantur ad beneficia, & dignitates Ecclesiasticas obtinendas, præsertim Episcopalem; etiam peractâ pœnitentiâ; uti constat ex *cap. Quia diligentia 5. de elect.*

5. Dico secundò; omnes Ordinationes à Schismaticis factæ sunt irritæ scilicet quantùm ad executionem, & functionem; item omnes collationes dignitatum, beneficiorum, & bonorum alienationes per Schismaticos exercitæ, sunt invalidæ; & ad Ecclesias sinè onere revertuntur. Ita Zoës. & Vallens. Et habetur *cap. Quod à prædecessore 1. hoc tit.* In similibus tamen ordinationibus character verè imprimitur, & Ordo per se subsistit; uti habetur *cap. 2. hoc tit.* Estque Ratio; quia Episcopus Schismaticus quà talis adhuc retinet potestatem ordinandi; quamvis jurisdictione privetur; cùm sit extra Ecclesiam, *can. Novatianus, caus. 7. q. 1.* Et *can. didicimus, caus. 24. q. 1.*

6. Dico tertiò: Probabilior est sententia tenens, Schismaticos purè tales nullam incurrere irregularitatem; unde tales post actam pœnitentiam ad Ordines possunt promoveri. Ita Azor. Zoës. Pirh. &c. DD. contra Vallens. &c. Ratio est; quia in nullo Canone reperitur similis aliqua irregularitas. Quòd si tamen cum Schismate eorum esset conjuncta aliqua hæresis (uti fieri plerumque solet) tales contraherent irregularitatem; juxta *can. inter, caus. 24. q. 3.*

TITULUS IX.

De Apostatis, & Reiterantibus Baptisma.

CAP. I.

De Apostatarum Quidditate, Diversitate, & Pœnis.

1. Nota primò: *hoc tit.* prosequendo crimina fori Canonici proponit Papa crimen Apostasiæ; & Reiterationis Baptismi. Si nomenclaturam *Apostata* spectes, est nomen Græcum, Latinis idem quod *desertor*, seu *rebellis*; & *Apostasia* idem quod *desertio*, seu *rebellio*; ut notat ex S. Thoma Vallens. & alii DD. In proposito ergo Canones nomine Apostatæ comprehendunt hominem Christianum temerariè à DEO recedentem; quod tripliciter contingere solet, scilicet recedendo à statu Fidei; recedendo à statu susceptæ Religionis; & recedendo à statu suscepti alicujus Ordinis Sacri; unde etiam tres in hoc titulo, & aliis Juris Canonici assignantur species Apostatarum, scilicet Apostata perfidiæ, Apostata Religionis, & Apostata Ordinis Sacri. Circa quos

2. Nota secundò: rectè describitur Apostata perfidiæ, quòd *sit homo Christianus, deserens in totum Fidem Christianam semel susceptam, & transiens ad Paganismum, vel Judaismum, vel Mahometismum.* De hoc procedit *can. non potest, caus. 2. q. 7.* Hic differt ab Hæretico, quòd Hæreticus Fidem veram in uno, vel aliquot duntaxat articulis reneget; Apostata autem perfidiæ in omnibus prorsùs articulis. Prò his statutæ sunt pœnæ in Jure eædem, quibus Hæretici sunt obnoxii; uti patet ex variis Legibus, quas affert Vallens. *hoc tit.* Et docet Abbas, Hostiens. Sylv. &c.

3. Nota tertiò: Apostata Religionis bene describitur, quòd *sit homo Christianus sinè facultate debita Superioris Regularis deserens propria temeritate totaliter statum Religiosum, quem semel legitimè fuit professus, aut saltèm ab obedientia Prælati Ordinis sese subtrahens, & vagationi se committens.* De hoc procedit *cap. pen. hoc tit.* In hujusmodi Apostatam statuta est pœna excommunicationis, uti constat ex *cap. 2. hoc tit.* quæ probabiliùs est sententiæ ferendæ, secundùm Gloss. Sanch. &c. Item pœna incarcerationis

tationis quousque desertum Religionis habitum reassumpserit *cap. 1. hoc tit.* Religiosi Apostatæ fugitivi sunt quotannis requirendi, & in claustra deducendi, secundùm Constit. Gregorii IX. *cap. fin. de Regular.*

4. Nota quartò: Apostata ab Ordine Sacro bene describitur, quòd *sit homo Christianus, qui post editum votum continentiæ, & susceptum Sacrum Ordinem, ad statum Conjugalem vel laicalem conversationem, dimisso habitu Clericali, propria temeritate revertitur.* De hoc procedit *can. fin. dist. 50.* Hujus pœna est excommunicatio; sed ferenda, secundùm Abbat. & Menoch. Item pœna infamiæ; quare talis durante Apostasiâ repellitur ab accusando, & testificando, *can. alicui, caus. 1. q. 7.* Item amissio privilegii Ordinis Clericalis; non tamen fori, *cap. 1. hoc tit.* Item incarceratio; ùt habet Pirhingus.

CAP. II.

De reiterantibus Baptisma.

1. Nota primò: circa hanc partem rubricæ *hujus tit.* vide dicta *tom. 1.* hujus Operis *tit. 16. cap. 2.* Deinde observa extare varias decisiones de Baptismo ritè collato non iterando, seu rebaptizando; ut *can. non licet 107.* Et *cap. cùm itaque 112. dist. 4. de Consecrat.* Et novissimè in Tridentino *sess. 7. can. 9. de sacram. in gen.* Et *cap. 11. de Bapt.* Et *sess. 14. cap. 2.* Et iterantes scienter, ac culpabiliter Baptisma, efficiuntur irregulares, ita ut Ordines majores suscipere nequeant, *cap. 2. hoc tit.* Imò & Accolythi, Subdiaconi, & Diaconi præfatô modô reiterantibus ministrantes, *cap. Ex litterarum 2. hoc tit.* Horum autem irregularitas tollitur per ingressum in Religionem approbatam.

2. Nota secundò: sed & ipsi baptizati adulti, si notitiam prohibitionis de Baptismo non iterando, & sui baptismi habuerint, redduntur irregulares, ita ut nulla ratione promoveri possint ad Ecclesiasticos Ordines; uti habetur *can. confirmandum 65. dist. 50.* Non item in casu, quo ignorârunt præfatam prohibitionem, & sui Baptisma jam antè ritè factum; modò non sit ignorantia crassa, seu culpabilis; uti habet Diaz, Covarr. Navar. &c. Estq; Ratio; quia memorata irregularitas inducta est à S. Canonibus in pœnam delicti; in casu autem ignorantiæ nullum intervenit delictum ex parte baptizati.

3. Nota tertiò: præterea scienter reiterantes Baptisma, si Clerici sint, deponuntur, *cap. eos quos 118. dist. 4. de Consecrat.* si verò Laici sint, excommunicantur, *can. ult. dist. 51.* Et secundùm Jus Civile tam reiterantes Baptisma, quàm baptizati ultimô suppliciô afficiuntur, *L. 1. & L. 2. C. ne sacrum Baptisma iteretur.*

CAP. III.

Quid de Apostatis Minoritis sit specialiter statutum?

1. Nota primò: quamvis nomine *Apostatæ à Religione* in rigore veniat ille Religiosus, qui dimittit habitum cum voluntate ad illam non redeundi, *cap. 1. 3. & ult. de apostatis.* Et ille qui cum habitu vagatur, sed animo nunquam ad Religionem revertendi, uti notat ex Abbat. & Navar. Sanctorus *super stat.* Nihilominùs in Ordine nostro Franciscano de Observ. & Reform. nomen Apostatæ etiam alijs, ut vagabundis, & contra obedientiam aliquò euntibus convenit; uti constat ex Constitutionibus Papalibus Julij II. *cap. 7.* ubi dicit *cit.* Pontifex, *intelligimus Apostatantem omnem, qui sinè licentia, vel contra obedientiam suorum Prælatorum per terras, loca, seu patrias, cum habitu, vel sinè habitu cum Socio, vel sinè illo iverit; atque quomodolibet discedentem.*

2. Nota secundò: in Ordine nostro Franciscano Apostasia præfata habet gradus, ita ut alia sit levis, levior, levissima; & alia gravis, gravior, gravissima; uti habent Constit. generales Ord. modernæ *cap. 2. §. 8. sub variis numeris;* quæ ibidem bene distinguuntur, & proportionatis pœnis mulctantur; uti & in Constit. general. Ref. *cap. 2. tit. apost.* quas omnes esset longum nimis recensere hic.

3. Nota tertiò: Prælati Ordinis Minorum habent Apostolicam authoritatem Innocentij IV. & Julij II. omnes, & singulos suos Apostatas declarandi Excommunicatos; uti habetur in Constit general. Ord. *cit. loc. n. 3.* Et gener. Reform. *cit. n. 3.* quod fieri debet in communi refectione Fratrum immediatè sequenti. Apostasiæ Fratrum illicò notificandæ sunt Ministro Provinciali, ut easdem notet in libro Apostatarum; sicque sciatur excessus, dum redierint, *ibidem.* Insuper Minister Provincialis informet Procuratorem generalem Romæ ad Curiam Apostolicam commorantem, de illis Apostatis, qui extra Provinciam abierint; uti habent Constitut. gen. Reform. *cit. n. 17.* & statuta totius Ordinis *cit. n. 23.* Nec ullus Provincialis, vel Superior Localis potest retinere Apostatam ad suam Provinciam, vel Conventum accedentem; sed postquam ipsum absolverit, remittat cum litteris testimonialibus ad suam Provinciam; uti habent *cit.* Constit. general. Ord. *cap. 23.* Et general.

neral. Reform. *cit. n. 17.* ubi etiam taxantur pœnæ contravenientibus huic statuto. Circa modum absolvendi Minoritas Apostatas, consule Constit. gen. totius Ord. *cit. n. 27. & n. 28.*

4. Nota quartò: Superiores quicunque Provinciarum, & Conventuum, invigilare, ac curare debent, ne per suas Provincias, & Conventus, atque vicinias eorum, vagentur Apostatæ; sed curent eos capi, & carceribus mancipari; nam ad hoc facultatem habent ex Constit. gen. Ord. cit. *n. 30.* Et general. Reform. *cit. n. 22. & 23.* Et ex Bulla 7. Innocentij IV. Et ex Tridentino *sess. 25. de Reg. cap. 4.* ubi mandatur superioribus Regularibus, ut Regulares sinè mandato superiorum vagantes tanquam desertores sui instituti puniant.

5. Nota quintò: Apostatæ Minores postquam redierint, ac in quacunque Provincia existant, non possunt promoveri ad ullum officium, nisi priùs per decennium post apostasiam laudabiliter vixerint; uti habent Constit. gen. Ord. *cit. n. 34.* Potest tamen Capitulum Provinciale circa ejusmodi pœnam dispensare, si in Apostata signa singularis emendationis adverterit; & personæ qualitas ita suaserit, *ibidem n. 35.* Et Constit. gen. Ref. *cit. n. 25.*

6. Nota sextò: Apostatæ nostri Ordinis singulis annis à superioribus perquirendi sunt, ut ad Religionem revertantur; quòd si noluerint amicabiliter redire, debent dicti superiores eos cogere omni meliori modô, & remediô; uti habet Urbanus VIII. in *Constit. 26. §. 4.* Et dum redierint, ijdem superiores non debent remittere eis pœnas, etiam ad instantiam quarumcunque personarum extra Ordinem; uti habet Breve quoddam Pauli V. quod incipit *admonemur &c.* Et refertur à Lantusca in theat. reg. ver. *Apostata.*

TITULUS X.

De his, qui filios occiderunt.

CAP. UNIC.

Resolutiones circa Filijcidium, & Parricidium.

1. Nota primò: prosequitur Papa ventilare graviora crimina; & *hoc tit.* tractat de homicidio; & signanter de gravissima specie homicidij, quod vocatur Filiicidium, id est occisio filiorum, seu descendentium; & Parricidium, id est occisio parentum, & aliorum ascendentium.

2. Dico primò: gravissimè lege Divina, & humana prohibitum est Filijcidium, & Parricidium. Ita communis DD. Et habetur in Decalogo Divo. Et *L. 1. ff. ad Legem Pompeianam, de Parricid.* Et *L. 1. C. de his, qui parentes, vel liberos occidunt.*

3. Nota secundò: Filijcidij pœna, & crimen extenditur ad vitricos, & novercas occidentes privignum, vel privignam; & ad Socerum vel socrum, occidentes generum, vel nurum; uti constat ex *L. cit. 1.* Similiter Parricidij impietas, & pœna extenditur ad filios, occidentes avum, vel aviam, & quoscunque ascendentes in infinitum; *cit. L. 1.* Item ad generum, aut nurum occidentes socerum, vel socrum, *cit. L. 1.* Item ad occidentes Consanguineos transversales intra quartum gradum; uti habet Glossa, & Farinac. Reducuntur etiam ad hoc crimen grande occidentes Patronum, vel Patronam, *cit. L. 1.* Et occidentes uxorem; & è contra *cit. L. 1.* Imò & occidentes sponsam; uti habet Glossa, & Farinac. Item huc spectant illi extranei, de quorum jussu patratum est Filijcidium, vel Parricidium *cit. L. 1.* Item auxilium ad ea præstantes, & quovis modo participantes de hoc crimine *L. utrum 6. ff. eod.*

4. Dico secundò: secundùm Jura Civilia Filijcidij, & Parricidij pœna est primò verberatio occisoris, facta virgis sanguineis; deinde insutio ejusdem in culeo, id est sacco coriaceo unà cum cane, & gallo gallinaceo, & vipera, & simia; & demum ejusdem sic insuti projectio in flumen. Ita communis DD. Et habetur *L. pen. ff. ad Leg. Pompei. de Parricid.* Et *L. unic. C. de his, qui parent. vel fil. occider.*

4. Nota tertiò: secundùm autem Jura Canonica, is qui parricidium commisit, per unius anni decursum ab ingressu in Ecclesiam arceri debet; tribus etiam annis debet abstinere à Sacramentorum receptione; uti & ab esu carnium, & potu vini, diebus Dominicis, ac festis, & tempore Paschali exceptis; item debet ter in septimana jejunare usque ad vesperam; pedes semper incedere, *can. laborem 15. caus. 33. q. 2.* Mater verò filijcida, si vidua sit, inducenda est, ut pœnitentiam agat in Monasterio, *cap. 1. hoc tit.* Si verò sit conjugata, aliâ pœnâ proportionatâ est plectenda, *cap. 2. hoc tit.*

6. Nota

6. Nota quartò: si parentes infantem de nocte reposuerint in suum communem lectum; & is deinde mortuus reperiatur; ipsi autem parentes ignorent, an eundem forsitan oppresserint; tunc non sunt extra omnem culpam; & indicitur ipsis pœnitentia trium annorum, ita ut unus sit in pane & aqua, *cap. ult. hoc tit.* nam peccâsse censentur in hoc, quòd infantem in communem lectum posuerint. Et monendi, ac protestandi sunt parentes, ne tenellos infantes secum in lecto collocent, propter periculum suffocationis.

TITULUS XI.

De infantibus, & languidis expositis.

CAP. UNIC.

Resolutiones circa infantes, & languidos expositos.

1. NOta primò: quia quoque speciem homicidij habet, si genitores, vel alij infantes exponant; ideo post homicidium, Papa de hoc crimine *istum tit.* subdit. Circa quem

2. Dico primò: grave crimen continet expositio, & abjectio infantis, ac minoris, ut pereat; vel per alios miseratione ductos alatur. Ita communis DD. Et habetur in *Novel. 153. in fine.* Et *L. necare 4. ff. de agnos. & alend. liber.* Et *can. si expositus, dist. 87.*

3. Dico secundò: similiter graviter peccat, qui languidos, & infirmos exponit, quique ipsis alimenta impiè denegat. Ita communis DD. Et habetur *cap. si à patre, unic. hoc tit.*

4. Nota secundò: si qui genitores ad talem redacti sint inopiam, ut proles suas alere nequeant; non propterea eos exponere licet; sed allaborare debent, ut in hospitali, vel alibi vivi conserventur, & alantur; sicut de servo decernitur, *L. 10. C. de latina libert. tollen.* Ecclesia, quæ in casu expositionis infanti exposito alimenta misericorditer subministravit, non potest suo tempore ea repetere; uti constat ex *can. Sacrorum 15. cauf. 12. q. 2.* Si verò extraneus ea subministrâsset; tunc eadem repetere potest, si ab initio protestatus sit, se ea velle repetere; uti habet Pirhingus: suscipiens languidos, & infirmos expositos in domum suam, & alimenta, ac curam eis impendens, non acquirit aliquod jus in eorum personas, *cap. fin. hoc tit.*

5. Dico tertiò: exponentes infantes ut pereant, digni sunt pœnâ homicidij. Ita communis DD. Et constat ex *L. 2. C. eod.* Et *L. nec filium C. de patr. potest.* Et si Pater hoc fecerit amittit præterea jus patriæ potestatis; si Dominus, jus dominicæ potestatis; item pater exponens privatur successione filiæ, vel filij ab intestato decedentis: uti habet Vallens. In tali enim casu filius expositus censetur habuisse incertum patrem, qui filiò non sit dignus; ac proinde is carere debet omni utilitate filij decedentis ab intestato.

TITULUS XII.

De homicidio voluntario; vel casuali.

CAP. I.

De quidditate homicidij in genere ejúsque divisione, & requisitis ad pœnam injusti homicidij incurrendam.

1. NOta primò: in *super. tit.* actum fuit de aliquibus speciebus homicidij; nunc Papa de eodem in genere proponit *hunc tit.* Derivatur autem ly *homicidium* ab *hominis cæde.* Circa hoc

2. Dico primò: rectè describitur homicidium in genere, quòd *sit violentia occisio, seu cædes hominis ab homine facta.* Ita constat ex *can. si homicidium 41. cauf. 23. q. 5.* Ly *occisio,* seu *cædes* ponitur locô generis; reliqua locô differentiæ.

3. Nota secundò: homicidium corporale, de quo *hoc tit.* primò dividitur in voluntarium, & involuntarium, seu casuale. *Voluntarium* est, quod dolo malo, & animo occidendi quoquo modo perpetratur, *L. 1. ff. ad Leg. Cornel. de siccarijs.* sub hoc comprehenduntur homicidia facta tum aperto marte, tum

tum insidijs, tum authoritate Judicis, tum veneficiô, tum pharmacô, tum aliô quôcunque modô; ut notat Vallen. *Involuntarium*, seu *Casuale* est, quod casu fit, & præter intentionem agentis, ita ut nec in se, nec in causa sit volitum. De hoc procedit *cap. 7.* Et *cap. 13.* Et *alia sequentia, hoc tit.* talia sunt mortes secutæ ex vulneribus non lethalibus inflictis; sed causatæ maliciâ Medici; vel negligentiâ, & temeritate læsi, remedia opportuna non adhibentis; ut notat Vallens.

4. Nota tertò: homicidium voluntarium subdividitur in licitum seu justum; & in illicitum, seu injustum. *Primum* habetur, quod perficitur justa de causa; tale est decollatio latronis v. g. legitimè facta à Judice. *Secundum* habetur, quando quis alterum occidit sinè causa; talis est occisio insontis facta à latrone. Ultimum rursus subdividitur in *voluntarium directè*; tale committitur, dum quis expressè intendit occidere hominem. Et *voluntarium indirectè*, seu in causa, quando quis non intendit directè mactare, tale fit, si quis poculum venenosum alicui præbeat, ex cujus bibitione moraliter sequitur ejus mors, quamvis ea non intendatur à præbente. Demum homicidium voluntarium justum aliud est *necessarium* ac defensivum; tale fit, dum quis alterum occidit ad defensionem necessariam sui, de quo *cap. 2. hoc tit.* Aliud *punitivum*, quod fit publicâ authoritate Judicis, seu Magistratûs, ad punienda crimina atrocia.

5. Dico secundò: homicidium necessarium defensivum est justum, licitum, & permissum, si fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ; similiter punitivum. Ita communis DD. Primum constat ex *cap. 2.* Et *L. 2. & 3. & 4. C. ad Leg. Cornel. de siccarijs.* Estque Ratio; quia vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ, *cap. Significasti 17. hoc tit.* Et *L. 3. ff. de just. & Jur.* secundum constat ex *can quid culpatur, caus. 23. q. 1.* Et quia homicidium necessarium punitivum certorum criminosorum conducit ad tranquillitatem, & bonum universale Reipublicæ.

6. Nota quartò: censetur autem homicidium necessarium defensivum fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, quando ita perficitur, ut occidens non excedat limites defensionis; seu si non occidat ad vindictam sumendam; sed duntaxat ad injuriam propulsandam, ac vim arcendam, dum non suppetit alia via evadendi, *cap. 2. hoc tit.* tali modo censetur fieri occisio, dum viator latronem se invadentem occidit; aut miles aggredientem hostem, *can. Cùm homo, caus. 23. q. 5.* Item dum fur nocturnus armatus ingrediens domum mactatur; quia ignoratur an furandi, vel an mactandi animô ingrediatur, *cap. 3. hoc tit.* Circa ultimum articulum hujus cap.

7. Nota quintò: ut aliquod homicidium voluntarium reputetur injustum, illicitéque factum, & dignum ut incurrantur pœnæ statutæ contra voluntarios injustos homicidas, requiruntur sequentia duo. *Primò* ut sit patratum cum expressa directa ac spontanea voluntate occidendi, ita ut per eam mors ipsa in se fuerit intenta; vel saltèm in sua causa proxima, & infallibiliter illativa talis mortis: Et hoc requisitum homicidij injusti constat ex *cap. 1. hoc tit.* ibi *per industriam; & per insidias &c.* Et ex *cap. sicut 6. eod.* ibi, *qui animo occidendi &c.* *Secundò* requiritur, ut mors ipsa in effectu sit secuta; & non sufficit sola interna volitio de ea inferenda. Ratio est; quia est regula generalis hìc, quòd pœnæ à Jure statutæ, non incurrantur, nisi delicta sint consummata, id est, in effectum externum deducta; cùm in pœnis aliàs mitior sit facienda interpretatio, uti habet *regula 49. Juris in 6.*

CAP. II.

De pœnis à Jure statutis contra homicidas voluntarios injustos; & de varijs speciebus eorum.

1. Nota primò: secundùm Jus Canonicum homicida voluntarius injustus, si laicus sit, excommunicandus est; uti habetur *can. itaque 20. caus. 24. q. 3.* Si verò Clericus sit, deponendus est ab omni ordine, & officio; non tamen privandus communione, *can. Presbyter 12. dist. 81.* Et *cap. Cùm non ab homine 10. de Judic.* Et *cap. si quis 1. hoc tit.* Idem Clericus secutâ depositione in arctum carcerem detrudendus est, ad agendam ibidem pœnitentiam, *cap. Tua 6. de pœnis.* Et quidem saltèm ad septennium, vel quinquennium, *cap. Sicut dignum 6. hoc tit.* Similiter idem Clericus privandus est omni beneficio Ecclesiastico, per Sententiam Judicis, *cap. Clerici, 5. ne Clerici, vel Monachi &c.* Et *cap. Ex litteris 10. de excessib. Prælat.* Præterea Jure Canonico homicida voluntarius injustus efficitur irregularis; manétque talis, etiam peractâ pœnitentiâ, *cap. Inquisitionis 21. de accusat.*

2. Nota secundò: quivis homicida voluntarius injustus privatur successione ejus, quem occidit; sive hæreditas ab intestato, sive ex testamento ad eum aliàs devolvatur: nam in ca-

in casu Homicidii voluntarii injusti Fiscus hæreditatem occisi tollit ab homicida, deinde talis homicida olim deportabatur in insulam, ejúsque bona confiscabantur, *L. 3. ff. ad Leg. Cornel. de Siccar.* Hodie verò plectitur pœnâ mortis, *§. item Lex Cornelia, Instit. de public. Judic.* & procedit hæc pœna Jure communi tam contra homicidam nobilem, quàm ignobilem; utì habet Clarus, Pirh. &c. Circa alterum articulum hujus cap.

3. Nota tertiò: Varias posse considerari sortes homicidarum, de quibus dubium potest oriri. Et *primò*, Homicida voluntarius censendus est, & consequenter irregularis efficitur is, qui dat causam illi morti, quæ primò post longum temporis spatium sequitur; v.g. qui præbet lentum venenum, quod enecat primò post medium annum. Ratio est; quia qui dat causam damni, damnum dedisse videtur, *L. qui occidit 30. §. pen. ff. ad Leg. Aquil.* *Secundò*, formalis, & injustus homicida, ac incurrens irregularitatem reputatur is, qui procurat abortum animatum fœminæ prægnantis, *cap. Sicut 20. hoc tit.* Qui verò procurat abortum fœtûs nondum animati, non censetur homicida formalis; nec consequenter irregularis, *can. quod verò 8.* Et *can. seq. caus. 32. q. 2.* Utì & is, qui poculum sterilitatis viro, vel fœminæ dedit; vel aliô modô fœcunditatem abstulit; utì notat Farin. Quamvis talis per *cap. Si aliquis 5. hoc tit.* interpretativus homicida reputetur; seu instar homicidæ, quoad rationem delicti; non autem incursionem pœnæ. *Tertiò*, reputatur quoque effectu secuto homicida formalis injustus, & irregularis, qui mandat, ut cædes alicui inferatur; nam quod quis facit per alium, perinde est, ac si faciat per seipsum, secundùm *reg. Juris Can. 72. in 6.* Et aliam Juris Civilis; nihil interest, occidat quis, an causam mortis præbeat, *L. nihil 15. ff. ad Leg. Cornel. de Siccar.* *Quartò*, sed & is, qui mandat aliquem verberari, licèt expressè intendat, nè occidatur, irregularis fit, quando mandatarius fines mandati excedens, planè verberando occidit, *cap. ult. hoc tit. in 6.*

4. Nota quartò: præterea *quintò*, homicida formalis injustus, & irregularis evadit is, qui consilium præbet ad patrandum homicidium voluntarium injustum; utì constat ex *can. Perniciosè 23. dist. 1.* *Sextò*, similiter is, qui opem, & auxilium proximum, ac immediatum præstat ad occisionem voluntariam injustam hominis, homicida formalis, & irregularis fit aliísque pœnis homicidii plectendus, *L. unic. C. de raptor.* Et *cap. Sicut dignum, 6. hoc tit.* *Septimò* tandem etiam is, qui ex officio tenetur impedire homicidium voluntarium, & non impedit, cùm possit citra grave suum damnum, secuto effectu, efficitur irregularis; utì habet Avil. Navar.

CAP. III.

Variæ aliæ Resolutiones circa Homicidia.

1. DIco primò: qui commisit homicidium casuale, dando scilicet operam rei licitæ, ex qua deinde citra culpam sequitur mors aliqua, non censetur esse homicida formalis, nec consequenter irregularis, si debitam adhibuit diligentiam ad vitandum periculum mortis. Ita communis DD. Et constat ex variis Canonibus, referentibus varia homicidia casualia, & eadem excusantibus ab homicidio peccaminoso atque irregularitate; ùt *cap. Dilectus, 13. hoc tit.* Et *cap. Ex literis, 14. eod.* Et *alio cap. Ex literis 15. eod.* Et *cap. Significâsti, 16. eod.* Et *cap. Lator, 9. eod.* Et *cap. 22. & 23. & 25. eod.* Si verò quis det operam rei quidem licitæ; in qua tamen deinde culpa, seu negligentia vitandi periculum homicidii intervenit; tunc eo secuto incurrit irregularitatem, utì constat ex *cap. Presbyterum, 7. hoc tit.* Et *cap. continebatur, 8. eod.*

2. Dico secundò: quando oritur dubium facti de commisso homicidio, v.g. an Plato verè mactaverit Plautum; tunc Plato censendus est irregularis tam in foro externo, quàm interno; si verò oriatur dubium Juris de eodem homicidio, v.g an in tali casu reverà sit irregularitas à Canonibus inducta; tunc Plato in neutro foro reputandus est irregularis. Ita Azor. Covarr. Suar. &c. Primum constat ex *cap. Ad audientiam.* Estq; Ratio; quia in dubio facti pro utroque foro procedit illa regula canonica, quòd in dubiis tutior pars sit eligenda; quæ hîc est, gerere se pro irregulari. Secundum habetur in *cap. Is, qui 18. de sent. excomm. in 6.*

3. Nota primò: si furiosus durante furore, aut dormiens quà talis, vel penitus ebrius mactet hominem; non censetur formalis voluntarius homicida, & consequenter non efficitur irregularis; utì constat ex *Clement. Si furiosus, unic. hoc tit.* Et est Ratio; quia tales non censentur habere usum rationis. Secùs est, si furiosus habeat lucida aliqua intervalla, & in eis trucidet hominem. Ratio est; quia talis trucidando utitur ratione, & voluntate determina-

minata; unde etiam potest ùt homicida puniri in foro civili *L. & Marcus 15. ff. de offic. Præsid.* Ubi etiam punitur ebrius occidens non quidem pœnâ homicidæ; sed alia mitiori; eò quòd rei illicitæ operam dederat, *L. omne delictum, 6. ff. de re militari.*

4. Dico tertiò: qui cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit aliquem, ad defensionem necessariam sui corporis seu suæ personæ & vitæ, non efficitur irregularis; secùs dicendum, si non servato dicto moderamine occidat. Ita Covarr. Suar. &c. DD. Primum constat ex *Clement. Si furiosus, unic. hoc tit.* Estque Ratio; quia vim vi repellere licet, maximè ad defensionem corporis, personæ, & vitæ propriæ, & propulsare invasorem injustum ejusdem L. *ut vim, 3. ff. de just. & jur.* Secundum colligitur ex *cap. Significâsti 18. hoc tit.*

5. Dico quartò: qui verò occidit aliquem præcisè ad defensionem proprii honoris, & famæ, vel bonorum temporalium, irregularitate maculatur. Ita Avila, Navar. Sylv. &c. DD. Primum colligitur ex *Clement. unic. hoc tit.* Estque Ratio; quia honor, & fama læsa aliis mediis competentibus reparari potest, quàm occisione; unde occidens in vindictam, & non servato moderamine inculpatæ tutelæ, mactâsse censetur. Secundum constat ex *cap. Si perfodiens 3.* Et *cap. Suscepimus, 10. hoc tit.*

6. Dico quintò: qui publica authoritate concurrit proximè ad occisionem justam alicujus, utì facit Judex, ferens sententiam mortis; incurrit irregularitatem. Ita communis DD. Et constat in *can. Sæpè 29. & seq. caus. 23. q. 8.* Et *cap. Ex literis 10. de excessibus Prælat.* Dixi *proximè*; quia qui remotè, & quasi per accidens tantùm concurrit ad talem occisionem, utì gladifex, conficiens gladium carnificis, & faber lignarius construens furcam, non efficitur irregularis, secundùm Molin. Pirh. &c. Nec incitans jumentum, cui suspendendus insidet, ut citò progrediatur; vel in via adhortans Reum, ut citò progrediatur; utì habet cit. Pirh. dummodo incitatio & adhortatio non causet notabilem accelerationem mortis, utì habet Laym.

7. Dico sextò: etiam testis ita deponens in causa sanguinis, ut mors deinde sequatur, irregularis redditur; tametsi protestetur, se non testificari ad condemnationem Rei formandam. Ita Diaz, Covarr. Navar. &c. Et constat ex *can. de his 6.* Et *can. Si quis 8. dist. 50.* Estque Ratio; quia testis suo testimonio efficaciter influit in sequentem mortem Rei; eò enim movetur Judex ad ferendam sententiam sanguinis. Idem dicendum putant cit. DD. De Advocato contra Reum efficaciter advocante; & colligitur ex *cap. 2. hoc tit. in 6.* Spectatores autem quà tales executionis sententiæ sanguinis non efficiuntur irregulares; modò non cooperentur ad supplicium; ùt habet Navar. Suar. &c.

8. Dico septimò: malitiosè mutilantes, id est amputantes aliquod membrum hominis principale, quod distinctam habet functionem, v. g. manum, pedem, oculum &c. incurrunt irregularitatem. Ita Avila, Molin. Sylv. &c. Et colligitur ex *cap. Clericis 5. nè Clerici, vel Monachi, &c.* Et *cap. in Archi-Episcopatu 4. de raptor.* Qui verò tantùm reddit aridum, & inutile membrum principale hominis, citra ullam mutilationem; nullam incurrit irregularitatem; utì habet Navarr. Pirhingus, &c. Nullo enim Canone irregularitas aliqua exprimitur, resultans ex simili actione arefactiva.

9. Dico octavò: Omnes occidentes in bello injusto, & occisoribus talibus auxilium præbentes per armorum subministrationem, facientes adhortationem, custodiam sarcinarum exercentes, aut aliô quôvis modô auxiliantes, irregularitate afficiuntur, secutâ morte, vel mutilatione, etiam unius duntaxat personæ inimicæ. Ita Covarruvias, Avila, Navarr. &c. Et constat ex *can. Si quis, 4. dist. 51.* Et *cap. Sicut, 6. hoc tit.* Non fiunt autem irregulares Laici in bello justo necessario occidentes ad defensionem patriæ; ùt habet Suarez. Pirhingus. Clericus tamen in tali bello occidens fieret irregularis, si absit casus inevitabilis necessitatis; utì constat ex *cap. Petitio, 24. hoc tit.* Possunt tamen Clerici in tali bello justo necessario citra periculum irregularitatis milites adhortari ad fortiter pugnandum contra hostes, *can. 7.* Et *9.* Et *10.* Et *17. caus. 23. q. ult.* In propria autem persona non debent pugnare, *can. 5. & seq. cit. causâ*; præterquam in casu inevitabilis necessitatis: quando scilicet desunt Laici defensores, & pugnatores; utì notat Abbas, & cæteri Doctores.

CAP.

CAP. IV.

Quid specialiter de Homicidio statutum pro Ordine Franciscano.

1. NOta primò: Homicidæ voluntarii injusti prohibentur recipi ad Ordinem Franciscanum de Observ. & Reform. si ex actis publicis constiterit, Judices, & Curiam sæcularem de crimine Homicidii adversùs eos suscepisse accusationem; vel instituisse inquisitionem; ùt habet Sanct. Et statuitur in quadam Bulla Sixti V. *Ad Romanum Pontificem.* Et alia ejusdem *Cùm de omnibus &c.* Casuales tamen Homicidæ, & tales ex defectu lenitatis, (cujusmodi sunt Judices in causa mortis; & milites in bello justo; & qui ad se defendendum occiderunt;) poterunt recipi; uti habet Sanctor. Peirin. &c. Idem dicendum de Homicidis occultis; utì habent *cit.* DD. Et quorum crimen tantùm deductum est coram Judice Ecclesiastico; non autem sæculari; utì habet Portel, & Sanctor.

2. Nota secundò: Si contingat aliquem Minorem de Observ. vel Reform. aliquô instrumentô malitiosè percutere, & occidere Prælatum localem (quod facinus DEUS avertat) is mittendus est arbitriô Superioris ad triremes. Si verò hoc facinus commiserit in Provincialem, Generalis arbitriô ad triremes condemnandus est perpetuò; utì ordinant Constit. Gen. Ord. *cap. 7. §. 6. n. 53.* Quòd si etiam sic percusserit, & occiderit tantùm sæcularem, pariter ad triremes condemnetur *ibidem n. 52.*

TITULUS XIII.

De Torneamentis.

CAP. UNICUM.

Quædam Resolutiones circa Torneamenta.

1. NOta primò: *prioribus tit.* de homicidio tum in genere, tum in specie, Papa rectè adjungit *hunc tit.* velut accessorium, agendo de nonnullis actibus, quibus plerumque datur occasio, & causa homicidiis; & hujusmodi actus sunt Torneamenta. Dicuntur autem *Torneamenta* à voce Italica *torneare,* id est *circuire,* seu *gyrare*; nam Torneamenta sunt lusus, plerumque soliti fieri in gyrum.

2. Dico primò: bene describuntur Torneamenta, quòd *sint certi lusus hastiles, quibus milites certis temporibus* (quæ nundinæ, seu feriæ militares dicuntur) *ex condicto convenire solent, & ad ostentationem virium suarum, ac audaciæ temerè congrediuntur, cum vitæ periculo.* Ita constat ex *cap. 1. hoc tit.* Et *L. cùm lusus 10. ff. ad Leg. Aquil.* Ly *lusus* est genus: reliqua collocantur pro differentia.

3. Dico secundò: Torneamenta præfata sunt prohibita Christianis. Ita Glossa Tholosan. Pirh. &c. Et constat ex *cap. 1 hoc tit.* Et *L. cit. 10.* Estque Ratio; quia ùt ait *cit. cap. 1.* Torneamenta suprà descripta, continent plerumque mortes hominum, & animarum pericula.

4. Dico tertiò: in Torneamentis aliquem occidens Homicidii Reus, ac irregularis efficitur; insuper Sepultura Ecclesiastica ei deneganda est; postulanti tamen non est subtrahenda pœnitentia. Ita communis DD. Et habetur *cap. 1.* Et *2. hoc tit.* Si tamen aliquis spectandi causâ tantùm accessisset tales ludos Torneamentorum, & ibidem casualiter obiisset: aut etiam ipse exercens Torneamenta per casum mortuus fuisset, v. g. quia lapsus fuit ex equo; tunc sepultura Ecclesiastica ei deneganda non est; maximè si Extremam Unctionem, & Viaticum sumpsisset, *cit. cap. 2.*

5. Nota secundò: prædictæ prohibitiones, & pœnæ Torneamentorum procedunt duntaxat de Torneamentis priscis Romanorum; & illis modernis, ubi mortes, & vitæ pericula solent plerumque intervenire; utì patet ex *cap. 1. & 2. hoc tit.* Cæterùm tolerantur lusus illi hastiles Christianorum, qui nonnunquam solent fieri in inauguratione, nativitate, adventu, vel alia festiva circumstantia Cæsarum, Regum, aliorúmque Principum, quando carent periculis vitæ; nec exhibentur more antiquo; utì notat Vallens. & Zoës. Et propterea D. Papa Joannes XXII. in sua *Extrav. unica, hoc tit.* revocavit Constitutionem Clementis V. quâ sub pœna excommunicationis, & interdicti exhibitio Torneamentorum solita fieri in quibusdam regionibus prohibetur, absolvítque obnoxios simili censurâ; eò quòd per

per illam à fubfidio Terræ S. & à militia revocarentur complures, fub metu, nè dictas cenfuras incurrerent.

6. Nota tertiò: agitationes Taurorum folitæ fieri in Hifpania inftar Torneamentorum fefe habent, fi fiant cum periculo vitæ plerumque: quare pariter prohibitæ funt à variis Pontificibus, fignanter à Pio V. Gregorio XIII. Sixto V. & Clement. VIII. Si tamen in eis adhibeantur debitæ cautelæ, ita ut cædes humana fequi nequeat; putat Navar. Gutier. & Azor. ipfas tolerari poffe.

TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in duello.

CAP. UNICUM.

Variæ Refolutiones de Duellantibus.

1. NOta primò: continuat Papa difcuffionem criminum; & poft Torneamenta *hoc tit.* tractat de Duellis, ex quibus crebræ cædes humanæ proficifcuntur: Dicitur autem *Duellum* quafi *duorum bellum*: hoc quandoque Canones ex Græco appellant *Monomachiam*, quafi pugnam unius tantùm cum altero; ùt videre eft *can. Monomachiam, cauf. 2. q. 5.* Unde

2. Dico primò: rectè defcribitur Duellum, quòd *fit pugna fingularis duorum inter fe, ex condicto inita.* Ita colligitur ex *can. cit.* Et habet Hoftiens. Sylv. &c. Ly *pugna* eft genus; reliqua ponuntur pro differentia. Solet autem committi Duellum ob quinque potiffimùm caufas; puta vel ad probationem veritatis, feu criminis purgationem: vel ad vires corporis oftendendas: vel ad fpectantium animos oblectandos: vel ad defenfionem proprii honoris, feu ignominiam vitandam: vel ad terminandam aliquam litem civilem; uti notant Azor. Sayr. &c.

3. Dico fecundò: Duellum eft graviffimè prohibitum, ex quacunque caufa præfata offeratur, vel fufcipiatur, excepto cafu, infrà *not. ult.* adductô. Ita communis Theolog. & Canonift. Et conftat ex variis Juribus generaliter prohibentibus Duellum, fignanter ex *can. Monomachiam 22. cauf. 2. q. 5.* Et *cap. 1. & 2. hoc tit.* Et ex *L. unica C. de digladiatoribus lib. 11.* Et ex Conftit. Julii II. Et Clementis VII. Et Pii IV. Et Gregorii XIII. Et ex Tridentino *feff. 25. cap. 19. de Reformat.* Ubi etiam Ratio principalis hujus prohibitionis tangitur, & dicitur: *Deteftabilis Duellorum ufus fabricante Diabolo introductus, ut cruentâ corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Chriftiano orbe penitus exterminetur*; ubi etiam graves pœnæ taxantur pro Duellantibus. Circa quas

4. Nota fecundò: Clerici duellantes funt *primò* deponendi ab officio, & beneficio; uti habetur *cap. 1. hoc tit.* *Secundò*, iidem efficiuntur irregulares, fi in Duello occidant, *cap. 2. hoc tit.* Imò tametfi tantùm fubornent alium pugilem ad Duellum, qui deinde occidat, *cit. cap. 2.* Et jubentur deponi Clerici duellantes etiamfi non occidant, fed victores evadant in fufcepto Duello. *cit. cap. 1. hoc tit.* Præfatas tamen pœnas non incurrunt Clerici folùm provocantes ad Duellum, & actu illud non exercentes; uti notat Suar. Pirh. &c.

5. Nota tertiò: pro Laicis Duellantibus in Concilio Tridentino *feff. 25. cap. 19. de Reform.* ftatutæ funt fequentes pœnæ. *Primò*, excommunicantur Imperatores, Reges, Duces, Principes, Comites, & alii quicunque Domini temporales, concedentes locum ad Monomachiam. *Secundò*, iidem privantur jurisdictione, & dominiô civitatis, caftri, vel loci, in quo, vel apud quem Duellum fieri permiferint; fi id ab Ecclefia obtineant: quod fi fit feudum, id ftatim acquiritur, & redit ad Dominum directum. *Tertiò* Pugnantes, & eorum Patroni excommunicationis, & omnium bonorum profcriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrunt: & ut Homicidæ juxta Sacros Canones puniri debent. *Quartò*, fi in ipfo conflictu deceſſerint, perpetuâ carent fepulturâ. *Quintò*, qui confilium ad Duellum tam Jurè, quàm facto dederint: vel aliâ quacunque ratione ad id quemquam perfuaferint; necnon fpectatores, excommunicationis vinculô tenentur; non obftante quôcunque privilegiô, aut pravâ confuetudine, etiam immemorabili. Et Clemens VIII. in Bulla *Illius vices &c.* abfolutionem duelli refervat Sedi Apoftolicæ. Reginald. tamen Filliuc. & Laym. putant Religiofos Mendicantes extra Italiam poffe per fua privilegia abfolvere duellantes, ac patrinos.

6. Nota quartò: non videntur autem pœnas Duelli incurrere illi, qui ad terminandum aliquod bellum juftum, & ad evitandas ejus calamitates, cum uno ex hoftibus monomachiam

chiam ineunt cum facultate publica; uti habet Zoës Azor. Navar. Nam ratio boni publici hoc genus pugnæ subeuntes excusat à culpa: & consequenter à pœnis correspondentibus culpæ. Quô-modô certamen Davidis cum Philistæo est approbatum in Sacris Literis.

TITULUS XV.
De Sagittarijs.

CAP. UNIC.

Quid circa Sagittarios dicendum?

1. NOta primò: in *hoc tit.* breviter affertur prohibitio contra exercitium quoddam periculosum, sæpe inferens crimen homicidij, quod exercent Sagittarij; & est ars, seu usus ballistarum, consistens in jaciendis sagittis adversùs Christianos.

2. Dico primò: Sagittarius, de quo hic, rectè describitur; quòd *sit homo jaciens periculosas sagittas adversùs Christianos, & Catholicos in bello injusto.* Ita constat ex *cap. unic. hoc tit.* Ly *homo* est genus; reliqua habent rationem differentiæ.

3. Dico secundò: est prohibitum Christianis adversùs Fideles in bello injusto agere Sagittarios. Ita communis DD. Et habetur in *cap. unic. cit.* Ubi etiam contra usum ballistarum, seu artem mortiferam Sagittariorum fulminatur anathema; & eandem contra Fideles exercentes, cum secuta occisione, redduntur irregulares. Estque Ratio hujus Canonis; quia ars Sagittariorum plerumque exercetur cum occisione, & homicidio injusto.

TITULUS XVI.
De adulterijs; & stupro.

CAP. I.

De quidditate, prohibitione, modis, accusatione, & probatione Adulterij.

1. NOta primò: *præsenti tit.* persequitur Papa duo crimina carnis, quæ sunt Adulterium, & stuprum. Per connexionem autem materiæ de alijs quoque concubitibus illicitis, quibus vel thorus proximi violatur; vel pudicitia læditur, agetur. Adulterium sic dicitur, quasi transitus *ad alterius thorum*, uti notat Hostiens. Hoc secundùm Jura Civilia propriè committitur tantùm in alienam nuptam, seu conjugatam; non autem virginem, vel viduam, *L. 6. ff. 5.* Et *L. stuprum ff. 1. ad L. Jul. de adult.* Cujus Ratio est; quia Civilia Jura attendunt adulterium potissimè ex feminis confusione, & incertitudine prolis; cùm ex parte fœminæ adulteræ ignoretur, num proles secuta sit adulterina, an verò propria mariti. Et in hoc sensu etiam procedit definitio Adulterij, data *can. non mæchaberis, caus. 32. q. 5.* quòd *sit alieni thori violatio.* At secundùm Jura Canonica adulterium etiam committitur in solutam, carnaliter cognitam ab uxorato, *can. 19.* Et *fin. caus. 32. q. 5.* Cujus Ratio est; quia hæc Jura attendunt adulterium etiam secundùm fidem conjugalem, & castimoniam, quæ eadem requiritur in marito, ac in uxore, *can. præcipit cit. caus. & q.* Unde

2. Dico primò; rectè describitur Adulterium, quòd *sit concubitus carnalis illicitus inter utramque, vel unam saltèm personam ligatam.* Colligitur ex *cit. caus. 32.* Et varijs *cap. hujus tit.* Ly *concubitus* est genus; reliqua ponuntur pro differentia. Circa alterum articulum.

3. Dico secundò: Adulterium est gravissimè prohibitum. Ita communis TT. & Canonist. Et constat tum ex Decalogo Divo, illis verbis, *non mæchaberis.* Tum ex varijs Legibus Civilibus, & Canonicis, vetantibus hujusmodi illicitos concubitus; & gravissimas pœnas pro ijsdem statuentibus, quæ infra afferentur. Circa tertium articulum.

4. Nota secundò: Adulterium committi potest tribus modis. *Primò* quando conjugatus cum conjugata habet copulam carnalem; quo modo vocatur alienæ matrisfamilias corruptio, *L. fugitivus 225. ff. de V. S.* *Secundò* si conjugatus exerceat concubitum carnalem cum fœmina soluta, puta vidua, vel virgine; & de hoc procedit *can. 19. caus. 32. q. 5.* sub hoc modo etiam comprehenditur concubitus ligati cum sponsa alterius de futuro; uti notat Zoës. Covarr. Cum sponsa tamen de præsenti fit adulterium primi modi: nam cum tali sponsa, etsi nondum cognita à viro

à viro suo, jam est matrimonium ratum supposito, quod juxta Trid. adfuerit eis Parochus ordinarius. *Tertiò* si è contra fœmina conjugata commisceatur carnaliter cum viro soluto. Et de hoc procedit etiam *can. præcipit caus. 32. q. 5.* Adulterium primi modi vocatur duplex; secundi verò, & tertij modi dicitur simplex.

5. Nota tertiò: ad accusandum Adulterium admittuntur sequentes. *Primò* antè omnes, etiam ante patrem adulteræ, admittitur maritus adulteræ; uti habetur *L. 2. ff. ad L. Jul. de adult. Secundò*, post maritum nolentem, aut cessantem accusare, admittitur pater adulteræ, uti constat ex *L. cit. Tertiò* post hunc cæteri cognati; puta frater, patruus, & avunculus adulteræ; uti & alij, quos verus dolor ad accusandum impellit, *L. quamvis 30. C. ad L. Jul. de adult. Quartò*, quamvis Jure Civili uxor non possit criminaliter accusare virum de adulterio, *L. 1. C. hoc tit.* Jure tamen Canonico id facere potest, *arg. cap. si quis 4. caus. 32. q. 1.* Debet autem accusatio criminalis de adulterio commisso à marito, vel patre adulteræ interponi spatio 60. dierum utilium, computandorum à tempore soluti matrimonij per divortium, *L. non solum 3.* Et *L. jure 6. C. hoc tit.* Circa quintum articulum hujus cap.

6. Nota quartò: crimen Adulterij, difficulter posse probari per testes, documenta, seu instrumenta; cùm plerumque patretur seclusis arbitris: quare per solas præsumptiones, seu conjecturas ejusdem probationes conficiuntur; uti notat Menoch. Pirh. Mascard. &c. Et colligitur ex *cap. Maritus 4. hoc tit.* Debet autem præsumptio seu conjectura, ut subministret sufficientem probationem commissi Adulterij, esse violenta, & quæ sufficit ad condemnandum: quare non sufficit sola suspicio probabilis, *cap. Afferte 2.* Et *cap. Litteris 12. de præsumpt.* Et tales præsumptiones violentæ essent sequentes: si litteræ amatoriæ mulieris fuissent inventæ, quibus ipsa fatetur præteritum concubitum cum tali viro; uti habet Menoch. & Pirh. Vel si solus cum sola, nudus cum nuda in eodem lecto reperiretur; uti constat ex *cap. 12. cit.* Vel si maritus per annum absens deinde reversus inveniat uxorem gravidam; uti habet communis DD. Vel si mulier etiam post trinam prohibitionem debitè factam nihilominùs suspecta colloquia faciat cum alieno viro, cúmque eo moretur, *Authent. si quis ei, C. hoc tit.*

CAP. II.

De pœnis Adulterij, alijsq; ipsum concernentibus.

1. Nota primò: Adulterium habet à Lege Divina, Canonica, & Civili præscriptas pœnas. Lege Divina Deuteronomii 22. infligenda est adulteris lapidatio. Jure Canonico Laici adulterantes in adulterio perseverantes imprimis sunt excommunicandi, *cap. Intelleximus 6. hoc tit.* Præterea adultera detrudenda est in monasterium ad agendam ibidem pœnitentiam, *cap. Gaudeamus 19. de convers conjug.* Potest item pars innocens denegare debitum conjugale; & notoriè rea nequit illud exigere. Item potest agere ad separationem thori, & cohabitationis; seu procurare divortium, *cap. Ex litteris 5. de divort.* Item mulier adultera amittit dotem post latam sententiam divortij, eámque lucratur maritus innocens, *cap. Plerumque 4. de donat. inter vir. & uxor.* Si verò Clericus Adulterium committat, deponendus est ab officio, & ordine Clericatûs, ac in monasterio pro agenda pœnitentia totâ suâ vitâ collocandus est, *can. si quis 10.* Et *can. seq. dist. 81.* Et *cap. Cùm ab homine 10. de judic.* Evadit insuper post sententiam infamis; uti habet Abbas. Presbyter per solam confessionem mulieris adulteræ purgare se debet purgatione canonica, cum manu quinta sui Ordinis; id est cum Presbyteris vicinis, in qua si defecerit deponendus est, *cap. 5. hoc tit.*

2. Nota secundò: Jure Civili quando agitur criminaliter decreta est pœna sanguinis, & gladij in adulterantes; ut constat ex *L. transigere, C. de transact.* Et *L. quamvis 30. C. ad Leg. Jul. de adult.* sed hanc pœnam postea Justinianus in fœminis adulteris propter sexûs fragilitatem mitigavit, & commutavit in verberationem virgarum, ac monasterij detrusionem; ita tamen ut intra biennium marito liceat uxorem suam adulteram sic castigatam recipere: quòd si verò is eam recipere nolit, detinenda est toto tempore vitæ in monasterio, *Auth. sed hodie C. cit.* Imò jam per consuetudinem, & particulares singularum Provinciarum constitutiones plerumq; adulteri puniuntur vel pœnâ pecuniariâ, vel fustigatione, vel carcere, vel relegatione, vel aliâ arbitrariâ; uti notat Eng. Farinac, Clarus &c. Si verò agatur civiliter de hoc delicto, scilicet ad separationem thori, tunc facta separatione, tam dotem, quàm donationem propter nuptias factam lucratur pars innocens,

cens, *Novell. 117. cap. 8.* Et *L. consensu C. de repud.*

3. Nota tertiò: maritus tenetur dimittere uxorem adulteram non resipiscentem; nec eandem durante prava hac consuetudine potest sibi reconciliare, *cap. si vir 3. hoc tit.* Nam aliàs esset patronus turpitudinis, utpote celans crimen suæ uxoris, *can. si quis 6. caus. 32. q. 1.*

4. Nota quartò: aliquando certis de causis cessant pœnæ contra adulterantes statutæ: & *primò* si conjuges utrinque adulterentur; nam tunc censentur crimina eorum ad invicem compensari, tam quoad amissionem dotis, & donationis propter nuptias; quàm quoad divortium, ita ut neuter præfatis pœnis afficiatur; uti constat ex *cap. Intelleximus 6.* Et *cap. Tuæ fraternitatis 7. hoc tit.* Et *L. viro 39. ff. soluto matr.* *Secundò*, si uxor sit violenter oppressa, *L. si uxor 13. ff. hoc tit.* *Tertiò*, si maritus post patratum Adulterium nihilominùs uxorem retinuit, vel eandem sibi reconciliavit, *arg. cap. quemadmodum 25. de jurejur.* Et *can. si illi 29. caus. 23. q. 4.*

5. Nota quintò: Episcopus potest dispensare cum suis Clericis in pœnis Adulterij, & aliorum criminum inferiorum, *cap. Cùm non ab homine, de judic.* si tamen ob enormitatem criminis, eidem esset infligenda pœna sanguinis, id servatis servandis fieri debet à Judice laico, *cap. Sententiam.* Et *cap. Clericis; ne Clerici, vel Monachi.*

6. Nota sextò; Jure Civili receptum fuit, quòd pater filiam in Adulterio deprehensam poterat occidere simul cum adultero, *L. patri 20. ff. hoc tit.* Sed Jus Canonicum dicto patri ademit ejusmodi potestatem ob jacturam salutis, quam probabiliter subirent adulteri in tali statu; uti notat Covarr. & Azor.

CAP. III.

De Stupro.

1. Nota primò: Stuprum in largo & stricto sensu posse accipi. In largo sumitur pro concubitu carnali cum quacunque soluta *virgine, vel vidua integræ vitæ, L. inter litteras 6.* Et *L. inter Stuprum 101. ff. de V. S.* De stupro in stricto sensu

2. Dico primò: stuprum strictè sumptum rectè describitur; quòd *sit defloratio illicita virginis, non præcedente ullo pacto conjugali.* Ita desumitur ex *can. lex illa 2. caus. 36. q. 1.* Ly *defloratio* est genus; reliqua ponuntur pro differentia. Est autem Stuprum aliud *non violentum*, quod committitur, si virgo consentiat in sui violationem. Et aliud *violentum*, quod committitur, dum virgo per vim defloratur.

3. Nota secundò: secundùm Leges Civiles laicus stuperator violentus punitur pœna Legis Juliæ de vi publica, L. *in eadem ff. ad L. Jul. de vi publica.* Vel etiam pœnâ capitis, uti vult Glossa, Clarus &c. Sed circa stupra hodie servatur Jus Canonicum, quod ordinat, ut omnis stuprator laicus aut dotet puellam stupratam; aut in uxorem ducat, *cap. 1. & 2. hoc tit.* Clericus verò violentus stuprator debet dotare puellam; & deinde est deponendus ab officio; uti vult Abbas, Clarus &c. Et in arctum monasterium detrudendus; uti habet Diaz, Pirh. &c.

4. Nota tertiò: Puella vi, vel fraude deflorata, non tenetur stupratorem ducere in maritum; etiamsi is offerat connubium; uti habet Pirh. Et si ipsa postea assequatur æquè commodum matrimonium, ac si non fuisset deflorata, eò quod stuprum manserit occultum; tunc nec deflorator tenetur ei dare ullam aliam satisfactionem, vel compensationem; uti habet Navar. Less. Pirh. &c. Si etiam puella liberè consentiat in sui deflorationem, stuprator non tenetur eam dotare, nec ducere; quamvis suasionibus, & precibus, eandem disposuisset ad copulam; uti habet Less. Molin. &c.

5. Nota quartò: quando stuprator promittit virgini matrimonium, & ipsa propterea consentit in concubitum, obligatur deflorator eam ducere in uxorem; uti habet Zoës. Lugo, &c. Et est Ratio; quia talis deflorator ad matrimonium perficiendum tenetur ex contractu oneroso; postquam fœmina adimplevit ex parte sua contractum. Quod etiam procedit, etsi deflorator talis priùs, vel pòst emisisset votum simplex castitatis, vel Religionis; uti habet Lugo, Less. (quo casu tamen vir non poterit petere debitum, nisi accedat dispensatio, nec hac mortuâ aliam ducere:) &c. Excipitur casus, si deflorator sit vir notabiliter excedens conditionem fœminæ, idque ipsa sciverit; puta si vir sit nobilis, fœmina verò rustica; uti notat Sanch. Pirh. &c. quo casu tamen tenetur illam dotare; uti habet idem Sanch. Zoës. Less. &c. Item alter casus, si videlicet fœmina se ante copulam fingat virginem; cùm tamen non esset; uti habent cit. DD. Item tertius, si nimirum fœmina post stuprum cum alio committat fornicationem; uti notant ijdem DD.

6. Nota quintò: puella stuprata in dubio præsumitur Virgo fuisse; & stupratori neganti eam fuisse virginem, incumbit probatio, quòd ipsa priùs fuerit ab alio deflorata: sicut quivis

quivis præsumitur bonus, donec probetur malus, *L. merito ff. pro socio.* Præsertim si puella sit parata jurare de sua virginitate.

CAP. IV.

De fornicatione, concubinatu, incestu, sodomia, sacrilegio, mollitie & bestialitate.

1. NOta primò: *Fornicatio* sic dicitur, eò quòd meretrices in *fornicibus*, id est locis abditis & obscuris commorentur, uti notat Menoch. Describitur autem bene sic, quòd *sit concubitus carnalis personæ solutæ cum soluta jam deflorata.* Ly *concubitus* est genus; reliqua ponuntur pro differentia. Per ly *personæ solutæ* intelligitur mas, liber ab omni vinculo, puta conjugij, consanguinitatis, affinitatis, sacri Ordinis, Religionis seu voti. Hic concubitus dicitur *can. 7. caus. 36. q. 1.* simplex fornicatio, ad distinctionem aliorum delictorum carnalium.

2. Dico primò: Fornicatio est sub mortali prohibita. Ita communis DD. Et constat tum ex *Epist. D. Pauli ad Cor. 6.* Et *ad Gal. 5.* Et *ad Ephes. 5.* Et ex *can. nemo 4.* Et *can. meretrices 11. caus. 32. q. 4.* Et *Clement. ad nostrum 3. de haeret.*

3. Nota secundò: de Jure communi Civili nulla quidem constituta est pœna pro simplici fornicatione, uti constat ex *L. 1. C. de concubin.* Hodie tamen ubique punitur per leges particulares Provinciarum: uti & Jure Canonico; quod tamen arbitrarium relinquit Judicibus. Et si Clericus eam exerceat cum scandalo, deponendus est ab Officio, & beneficio; uti notat Menoch. & Farin. Fornicarius non quidem tenetur dotare fœminam, cum qua habet consuetudinem; alere tamen tenetur prolem, quam fœmina ex eo concepit, *cap. 5.* & ibi DD. *de eo, qui duxit &c.* Circa concubinatum.

4. Nota tertiò: secundùm Jura Civilia concubinarius dicitur ille, qui domui suæ locô uxoris retinet mulierem solutam, & cum ea carnaliter commiscetur, *tit. de concubin.* Secundùm verò Canonica is propriè dicitur concubinarius, qui solutam, & corruptam mulierem in domo, vel foris tenet pro carnali commercio consuetudinario. Unde sic potest describi rectè concubinatus, quòd *sit illicitus continuatus concubitus cum aliqua fœmina soluta, & corrupta, in domo sua, vel alibi commorante.* Ly *concubitus* est genus; reliqua ponuntur pro differentia: & signanter per ly *continuatus* differt concubinatus à simplici fornicatione, quòd hæc fiat etiam unico actu concubitûs illiciti; concubinatus verò requirat consuetudinem, seu repetitos, & continuatos concubitus; uti rectè annotat Diaz, Farinac. &c.

5. Dico secundò: concubinatus à S. Canonibus est gravissimè prohibitus. Ita communis TT. & Canonist. Et constat ex *can. præter 6. dist. 32.* ubi concubinatus Clericis vetatur; & qui in hoc notoriè deliquerit, jubetur suspendi ab officio, & beneficio, quousque resipiscat. Et ex Trident. *sess. 24. de reform. matrim.* ubi concubinatus laicorum prohibetur; & concubinarij laici tam soluti, quàm uxorati cujuscunque statûs, dignitatis, & conditionis existant, si postquam ab Ordinario etiam ex officio ea de re ter admoniti fuerint, concubinas non ejecerint, séque ab earum consuetudine sejunxerint, excommunicatione feriendi sunt; à qua non absolvantur, donec reipsa admonitioni factæ satisfecerint. Et mulieres concubinæ post ternam admonitionem continuantes concubinatum, pariter puniendæ sunt ab Ordinario pro modo culpæ; & ejiciendæ extra oppidum, si ita bene visum fuerit eidem Ordinario. Secundùm Jura autem antiqua Canonica Laici concubinarij puniebantur arbitriô Judicis; ut notat Clarus. Circa incestum.

6. Nota quartò: Incestum bene describi, quòd *sit illicitus concubitus carnalis cum consanguineis, vel affinibus in gradu prohibito.* Ita constat ex *can. Lex illa, caus. 36. q. 1.* Ly *concubitus* est genus; reliqua ponuntur pro differentia. Incestus itaque committitur, si fiat concubitus cum ascendentibus, vel descendentibus per lineam rectam; puta si pater cum filia; vel avus cum nepte; vel nepos & avia, &c. copulam carnalem habeat. Item si exerceatur concubitus inter cognatos, & affines in linea laterali, sive transversali usque ad quartum gradum inclusivè.

7. Nota quintò: Incestus aliquando committitur sinè matrimonio; aliquando cum matrimonio, quo casu dicuntur fieri nuptiæ incestuosæ, de quibus *Novell. de incestuosis nupt.* Et *L. fin. C. eod.* Incestus à Laico factus sinè matrimonio de Jure Canonico puniendus est excommunicatione; & insuper si talis laicus sit uxoratus, privatur jure petendi debitum ab uxore; ac defunctâ uxore nequit contrahere matrimonium cum ulla alia fœmina, *can. si quis 5. caus. 35. q. 2.* Incestus verò Clerici puniendus est depositione perpetua ab Ordine, Officio, & beneficio, *arg. can. non debet 10. caus. 30. q. 1.* Et habet Abbas, Pirh. Engel &c. De Jure Civili Incestus punitur pœnâ Adulterij, id est capitis detruncatione, L. *miles 11. ff. ad Leg.*

ad Leg. Jul. Hodie autem pœna inceſtûs evaſit arbitraria ; ſicut & pœna Adulterii, ſecundùm Farinac. Engel, & alios DD.

8. Nota ſextò : Si inceſtus ſit commiſſus cum Matrimonio ; tunc Jure Civili bona inceſtuoſi jubentur confiſcari ; niſi extent liberi, qui præferuntur Fiſco. Præterea idem privandus eſt omni dignitate, mittendus in exilium, & verberandus, ſi ſit perſona vilis : ſi verò ſit altioris Ordinis, redditur infamis, *Auth. Inceſtus C. de Inceſt. Nupt.* Circa Sodomiam.

9. Nota ſeptimò : crimen turpiſſimum, nefandum, ac homine Chriſtiano prorsùs indignum *Sodomiæ* ſic dicitur à *Sodoma* Urbe, in qua olim viguit frequens uſus hujus peccati, quæque propterea ab igne cœleſti fuit abſumpta, Gen. *19. cap.* Sodomia rectè deſcribitur, quòd *ſit illicitus concubitus contra naturam exercitus, non ſervato ſexu, vel vaſe ordinario.* Ita conſtat ex *can. uſus 14. cauſ. 32. q. 7.* Ly *concubitus* eſt genus ; reliqua ponuntur pro differentia.

10. Dico tertiò : crimen Sodomiæ eſt graviſſimè vetitum. Ita communis DD. Et conſtat tum ex S. Scriptura Levit. 18. ibi, *cum maſculo non commiſcearis coitu fœmineo : quia abominatio eſt.* Et ex *cap. ut Clericatum 13. de vit. & honeſt. Cleric.* Et *Conſtit. Pii V.* incipit, *horrendum illud ſcelus, &c.* Et *§. Item Lex Julia, Inſtit. de public. Judic.*

11. Nota octavò : Sodomiam reputari, ſive maſculus cum maſculo concumbat ; ſive fœmina cum fœmina ; ſive maſculus cum fœmina non ſervato vaſe ordinario, à natura ad copulam carnalem inſtituto : ſed adhibito præpoſtero ; quamvis Azor. & Tanner. velint hunc ultimum coitum maſculi ſcilicet cum fœmina in vaſe præpoſtero non eſſe Sodomiam ſtrictè dictam, & ſubjectam pœnis pro Sodomia conſtitutis ; peccatum tamen contra naturam graviſſimum, & meritò puniendum : pœnâ tamen mitiori, quàm Sodomia propriè dicta.

12. Nota nonò : Sodomia propriè dicta, id eſt concubitus maſculi cum maſculo, vel fœminæ cum fœmina, Jure Canonico punitur *primò* in Laicis excommunicatione : in Clericis verò depoſitione ab Ordinis ſtatu Clericali, & beneficio, ac detruſione in Monaſterium ad agendam pœnitentiam, *cap. Clerici 4. de exceſſ. Prælat.* Et Clericus Sodomita notorius ſi celebret poſt ſuſpenſionem ab ordinum executione factam per Judicem, fit irregularis; non item occultus : uti habet Azor. & Navar. Item ex Bulla *cit.* Pii V. Clericus Sodomita debet degradari, & degradatus tradi Judici ſæculari, ut is ſtatuat in eum ſupplicium, quod in Laicos tales ſtatuunt legitimæ ſanctiones. *Secundò* Jure Civili Sodomita plectendus eſt pœnâ capitis, *L. cùm vir 31. C. ad Leg. Jul. ad adult.* Et *§. item Lex Julia Inſt. de public. Judic.* In quibusdam etiam Regionibus conſuetudo, vel lex municipalis obtinuit, ut Sodomitæ igne concrementur ; uti notat Clarus. Confiſcantur etiam meritò eorum bona : ùt habet Gloſſa, Menoch. & Clarus. Plura de his vide apud Farinac. Ricc. & Clar. Circa Sacrilegium.

13. Nota decimò : Sacrilegium, prout eſt delictum carnis, rectè deſcribitur, quòd *ſit concubitus illicitus cum perſona, DEO dicata per votum Religionis, vel Ordinis, cui continentiæ perpetuum votum eſt annexum.* Ly *concubitus* eſt genus ; reliqua ponuntur pro differentia. Jure Canonico ſtuprator ſacrilegus, ſi Laicus ſit, excommunicatur ; ſi verò Clericus, privatur beneficiô, deponitur ab Ordine, & detruditur in Monaſterium ad perpetuò agendam pœnitentiam, *can. Si quis Epiſcopus 6.* Et *can. Si qua Monacharum 28. cauſ. 27. q. 1.* Monialis verò quæ ſe carnaliter cognoſci paſſa eſt, in ſtrictius Virginum Monaſterium detruditur, vel in carcerem, ut ibidem vacet pœnitentiæ, & orationibus, *cit. can. 28.* Jure Civili rapiens, vel violans Monialem capite punitur, ejúsque bona Monaſterio applicantur, *L. un. C. de raptu virginum* juncta *Novell. 103. q. 3.* Circa mollitiem & beſtialitatem.

14. Nota ultimò : Mollities, quæ & pollutio communiter vocatur ; ſic bene deſcribitur, quòd *ſit elicitio voluntaria ſeminis abſque ullo concubitu, & applicatione vaſis, à natura ordinati ad concubitum.* Ly *elicitio* eſt genus ; reliqua ponuntur pro differentia. Beſtialitas demùm quoque ſic bene deſcribitur, quòd *ſit carnalis coitus cum aliquo individuo beſtiæ.* Utrumque eſt grave crimen, & importans peccatum mortale. Ultimo annumerari poteſt crimen concubitus cum Dæmone ſuccubo, vel incubo, transfigurante ſe in perſonam humanam.

CAP. V.

Quid Juris regularis Franciscani circa Minoritas lapsos in peccata carnis.

1\. NOta primò: Minores de Observ. & Ref. admittentes adulterium, vel quodcunque aliud peccatum carnis, opere voluntariè consummatum, incurrunt casum reservatum Superiori Majori, puta Provinciali, & Generali; ita habent Constit. Gen. Ord. *cap. 7. §. 3.* Et Gen. Reformat. *cap. 7. n. 1.*

2\. Nota secundò: contra adulteros, fornicarios, & alios Castitatis violatores, nostra Religio sequens condidit statutum, quod habetur in Constit. General. Ordin. *cit. loc. §. 6. num. 21.* Et *num. 22.* Et *num. 23.* *Quicunque convictus fuerit, domos suspectas ingressum fuisse, ab eo loco omnino amoveatur, & graviter etiam arctetur; & si confessus fuerit, in fornicationem, vel graviorem culpam incidisse; vel de eo legitimè constiterit, pro prima vice semestri carceri mancipetur, & voce activâ & passivâ, trienniô careat; & si in illud idem secundò inciderit, per annum in carceres detrudatur, & omnibus Ordinis Officiis decenniô privetur. Quòd si tertiò illud ipsum admiserit, ad omnia Ordinis Officia perpetuò inhabilis existat, & longiori tempore carceribus mancipetur; vel etiam ad triremes mittatur Superiorum arbitriô, pro qualitate delicti, & scandali ratione. Si quis autem, quod absit, Sacrilegium cum Moniali admiserit, ad triremes omnino damnetur, aut perpetuo carceri Superiorum arbitriô mancipetur. Quòd si quis de innominabili crimine (quod DEUS avertat;) propter quod venit ira DEI in filios diffidentiæ, notatus fuerit, ac legitimè convictus; nudus omnino cum solis fæmoralibus, Fratribus congregatis, manibus ligatis graviter flagelletur, & Psalm. Miserere recitet, ac levi usculis flammis igneis, hinc inde circumpositis quodammodo aduratur, & ad perpetuos carceres irrevocabiliter condemnetur, ubi saltèm tribus diebus in qualibet hebdomada in pane, & aqua jejunet, & vitam suam in dolore, & amaritudine animæ defleat.*

3\. Nota tertiò: *poterit tamen Minister Generalis* (prosequitur statutum *ibidem n. 24.*) *post aliquot annos à præfato carcere eum liberare, si tanta in eo viderit contritionis indicia, ut eum veniâ, & misericordiâ non indignum existimet: Qui tamen omni suffragiorum jure perpetuò careat, & ad omnia Religionis officia inhabilis existat: si verò iterum de eodem vitio nefando notatus, ac legitimè convictus fuerit, ad triremes perpetuò damnatus omnino mittatur.*

4\. Nota quartò: quando in præfato Statuto Generali Ordinis dicitur, *si confessus fuerit, in fornicationem, vel aliam graviorem culpam incidisse, &c.* hæc gravior culpa est adulterium, raptus, stuprum, incestus, mollities, concubitus cum bruto, vel dæmone succubo; ùt rectè annotat Sanctorus, & S. Severino; non autem Sacrilegium cum Moniali; nec crimen pessimum; cùm de his duabus speciebus luxuriæ specialiter disponat idem statutum, ùt suprà. Quando etiam dicitur in eodem statuto, *pro qualitate delicti*, qualitas delicti judicari potest, vel ex qualitate ipsiusmet actûs talis luxuriæ; quia scilicet est vel Sacrilegus, & nefandus concubitus: vel quia est multiplicatus; quia trinus actus consuetudinem indicat; & trina culpa reddit operantem famosum; uti advertunt cit. AA.

TITULUS XVII.

De Raptoribus; Incendiariis; & Violatoribus Ecclesiarum.

CAP. I.

De Raptoribus.

1\. NOta primò: in continuationem examinis criminum variorum, Papa *hoc tit.* exagitat crimen Raptûs. Est autem Raptus duplex, scilicet mulierum; & rerum aliarum. Circa primum vide, quæ dixi suprà *lib. 4. in append. tituli 15.* Prætereа

2\. Dico primò: rectè describitur Raptor mulieris, quòd *sit violentus abductor fœminæ honestæ renitentis de loco ad locum, causâ explendæ libidinis, vel etiam Matrimonii contrahendi.* Ly *abductor* est genus; reliqua ponuntur pro differentia. Ex hac descriptione

3\. Infer-

3. Infertur primò: quatuor requiri conditiones ad hoc, ut quis censeatur esse verus Raptor mulieris, & incurrere pœnas statutas in Raptores. *Prima* est, ut quis rapiat fœminam cum violentia injusta, illata ipsi fœminæ: unde secundùm Jus Canonicum, si puella extra patriam potestatem constituta consentiat in sui abductionem, abductor ejus non censetur Raptor; uti constat ex *cap. pen. hoc tit.* quamvis Jure Civili pro tali habeatur, *L. Raptores 54. C. de Episc. & Cler.* Si talis invitis parentibus, & libidinis causâ abducatur, *L. un. C. de rapt. virg.* Idem & dum matrimonii causâ abducitur, *cit. L. un.* *Secunda* conditio requiritur, ut abductio fœminæ fiat causâ libidinis exercendæ, vel matrimonii; uti constat ex *can. Si quis, 3. caus. 36. q. 2.* Et *L. Si quis 5. C. de Episc. & Cleric.* Quare si abducatur ex alia causa, abductor non reputatur Raptor; uti notat S. Thomas, Clarus, &c. Præsumitur autem mulier fuisse rapta causâ libidinis, si sit juvenis, & ad libidinem apta; secus si sit vetula; uti notat Farinac. *Tertia* conditio requiritur, ut fœmina rapta traducatur de loco ad locum; uti notat Clarus, & Farinac. Unde si quis ab aliqua virgine, vel vidua extorqueat vi carnale commercium; sed eandem non traducat de uno loco ad alium locum, censebitur quidem esse stuprator violentus, vel adulter; non autem Raptor mulieris; nec talis pœnâ Raptoris plectendus erit, *L. mariti 29. ff. ad Leg. Jul. de adult.* *Quarta* demùm conditio est, ut fœmina rapta sit aliàs honestæ vitæ; uti constat ex *L. un. C. de rapt. virg.* Quare qui abducit aliquod scortum, non censetur verus Raptor, nec incurrit pœnas Raptoris, *cit. L. un.*

4. Nota secundò: secundùm Jus Civile Raptor virginis, maximè DEO dicatæ; vel etiam alterius mulieris honestæ, puniendus est pœnâ capitali, cum bonorum ademptione, quæ raptæ addicuntur, vel aliis, juxta Ordinem *L. un. C. de rap. virg.* Et *Novel. 143. de rap. mulier.* Et *Novel. 150. de ea, quæ Raptori suo nubit.* Item eodem Jure Raptori ejusmodi interdicitur matrimonium cum rapta, *cit. L. un.* Tales etiam Raptores possunt in flagranti crimine deprehensi occidi à suis parentibus, vel consanguineis, vel tutoribus, vel curatoribus, patronis, vel dominis, *cit. L. un.* Demùm si Raptores vilis conditionis fuerint, cremari debent *cit. L. un.* uti & eorum ministri, vel servi, *ibidem.*

5. Nota tertiò: secundùm autem Jura Canonica Raptores Laici non sunt puniendi pœnâ capitali; vel aliâ corporali; sed unà cum suis cooperatoribus ad Raptum incurrunt Excommunicationem, *can. 1. & 2. & 4. & 6. caus. 36. q. 2.* Et ex Trident. *sess. 24. cap. 6. de Reform. matr.* ubi etiam iidem Raptores, & auxilium, ac favorem præstantes perpetuò infames fiunt, omniúmque dignitatum incapaces. Demùm Raptores tenentur dotare decenter raptas mulieres; nisi eas duxerint in uxores; quod non prohibetur fieri secundùm Canones. Et bona confiscata rapientis monialem applicanda sunt monasterio, *can. Si quis rapuerit 30. caus. 27. q. 1.* Clerici verò Raptores, deponendi sunt de suo gradu, juxta Tridentinum *cit.* Et *can. de puellis 4. caus. 36. q. 2.* Et *cap. Si quis 4. de purg. canonic.* Circa secundum raptum rerum

6. Dico secundò: Raptor rerum, de quo hic, bene describitur, quòd *sit injustus, & violentus ablator rei alienæ mobilis, vel se moventis.* Ly *ablator* est genus; reliqua ponuntur pro differentia. Per ly *violentus* differt Raptor rerum seu bonorum à fure, qui absque vi, & clam aufert res alienas.

7. Nota quartò: in Raptores rerum Jura Civilia, si civiliter de rapina agatur, statuunt, ut infra annum utilem in quadruplum restituant, id est rem, & lucrum cessans, ac damnum emergens, ac triplum sit in pœnam: post annum verò ut restituant simplum; id est rem ipsam, vel ejus æstimationem, ac lucrum cessans, & damnum emergens, *Instit. vi bonor. raptor.* Et *L. Prætor 4. ff. eod.* Si autem agatur criminaliter contra Raptorem violentum rerum; tunc si rapina facta sit cum tumultu, & armis, capite puniri debet, *L. ult. ff. de vi publi.* Hodie verò communiter plectitur pœnâ Banni, sive excommunicationis Imperialis; uti notat Mynsing. si autem rapina facta sit sinè armis, tunc punitur amissione tertiæ partis bonorum, *§. item Lex Julia, de vi pub. Instit. de public. Judic.* Item amissione omnis dignitatis, ac infamia, *L. 1. ff. ad Leg. Jul. de vi privat.*

8. Nota quintò: Jura verò Canonica Raptores rerum jubent excommunicari ab Episcopo illius loci, ubi rapina facta est, quousque satisfaciant competenter, *cap. De illis 1. hoc tit.* Singulariter incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ, & casum reservatum Papæ, illi Piratæ, ac alii, qui deprædantur navigantes in mari Christiano; vel capiunt bona naufragorum. Præterea Raptoribus bonorum, maximè Ecclesiasticorum pœnitentia deneganda est, quousque restituant, si possint: vel saltèm securitatè de restitutione præbeant,

cap. Super eo, 2. hoc tit. Et si in contumacia usque ad obitum suum perstiterint; in extremis tamen pœnitentiam petierint, illa concedenda est, data cautione de præstanda satisfactione, *cit. cap.*

9. Nota sextò: Judices Ecclesiastici possunt crimina Raptorum suæ Diœcesis punire pœnâ temporali pecuniariâ, flagellationis, vel aliâ: si verò opus sit pœna capitali, vel mutilationis membrorum, ea per sæcularem Judicem infligi debet, *cap. in Archi-Episcopatu 4. hoc tit.*

CAP. II.

De Incendiariis; & Violatoribus Ecclesiarum.

1. DIco primò: rectè definitur Incendiarius, quòd *sit persona scienter, & datâ operâ apposito igne incendens rem alienam, v.g. aliquam urbem, vel prædium, vel domum, vel aliam ædem, vel segetes, vel his similia aliena; aut præbens auxilium, vel consilium ad similem actum.* Ita constat ex *can. pessimam 32. caus. 23. q. 8.* Ly *persona* est genus; reliqua ponuntur pro differentia.

2. Nota primò: secundùm Jura Civilia is, qui ob inimicitias, vel rapinam alienas ædes in urbe incendit, vivus excoriari, vel bestiis objici jubetur, si sit persona vilis: si verò sit in aliquo gradu constituta, capite plecti, vel deponi mandatur, *L. ult. ff. de incend.* Qui autem extra urbem ædes aliquas sponte accendit, vel acervum frumenti juxta domum situm combusserit, vinctus in ignem conjici jubetur, si sit vilis persona. Et in *Constit. pan. Caroli V.* generaliter omnis Incendiarius igne cremandus est.

3. Nota secundò: secundùm Jura Canonica Incendiarii Ecclesiarum, vel aliorum locorum Religiosorum, & piorum, imò & cæmeteriorum, ac contiguorum ad 30. passus sunt ipso Jure excommunicati, *can. definivit 35. caus. 17. q. 4.* Et nominatim denunciati pro talibus à solo Papa absolvuntur ab excommunicatione contracta, *cap. Tua nos 19. de sent. excomm.* Incendiarii autem ædificiorum profanarum; uti & consulentes, ac auxiliantes sunt excommunicandi per Judicem Ecclesiasticum, *can. Si quis, 31.* Et *seq. caus. 23. q. 8.* & absolutio est Papæ quoque reservata. Insuper omnes Incendiarii voluntarii quorumcunque ædificiorum, obligantur ad resarcitionem omnium damnorum, *cap. 5. & seq. de injur.* Demùm iidem Incendiarii carere debent Ecclesiasticâ sepulturâ, *can. pessimum 32. caus. 23. q. 8.* nisi in fine pœniteant, quo casu sepeliri possunt in loco sacro, *cap. 5. hoc tit.* Et hæredes Incendiariorum etiam compelli possunt juxta vires hæreditatis ad satisfaciendum pro damnis illatis *cap. 5. hoc tit.* Circa alterum articulum hujus cap.

4. Dico secundò: rectè describitur hìc Violator Ecclesiarum, quòd *sit violentus effractor Ecclesiarum, vel aliorum locorum piorum cum spolio eorundem.* Ly *effractor* est genus; reliqua ponuntur pro differentia.

5. Nota tertiò: contra Violatores Ecclesiarum fulminatur excommunicatio; & quidem secundùm Glossam, & DD. communiter ipsô factô incursa, *can. Canonica 107. caus. 11. q. 3.* Et *can. 5.* Et *can. 21. caus. 17. q. 4.* Et *cap. Conquesti 22. de sent. excomm.* Insuper tales non debent admitti ad pœnitentiam; nisi priùs resarciant damna, vel cautionem præstent de tali resarcitione.

TITULUS XVIII.

De Furtis.

CAP. I.

De Quidditate, Prohibitione, & Divisione Furti.

1. NOta primò: prosequitur Papa explanare, & punire crimina, & *hoc tit.* in specie insectatur Furtum, quod quidam volunt, sic dictum à *furvo*, id est fusco seu nigro; eò quòd clam, & obscurè fiat; ac plerumque de nocte; sed meliùs secundùm *L. 1. ff. de furtis.* Et *Instit. de oblig. ex delicto*, derivatur à *ferendo*. Definit autem Jurisconsultus *cit. L.* Furtum sic, quòd *sit contrectatio fraudulosa, lucrifaciendi gratiâ, vel ipsius rei, vel etiam usûs ejus, possessionisvè.* Sed clariùs

2. Dico primò: optimè describitur Furtum quòd *sit acceptio occulta rei alienæ: rationabiliter invitô Dominô ejus.* Ly *acceptio* est genus; reliqua ponuntur pro differentia.

3. Dico secundò: Furtum rei in quantitate notabili deliberatum est prohibitum sub peccato

peccato mortali. Ita communis DD. Et constat tum ex S. Decalogo; tum ex *Epist. 1. ad Cor. 6.* ubi fures excluduntur à regno cœlorum; utique ob prohibitionem furti involventem peccatum mortale.

4. Nota secundò: circa quantitatem notabilem, sufficientem ad peccatum mortale, varias esse AA. sententias: celebriores ad duos ordines reduco. In primo ordine statuo eos, qui quantitatem notabilem sufficientem ad mortale, determinant ex solo iniquo furis animo possidendi rem alienam notabilem, absque respectu ad personas, quibus invitis aufertur res pretio æstimabilis; vel ipsa pecunia. Huic principio inhærendo Navarrus statuit pro peccato mortali esse sufficientem materiam, rapere rem valoris sequentis, vel ipsam pecuniam; puta medium Julium in moneta Italica, in Hispanica medium Regalem, in Germanica inferiori medium Schellingum, seu medium solidum, in Germanica superiori duos circiter grossos, seu unum, & dimidium Pazium. Corduba, & Tolet. ponunt valorem rei, vel ipsam pecuniam, scilicet unum Regalem, Julium, solidum, seu Schellingum, quatuor grossos, seu tres Pazios. Lessius & Medina duos Regales, Julios, solidos, octo grossos, seu sex Pazios. Soto, Valent. & Rebell. tres Regales, Julios, Solidos, duodecim grossos, seu novem Pazios. Diana, & alij postulant quatuor Regales, Julios, solidos, sedecim grossos, seu duodecim Pazios. Wiggers statuit unum aureum, vel tres florenos Germanicos Rhenenses; aut res ipsas tanti valoris ablatas.

5. In secundo ordine colloco AA. qui docent quantitatem sufficientem materiæ ad mortale, determinari debere judiciô virorum prudentum, cum respectu ad diversitatem personarum, & temporum, ac æstimationem rerum ablatarum; cùm unus alterô graviùs possit damnificari. Huic principio inhærendo docet Bonacin. Reginal. & Navar. quòd quantitas sufficiens ad mortale, sit ablatio unius aurei, trium florenorum Germanicorum Rhenensium in moneta Germanica superiori; in inferiori verò quindecim solidorum; in Italica quindecim Juliorum, in Hispanica quindecim Regalium, surreptorum personæ illustri valde diviti; vel ablatio rerum tali pecuniæ æquivalentium hoc nostro tempore; communi autem diviti, qui ex suis redditibus vivit, ablatio quatuor Regalium, Juliorum, solidorum, sedecim grossorum, seu duodecim Paziorum: illi, qui ex opificio vivit, ablatio duorum Regalium, Juliorum, solidorum, octo grossorum, seu sex Paziorum; illi tandem, qui ex quotidiano eleemosynæ quæstu, & mendicatione vivit ablatio unius Regalis, Julij, solidi, quatuor grossorum, seu trium Paziorum. Ratio horum omnium potest esse; quia in prætatis ablationibus, domini rerum, pro diversa qualitate suarum personarum, & temporum censentur inviti notabiliter damnificari in bonis Fortunæ. Ego huic motivo DD. secundo ordine positorum, quidem subscribo; sed materiam ipsam paulò aliter determino, &

6. Dico tertiò: tunc est quantitas notabilis, & materia sufficiens ad peccatum mortale, si graviter invitô Dominô furti surripiatur pecunia, vel res valoris illius, quæ regulariter, decenter, & moderatè victitando insumitur unô die ab illa persona, cui surripitur; nisi esset persona valde splendida v. g. Regia, Ducalis, & similis. In hanc sententiam etiam propendet Laym. Lugo, Herincx, &c. RR. Estque Ratio; quia per subtractionem pecuniæ, vel valoris victûs diurni decentis, regulariter quivis invitus notabiliter sentit se damnificari in bonis suis, & ægrè fert; v. g. si Illustri personæ subtrahatur aureus, vel tres floreni Germanici; vel communi diviti tertia pars aurei, vel unus florenus Germanicus; & sic proportionaliter de alijs personis, habentibus mediocres, tenues, modicas, vel modicissimas facultates: adeóque quantitas notabilis & materia sufficiens ad mortale erit surreptio pecuniæ, vel rei tanti valoris, quæ in regularem, decentem, & moderatum victum, uno die ab eo insumitur, cui fit surreptio. Dixi in conclusione: *nisi esset persona valde splendida, v. g. Ducalis &c.* quia cùm talis persona pro unico victu diurno valde notabilem pecuniæ quantitatem, & plures aureos insumere soleat; ideo pro mortali furto in eorum facultatibus, etiam minor quantitas, quàm pecunia, vel valor unius victûs diurni, sufficit; v. g. ablatio duorum aureorum à Rege, vel Duce potentissimo; unius à Principe, vel splendidissimo Comite; in quo consentiunt Arag. Sà, Major, Navarr. Sylv. Tol. &c. Et est Ratio; quia quivis talem quantitatem apprehendit pro materia gravi; quod & facit Labeo apud Vulpian; Jureconsult. in *L. Si quis adfirmavit*, & seq. *ff. de dolo.* Et potentissimæ etiam personæ ægrè ferunt, spectatis tot suis expensis, pro decore suo, & publico, ac Provinciæ utilitate, duorum, vel unius aurei ablationem: siquidem frequens talis ablatio maximum detrimentum ipsis afferret.

7. Nota quartò: ex conclusione sequens Corollarium: esse sufficientem quantitatem pro mortali, subtrahere valde pauperi artifici

etiam vilissimum in se instrumentum subulæ, vel acûs, nautæ remum, scribæ calamum, pictori penicillum, & similia; si aliud substituere nequeant, quô victum suum diurnum lucrentur; vel mendico pauculos nummos eleemosynariè collectos, quos in alimoniam diurnam insumpturus erat.

8. Dixi etiam in conclusione; *si graviter invitô Dominô surripiatur*; quia secundùm communem sensum DD. ad furtum mortale prolium, uxoris, sanguine junctorum, familiarium, major requiritur quantitas, quàm pecunia, vel valor victûs diurni; eò quòd circa horum furta, non censeantur Domini tam citò graviter inviti: vel si sint graviter inviti, hoc fit non tam ob quantitatem furto ablatam; quàm ob modum occultum damnificandi; vel finem perniciosum, quem in ejusmodi furtis intendunt, v. g. potitationem, lusum, luxuriam, &c. Quare putat Herincx, Less. Laym. &c. si filiusfamilias Parentibus opulentis clam surripiat duos, vel tres aureos, necdum esse peccatum mortale, seclusâ aliâ intentione lethali. Ego judico determinationem gravis materiæ, quoad similes personas proportionaliter secundùm eorum, & Dominorum qualitates magis, minusvè invitorum; esse metiendam.

9. Nota quintò: circa divisionem Furti: illud dividi in simplex, & qualificatum. *Simplex* est, cui nulla adhæret circumstantia specialis; tale est acceptio injusta occulta v. g. 100. aureorum ex bursa Platonis Philosophi. *Qualificatum* est, cui adhæret specialis aliqua circumstantia, & malitia; tale est *Sacrilegium*, id est Furtum rei sacræ vel ex sacro loco, vel non sacræ ex loco sacro, secundùm *can. Quisquis caus. 17. q. 4.* Item *Peculatus*, id est Furtum rerum pertinentium ad ærarium publicum Reipublicæ, vel Magistratus, ad fiscum supremi Domini, ùt patet ex *ff. ad Legem Juliam peculatûs.* Item *Crimen Plagij*, quale committunt, qui hominem liberum surripiunt, occultant, emunt, & vendunt pro servo &c. utì patet ex *ff. ad Legem Fabiam, de Plagiarijs.* Et *crimen abigeatûs*, quod committunt abigentes ex pascuis pecora, *L. 1. §. 1. ff. de abigeis.*

CAP. II.

Variæ resolutiones de pœnis Furti.

1. Nota primò: secundùm Jura Civilia si civiliter agatur, Furtum manifestum simplex, scilicet in quo fur in ipso actu furandi, vel in loco Furti deprehenditur, punitur pœnâ pecuniariâ in quadruplum; ita ut ultra rem furto ablatam cogatur solvere quadruplum: Furtum verò non manifestum punitur pœnâ in duplum *§. pœna*, & *§. ult. Instit. de obligat. quæ ex delicto &c.* Si verò criminaliter contra Furtum simplex agatur ad pœnam arbitrariam procedi potest. *L. fin. ff. hoc tit.* Et pœna mortis vel mutilationis pro eo non est infligenda, *Authent. sed novo Jure C. de serv. fugit.* Ex constitutione tamen Friderici Imperatoris, fur surripiens rem valentem 5. solidos (solidus autem valet duodecim grossos, secundùm Gothofred.) aut plus, laqueô suspendi jubetur; tollens verò rem minoris valoris, scopis & forcipe excoriari, & tundi: quod & consuetudo obtinuit; maximè quando furta fiunt in magna quantitate; vel si sint repetita; ùt notat Menoch. & Zoës. Fur etiam evadit infamis, *L. athletas 4. ff. de his, qui not. infam.*

2. Nota secundò: secundùm Jura Canonica si Clericus committat Furtum grave, etiam simplex tantùm, deponendus est ab Ordine, & Officio Clericali, *can. Presbyter 12. dist. 81.* Et si talis post depositionem incorrigibilis maneat, excommunicandus est; ac crescente contumaciâ tradendus potestati sæculari, ut legitimâ pœnâ feriatur, *cap. Cum non ab homine 10. de judic.* Præterea Clericus Fur redditur infamis post condemnationem, *can. infames 17. caus. 6. q. 1.* Unde talis ad Ordines ulteriores promoveri nequit; nisi Furtum fuerit occultum, ob quod post actam pœnitentiam, & satisfactionem præstitam super re furata, poterit Ordines suscipere, *cap. ult. hoc tit.*

3. Nota tertiò: Furtum qualificatum Sacrilegij Jure Civili punitur pœnâ arbitrariâ; ita tamen ut juxta Furti, Rei, & personarum qualitatem etiam ad mortem possit extendi *L. Sacrilegij 6. ff. ad Leg. Jul. peculat.* Unde meritò fures Sacrilegi aliquando damnantur ad bestias; aliquando vivi comburuntur; aliquando in furca suspenduntur; aliquando capite plectuntur, *L. Sacrilegi 9. ff. eod.* Jure autem Canonico ejusmodi fures puniuntur tum pœnâ excommunicationis; nisi se se correxerint, & satisfecerint, *cap. conquestus 16. de for. compet.* Et *can. indigne 21. caus. 12. q. 2.* Tum perpetuâ infamiâ, vel carcere, vel exiliô, *can. attendendum 13. caus. 17. q. 4.* Tum pœnâ pecuniariâ, *can. quisquis 21. cit. caus. & q.*

4. Nota quartò: Furtû qualificatum comittens Plagij, secundùm Legẽ Divinam veterem *Exod. 21. cap.* morte plectendus est. Secundùm Jus Canonicum excommunicandus est; quô casu Plagiarius civiliter mori censetur; cum

cùm excommunicatus à communione fidelium removeatur, *cap. Per venerabilem 13. qui filii sint legit.* Item Clericus Plagiarius post degradationem tradi potest curiæ sæculari, quæ ipsum deinde morte afficiat; & in hoc sensu procedit *cap. 1. hoc tit.* Secundùm tandem Jus Civile olim Plagiarius nobilis condemnabatur ad metalla; ignobilis verò ingenuus tamen, morte plectebatur; servus verò bestiis objiciebatur *L. fin.* & ibi Gloss. *ff. ad Leg. Fabia. de Plagiar.* Et *L. quoniam 7.* Et *L. ult. C. eod.* Potest tamen & arbitraria eidem imponi, v.g. exilii, aut alia, *cit. L. fin.* & *C. eod.* Incurrit & pœnam Plagii, qui scienter emit pro servo liberum hominem *L. 1. ff. ad Leg. Fab. de Plagiar.*

5. Nota quintò: Furtum qualificatum Peculatûs, quô res Fisci, vel etiam ærarii Reipublicæ vel Magistratûs surripiuntur, punitur in privatis hominibus deportatione, *L. 3. ff. ad Leg. Jul. peculat.* Quia autem præfata pœna non viget ampliùs; ideò eidem successit pœna arbitraria; utì notat ex Farinac. Pirhingus. Si Judices, vel Magistratus tempore sui officii surripiant pecunias publicas; utì & ad hoc scienter cooperantes, morte plectendi sunt, *§. item Lex Jul. pecul. Instit. de public. Judic.* Si autem Clerici committant quasi crimen Peculatûs sibi appropriando bona Ecclesiastica, vel alienando, excommunicantur; nisi ea celeriter restituant, *cap. si quis, de reb. Eccles. non alien.* Et si restituere nequeant, deponantur, *can. Diaconi 35. caus. 12. q. 2.*

6. Nota sextò: Furtum qualificatum Abigeatûs, si repetitim fiat, punitur decapitatione; maximè si tale ferro, vel armis factum contingat, L. 1. *& 2. ff. de Abig.* Aliàs damnantur ad opus publicum ad tempus *cit. L. 1.* In honestioribus Abigeis habet locum pœna exilii & remotionis ab officio ac ordine; nisi hi in abigendo gladiô utantur *cit.* L. 1. Plura de Furtis vide *tom. 4. Scholæ meæ Theol. tract. de Virtut. Cardinal. dist. 10. q. 2. & seq.* ubi plurimæ ponuntur resolutiones, hanc materiam concernentes.

CAP. III.

De Furtis Minorum.

1. NOta primò: Frater Minor committens furtum rei sacræ, vel alterius notabilis de rebus Monasterii, incurrit casum reservatum; utì habent Constit. General. Ord. Sanctorus in *Comment. super Stat. General.* hunc casum incurri non tantùm per furtum de rebus Monasterii; sed etiam de rebus sæcularium & aliorum extra Ordinem: eò quòd iste casus jam fuerit reservatus in Ordine cum ampliatione ad quodcunque furtum, ante determinationem Clement. VIII. Et suam interpretationem habuerit à voto paupertatis, à quo valde aliena debet esse surreptio quarumcunque rerum. Unde in hac sententia surripiens calicem ex aliena Ecclesia; vel nummos alicui sæculari furans, in hunc casum reservatum incideret.

TITULUS XIX.

De Usuris.

CAP. I.

De Quidditate; Divisione Usuræ; & Prohibitione Usuræ.

1. NOta primò: pergit Papa exagitare, & punire crimina; & *hoc tit.* invehitur contra Usuras: *Usura* autem sic dicitur ab *Usu*; quare genericè loquendo significat usum alicujus rei. Hoc sensu usum luminis dixit *Usuram lucis* Cicero *in Verrem.* Inde autem hæc vox Usura transfertur ad significandum incrementum, vel lucrum, commodum, vel fructum, qui provenit ex usu alicujus rei. Et hinc factum est, ut lucrum, quod ex usu, seu usura pecuniæ provenit, Leges appellent Usuram. Idem lucrum quoque vocatur fœnus *L. improbum fœnus C. ex quibus causis infamia &c.* De hoc

2. Dico primò: rectè describitur Usura, quòd *sit lucrum ultra sortem immediatè, & principaliter proveniens ex mutuo tanquam debitum.* Ita Lugo, Less. Laym. Herincx, &c. DD. Ly *lucrum* est genus; & sub eo comprehenditur omne temporale, ac pretio æstimabile, quod accipitur ultra sortem mutuò datam, quasi ex Justitia debitum; utì constat ex *can. Plerique caus. 14. q. 3.* ubi habetur dictum S. Ambrosii; *Quodcunque sorti accidit, Usura est*: reliqua ponuntur pro differentia. Ly *ultra sortem*, id est quod ultra massam mutuò datam est. Ly

imme-

immediatè, & principaliter proveniens ex mutuo; indicat lucrum Usurarium debere procedere ex motivo proximo, & immediato rei mutuatæ, ùt talis. Ly *tanquam debitum*; insinuat requiri ad rationem Usuræ, ut lucrum Usurarium quasi ex Justitia, & prævio contractu, seu pacto obligatorio detur. Ex his

3. Nota secundò: sequentia Corollaria: *Primò*: nullam committi Usuram ab eo, qui acceptat aliquid, quod mediante amicitiâ, liberalitate, vel gratitudine à mutuatario, offertur ultroneè sinè debito Justitiæ, & sine pacto prævio uti habet Herincx, Leff. Soto, Navar. Molin. Laym. & S. Thomas, &c. Ratio est; quia tunc lucrum nec speratur, nec acceptatur ex mutuo, vel ob aliquod pactum immediatè; neque accipitur invitô Dominô; sed liberè ab eo obtinetur. *Secundò*: nulla pariter est Usura, si vi mutui quis prætendat obsequium aliquod spirituale; v.g. administrationem Sacramenti, vel Missam; quia tale non est lucrum temporale: unde solùm Simonia hôc pactô committeretur. *Tertiò*: etiam non erit Usura alteri mutuare, ut condonet privatam vindictam: vel injustam satisfactionem, pro fama, vel honore læsa. Ratio est; quia talis condonatio nullum apportat lucrum; sed tollit solam injustam vexationem. *Quartò*: nulla quoque committitur Usura, si pacîscaris de re aliàs tibi debita ex justitia; modò non apponas novum onus. Ratio est; quia tali modo nullum injustum lucrum procuras; sed solam vexam injustam redimis.

4. Nota tertiò: ex eadem definitione sequitur *quintò*; veram committi Usuram, si mutues cum pacto formali, ut mutuatarius tibi remittat obligationem restituendi famam, priùs à te injustè læsam; vel ut actionem injuriarum, quam justè contra te instituere potest, omittat; ùt habet Navarr. Laym. Molin. Corad. &c. Et Ratio est; quia talis obligatio tibi onerosa, est pretiô æstimabilis; sicut est Jus Mutuatarii, actionem injuriarum contra te instituendi. *Sextò*: non caret etiam labe Usuræ, mutuare denarios cũ pacto formali, ut Mutuatarius iterum remutuare sit civiliter obligatus; vel frequentare Mutuantis Officinas, Molendina, Scholas; vel Officium præstare. Ita Navar. Laym: Cajet. Molin. Soto, Herincx, &c. contra Angel. Covarr. Leff. &c. Ratio est; quia imponitur Mutuatario ultra sortem onus, & gravamen pretiô æstimabile, dum obligatio Justitiæ, hæc & similia præstandi, in pactum deducitur: quæ deductio semper arguit Usuram: quia similibus læditur Mutuatarii libertas graviter. Circa alterum art. hujus cap.

5. Nota quartò: Usura primò dividitur in realem & mentalem. *Usura Realis* est, in qua mutuans expressè, vel tacitè lucrum ex mutuo deducit reipsa in pactum externum obligatorium. *Mentalis* est, in qua mutuans non deducit quidem lucrum in pactum ullum externum; eâ tamen intentione & animô mutuat, ut acquirat aliquod lucrum ex mutuo; & hoc non ex gratitudine; sed ex debito. Secundò dividitur in expressam, & tacitam. *Usura expressa*, (quæ & *formalis*, & *aperta* dicitur) est illa, in qua intervenit expressum pactum de aliquo lucro ex mutuo percipiendo. *Tacita*, (quæ & *virtualis*, & *palliata* dicitur) est illa, in qua non vi pacti alicujus expressi; sed taciti aliquid ex mutuo capitur ultra sortem; talis committitur v.g. si Plato mutuet Ciceroni mille aureos, dicendo eidem Ciceroni, scis consuetudinem meam in mutuando; & deinde ab eodem Cicerone acceptet aliquid ultra sortem, sinè ullo legitimo titulo, eò quòd solitus sit simile communiter acceptare à debitoribus suis. Vel si ob dilatam solutionem aliquid exigat, vel acceptet, tanquam sibi debitum.

6. Nota quintò: rursùs tertiò Usuræ aliæ vocantur *compensatoriæ*, & sunt illæ, quæ exiguntur pro mutuo ratione justi interesse; ratione scilicet damni emergentis; vel lucri cessantis; vel ratione periculi; vel ratione laboris, vel ratione expensarum, quæ probabiliter timentur in recuperando mutuo. Hæ ab aliis vocantur *Usuræ restauratoriæ*. Aliæ dicuntur *Lucratoriæ*, in quibus ex pacto ultra sortem aliquod temporale lucrum solet dari, & causâ, ac nomine mutui principaliter exigitur. Aliæ appellantur *Punitoriæ*, in quibus paciscitur de subeunda aliqua pœna, solvenda per mutuatarium, propter ejus in mutuo reddendo moram. Aliæ vocantur *Centesima*, & habentur, quando in centum quôlibet annô solvuntur duodecim. Aliæ *Trientes*, & sunt tertia pars centesimæ, quæ scilicet pro centum quotannis quatuor reddit. Aliæ *Bessales*, quæ sunt duæ trientales centesimæ partes, quando pro centum penduntur octo annuè. Aliæ *Semisses*, quæ sunt dimidia pars Centesimæ, & quôlibet anno sex pro centum redduntur. Aliæ *Quincunces*, quæ quintam Centesimæ reddunt, nempe quinque pro centum quôvis annô. Aliæ *Quadrantes*, cùm tres quotannis solvuntur. Aliæ *Septunces*, cùm septem penduntur. Aliæ *Dodrantes*, cùm novem dantur. Aliæ *Dextunces*, cùm decem præstantur. De quibus omnibus videnda *L. eos C. de nautar. fænor.* Et *L. cùm quidam ff. de usur.* Et *L. liberto ff. de ann. & menst. oblig.*

7. Dico

7. Dico secundò; omnes Usuræ lucrativæ, & propriè dictæ, cujusmodi sunt reales, tam apertæ & expressæ, quàm palliatæ, sunt prohibitæ sub mortali, tum Jure Divino, tum Canonico, & Naturali. Ita Covarr. Herincx, Vall. & communis DD. Primum de Jure Divino constat ex illo Deut. *cap. 23. non fœnerabèris Fratri tuo ad usuram pecuniam.* Et Luc. *6. mutuum date, nihil inde sperantes.* Secundum de Jure Canonico constat ex *cap. Consuluit 10. hoc tit.* Et ex *Decreto, caus. 14. q. 3. & tot. hoc tit. de Usuris.* Et ex *Clement. unic. eodem.* Tertium de Jure naturali probatur; quia Usuræ adversantur illi præcepto Decalogi, quod est Juris naturalis, *non furtum facies;* faciens enim Usuras lucrativas reverà furatur, sinè justo titulo pecuniam alienam ultra sortem acceptando, & detinendo Domino suo. Et quia contra Jus naturæ est, ut in commutatione unius rei pro alia plus exigatur, quàm res valeat; quod contingit in concessione pecuniæ, in cujus restitutione Usura tanquam aliquid plus redditur, & acceptatur. Objectiones pro Usuris vide solutas *tom. 4. Scholæ meæ Theol. tract. de Virt. Cardin. dist. 12. q. 6. n. 7. & 8.*

CAP. II.

De Titulis excusantibus ab Usura; & pœnis Usurariorum.

1. DIco primò; titulus damni emergentis ex datione Mutui excusat à labe Usuræ; unde illæ Usuræ compensatoriæ sunt licitæ, quibus ratione damni emergentis aliquid ultra sortem, seu interesse aliquod moderatum accipitur; & de hoc à principio potest pacisci. Ita S. Thomas, Molin. Navar Engel. Palon. Ban. & communis Theologorum, ac Canonistarum. Ratio est; quia tale damnum est pretiô, & pecuniâ æstimabile; neque æquitati consentaneum est, ut qui ob beneficium mutui, quô se in gratiam alterius usu pecuniæ suæ privat, damnum reportet: quare pro tali licitum est aliquod interesse moderatum ultra sortem accipere; sicque titulus damni emergentis ex datione mutui excusat à labe Usuræ. Deinde ratio naturalis dictat, quòd quisque possit se indemnem servare alteri benefaciendo: adeoque cùm mutuans per mutuum proximo benefaciat, potest is per compensationem alicujus moderati interesse aliquid ultra sortem accipere citra labem Usuræ. Objectiones contra hanc Conclusionem vide solutas *tom. 4. Scholæ Theologicæ, tract. de Virt. Card. dist. 12 q. 7. n. 4.*

2. Dico secundò: titulus quoque lucri cessantis ob datum mutuum excusat ab Usura, quantum prudentis viri arbitriô æstimabitur: Ita Panorm. Sylv. Lug. Navarr. &c. Ratio est; quia carentia lucri in spe habiti, seu lucrum cessans ob sortem alteri datam non minùs est pretiô, ac pecuniâ æstimabile, quàm damnum emergens ex mutui datione; imò est aliquod reale damnum; adeoque poterit pro eodem lucro aliquid accipi; & consequenter titulus lucri cessantis ob datum mutuum excusat ab Usura. Præterea piscator potest licitè vendere pisces, quos jactu retis se capturum sperat, *L. si jactum 12. ff. de actio. empt.*, Ergo & mercator potest licitè vendere mutuatario interesse, quod sperat ex sua pecunia ad negotiandum destinata se lucraturum, & quâ in gratiam ipsius se privat. Nec obstat ille textus Luc. *6. mutuum date, nihil inde sperentes:* quia loquitur tantùm de ipso mutuo secundùm se spectato, pro quo nihil ultra sortem exigi potest: non autem secundùm spem lucri ex mutuo, quâ quis se privat in gratiam mutuatarij; uti notat Less.

3. Nota autem primò: certas requiri conditiones, ut quis ob lucrum cessans possit accipere aliquid. *Prima* est; ut Mutuum verè sit causa cessantis lucri: sicut contingeret, si Mutuans denarios jam deputatos ad lucrosam negotiationem, v. g. emptionem frumenti, ovium, &c. non applicaret negotiationi; sed mutuò daret Platoni. *Secunda;* ut non plus exigatur, & acceptetur, quàm quantum lucrum illud cessans valere potest, deductis expensis, & æstimatione laborum, quæ aliàs insumi solent, in faciendo illo lucro; v. g. si centum aureis datis Plato mutuans comparâsset certò frumenta, & decem aureos ex divenditis frumentis lucratus fuisset; non potes deductas expensas, & labores pro quibus venirent duo aurei, exigere, vel acceptare; nisi octo aureos in vicem lucri cessantis. *Tertia* est; ut id, quod pro lucro refundi debet à Mutuatario, non illicò datô mutuô solvatur; sed postea.

4. Dico tertiò: non est titulus sufficiens, accipiendi aliquid ultra sortem, sola carentia denariorum mutuô dandorum, aut non repetendorum, nisi elapsô tali tempore. Ita Herincx, Less. & communis; contra Medin. &c. Ratio est; quia carentia denariorum, & obligatio eos non repetendi, nisi certô tempore, sunt denarijs mutuô datis, qua talibus intrinseca:

ſeca: adeoque ſicut pro ipſo mutuo denariorum nil poteſt accipi; ſic nec pro ſola carentia, & obligatione eos non repetendi niſi certò tempore. Et quia ſecundùm Scotum *4. diſt. 15. q. 2.* ac alios veteres Scholaſticos, uſurarium eſt vendere tempus; quod contingeret in ſententia oppoſita.

5. Nota ſecundò: Laici Uſurarij manifeſti ſunt ipſo Jure infames *L. improbum 20. C. ex quib. cauſ. irrog. infam.* Et *can. infames 2. cauſ. 3. q. 7.* ſimiliter & Clerici Uſurarij ipſò factò infamiâ reſperguntur ex Uſuris exercitis, *cap. Inter dilectos 11. de exceſſ. Prælat.* Item ijdem ſuſpendendi ſunt ab Officio & beneficio, *cap. Præterea 7. hoc tit.* Præterea Laici Uſurarij manifeſti excommunicari debent, donec præſtiterint debitam ſatisfactionem, *cit. cap. 7.* Imò hodie tales ipsô factô ſunt excommunicati, *cap. 1. hoc tit. in 6.* Quare non debent admitti ad S. Synaxim ſumendam, *cap. Quia in omnibus 3. hoc tit.* Nec eorum oblationes debent recipi in Eccleſia, *cit. cap.* Et ſi deceſſerint impœnitentes, carere debent Eccleſiaſticâ ſepulturâ, *cit. cap. 7. hoc tit.* In teſtamentis quoque conficiendis manifeſtorum Uſurariorum nemo poteſt adeſſe; nec talium peccatorum confeſſiones ſunt audiendæ, nec abſolutio eisdem impertienda, antequam reſtituant Uſuras; vel de eis reſtituendis idoneam cautionem præſtent, *cap. Quanquam 2. hoc tit. in 6.* ſed & eorum teſtamenta ſunt invalida ipſo Jure, niſi priùs reſtituerint, vel debitam cautionem dederint *cit. cap. 2.* Uſurarijs etiam aliunde advenientibus nequaquam concedendæ ſunt domus pro exercendis fœnoribus; & ſi quæ jam conceſſæ eſſent, infra tres menſes ab eiſdem ſunt expellendi: & qui contra fecerit, ſi ſint Eccleſiaſtici ſuſpendendi ſunt; ſi verò ſint Laici, interdicendi ſunt, vel excommunicandi, aut aliter compeſcendi, *cap. Uſurarum 1. hoc tit.*

CAP. III.

Variæ aliæ reſolutiones circa Uſuras.

1. DIco primò: in mutuo poteſt licitè ſtatui pœna conventionalis de aliquo pretio, quod Mutuatarius ſolvere teneatur, ſi intra præfixum terminum non reſtituat ſortem. Ita Scotus, Leſſ. Gabr. Sylv. Ratio eſt; quia ejuſmodi pœna conducit mutuanti, ut ſe ſervet indemnem. Et quia Mutuatarius committit injuſtitiam, ſortem ultra terminum præfixum detinendo; adeoque meritò ſtatui poteſt aliqua pœna ab eo ſubeunda; ſicut rectè ſtatuitur pro reſiliente à contractu aliquo; ubi tamen.

2. Nota primò: ut autem præfata pœna conventionalis ritè ſtatui poſſit, deque ea paciſci, ac exigi, requiruntur ſequentes conditiones. *Prima*, ut abſit omnis fraus uſuraria; qualis committeretur, ſi v. g. nimis brevis terminus reddendi ſortem præfigeretur. *Secunda*, ut mutuatarius ſit verè in culpa, non ſolvendo ſortem tempore præfixo. *Tertia*, ut dicta pœna ſit moderata, & proportionata culpabili moræ mutuatarij. *Quarta*, ut mutuatarius intra notabilem moram lapſi temporis non reddat ſortem.

3. Dico ſecundò: mutuum ſub Uſuris acceptum nequit alteri mutuum aliquod petenti mutuari. Ita Herincx, Lopez, Navar. &c. Ratio eſt; quia alter mutuatarius invitus, & injuſtè damnificatur ex ejuſmodi oneroſo mutuo, cui annexæ ſunt Uſuræ ſolvendæ. Inſuper ſecundus mutuans committit veram uſuram ab altero aliquid exigendo ultra ſortem.

4. Nota ſecundò: Omnes recipientes Uſuras, obnoxij fiunt reſtitutionis earum, ſive ſint Clerici, ſive Laici, *cap. 1. & 2. hoc tit.* Uſuræ autem debent riſtitui primò illis à quibus ſunt extortæ. Si verò tales non ſuperſint; vel inveniri non poſſint, reſtituendæ ſunt eorum hæredibus, ſive hi ex teſtamento, ſive ab inteſtato ſint ſucceſſores: & ſi etiam illi non extent, debent erogari pauperibus; vel Eccleſijs; vel alijs locis pijs, prout conſtat ex *can. nemo 4. cauſ. 14. q. 5.* Quòd ſi Uſurarius ſit redactus ad inopiam, ita ut non ſit ſolvendo Uſuras; tunc liberatur ab earum reſtitutione, ita ut nullâ aliâ pœnâ cogi poſſit ad reſtituendum, *cap. Cùm tu, hoc tit.*

5. Nota tertiò: etiam Judæi compellendi ſunt ad reſtitutionem Uſurarum, Chriſtianis faciendam, tanquam iniqui poſſeſſores rei alienæ, *cap. Poſt miſerabilem 12. hoc tit.* Et *cap. Quanto 8. eod.* Etiam hæredes Uſurariorum obligantur ad Uſurarum reſtaurationem, factarum à ſuis parentibus, vel alijs, quorum facultates hæreditârunt, *cap. Tua nos 9. hoc tit.* Imò & omnes coöperantes ad exigendas Uſuras, ſi ſint cauſa efficax, cur Uſuræ exigantur, ac ſolvantur; obligantur ſecundô locô ad earum reſtitutionem; ſi Uſurarius nolit, vel non poſſit eas reſtituere; uti habet Azor. Leſſ. Pirh. &c.

6. Nota

6. Nota quartò: Usurarius tenetur imprimis restituere omne illud, quod ex pacto ratione mutui accepit ultra sortem à mutuatario; & quidem unà cum fructibus, quos ipse percepisset, si rem talem possedisset, seu retinuisset; etsi ipse mutuans illos non perceperit, *arg. cap. Gravis 11. de rest. spoliat.* Et *L. in re 8. ff. de cond. furt.* Imò Usurarius tenetur restituere omne damnum, quod ipse mutuatarius passus est propter solutionem Usurarum, v. g. si fuit coactus suas ædes viliùs vendere ad habendas pecunias pro solutione Usurarum; utì notat Azor. & Tholos. Demum tenetur idem Usurarius & lucrum cessans compensare mutuatario, quod obtinuisset ex illa pecunia pro Usuris solvendis data Usurario; utì habet Zoës. Pirh. &c.

7. Nota quintò: Usuram committit, qui fructus pignoris sibi dati perceptos ex ipso pignore non computat in partem sortis, *cap. Plures 1. hoc tit.* Non tenetur tamen habens pignus fructus perceptos pignoris computare in partem sortis: si pignus datum absque hoc erat suum, vel aliàs sibi debitum; nec poterat aliter illud consequi, quàm fructus ejus percipiendo, *cit. cap. 1.*

8. Nota sextò: pactum Antichriseos initum inter creditorem, & debitorem ut tam diu creditor pignore fruatur, seu fructus pignoris percipiat salva sorte, donec fuerit solutum debitum, est usurarium, & à Jure Canonico damnatum, *can. 1. Et seq. caus. 14. q. 3.* Caret tamen labe Usuræ pactum censuale, seu contractus censualis, seu census realis tam perpetuus, quàm temporalis, etiam vitalitius, & redemibilis per emptionem, & venditionem constitutus; modò pretium sit justum, tale scilicet, quod vel lege taxatum est, vel consuetudine approbatum; utì constat ex Extrav: *Regimini 1. de empt. & vendit. inter communes.* Non item venditio, quâ quis rem aliquam pluris justô pretiô vendit, solùm ob dilatam pretij solutionem; utì constat ex *cap. In civitate 6. hoc tit.* Et *cap. Consuluit, 10. eod.*

9. Quæres primò: an Montes pietatis careant labe Usuræ? Pro intellectu quæsiti adverte: nomine *Montis pietatis* intelligi aliquem cumulum denariorum, vel aliarum rerum, congestum in sublevamen, & relevationem pauperum, mediante mutuô. Primum montem pietatis erexit in Italia Perusij quidam Frater Minor nomine Barnabas Interamnensis, qui efficacibus suis concionibus fideles complures adeò commovit, ut notabilem eleëmosynarum pecuniariarum quantitatem in commune conferrent, ad sublevandas necessitates egenorum, qui ab Usurarijs ad ultima usque exterminia suarum facultatum emungebantur. Ad instar hujus Montis B. Jacobus de Marchia, Angelus à Clavasio, B. Bernardinus Feltrensis, & plures alij Fratres Minores alios per Italiam Montes pietatis erexêre. Respondeo nunc, &

10. Dico tertiò: Montes pietatis erecti sub his modificationibus, ut ratione mutui nil exigatur; sed solùm modicum quid pro Indemnitate, & conservatione ipsorum Montium; item pro expensis Ministrorum, sine lucro dictorum Montium, immunes sunt ab omni labe Usuræ. Ita Navarr. Herincx, Med. & Less. contra Cajet. Soto, Sylv. &c. Estque Ratio primò; quia hujusmodi Montes approbavit Concil. Lateran. *Sess. 10.* Idem præstitit Pius II. Paulus II. Sixtus IV Innocentius VIII. Alexander VI. diversos Montes pietatis approbando sub dictis modificationibus. Secundò; quia ejusmodi Montes summam Reipublicæ Christianæ utilitatem, circa pauperum relevationem afferunt, exclusis tot execrabilibus Usuris, quæ usque ad triginta pro centum exigebantur. Securitatem etiam præstant incolis ditioribus, dum pecuniam suam in eo collocant, emendo census super Montibus fundatos; deinde pignora, quæ aliàs tota abliguriunt Usurarij, etsi majoris valoris, quàm erat sors, fructuosè in defectu solutionis ibi oppignorantur, cum restitutione facienda Mutuatarijs, quantum ad illam quotam, quæ remanet ultra sortem, & detrimenta passa mutuantis.

11. Quæres secundò: an Cambia sint Usuraria? pro resolutione adverte: Cambium rectè describi, quòd *sit permutatio nummorum pro nummis.* Ly *permutatio* est genus: reliqua ponuntur pro differentia. Cambium autem aliud est siccum; aliud reale. *Siccum* (sic dictum, quòd careat humore justi lucri) id est, quod nullo justo titulo nititur capiendi lucrum; & fingitur esse verum Cambium, cùm tale non sit; sed Contractus verus Mutui: tale est si mutuentur nummi, cum auctuario restituendi Romæ, qui tamen reverà restitui ibi nequeunt; sed in loco mutuationis. *Reale* est; quod habet veram realitatem, & Justitiam Cambij, in quo proinde ex vera permutatione nummorum accipi potest aliquid ultra sortem. Hoc dividitur in Locale, & Minutum. *Locale* (quod & *Litterarium* dicitur) est permutatio præsentis cum absenti: si v. g.

si v. g. Campsor det centum florenos Pragæ, ut eos recipiat Romæ; vel recipit Prægæ, ut det Romæ Platoni Campsario. *Minutum* (quod & *Manuale* dicitur, quia de manu in manum redduntur in eodem loco) est permutatio nummorum præsentium diversæ rationis, & speciei, v. g. ut aurei dentur pro argenteis scutis; vel major moneta pro minori; abrasi nummi pro integris; vetiti pro legitimis; veteres pro novis; patrij pro forensibus.

12. Dico quartò: licita sunt illa Cambia Minuta, in quibus accipitur aliquid ultra justum valorem nummorum, hic & nunc taxatum; vel ratione operarum seu obsequiorum impensorum à Campsore; vel ratione lucri cessantis; vel perfectionis materiæ. Ita Herincx, Less. Lugo, Navar. Covar. Salas. &c. Ratio primi est; quia operæ, & obsequia Campsoris, quæ ipse in Minutis Cambijs adhibet, in accumulando omnis sortis nummos permutandos; in expectando, & paratum se exhibendo ad Campsariorum arbitrium: in alimentando plures famulos, arti nummulariæ attendentes; sunt pretiô æstimabilia: ergo pro eis aliquid ultra valorem justum nummorum à Campsario licitè accipere potest; & consequenter Cambia Minuta, hac ratione facta, sunt licita. Ratio secundi est; Campsor potest se servare indemnem in cambiendis pecunijs, v. g. aureis; quos in alium locum transferre decreverat, ubi elevati prem, & majorem valorem habent; & tamen hic & nunc se privat aureis in gratiam Campsarij: adeóque pro spe lucri nunc cessantis potest aliquid exigere. Tertium patet; quia quando vel materia nummorum antiquorum est purior, & melioris ponderis, quàm materia novorum; vel quando moneta est aurea, quæ ad majorem negotiandi commoditatem plurimùm conducit, quàm cuprea, vel argentea; æquum est, ut Campsor privans se ejusmodi moneta nobili, & utili, valorem supra ordinariam talis monetæ taxam, augeat; & aliquod auctuarium accipiat, ac instar mercis pluris vendat.

13. Dico quintò: etiam licita sunt Cambia Localia, in quibus aliquid exigitur ultra taxatum valorem pecuniarum; vel ratione translationis nummorum; vel ratione præstationis periculi; seu assecurationis; vel ratione damni emergentis, vel lucri cessantis. Ita Navarr. Corad. Cajet. Less. Herincx, Med. & communis DD. Ratio primi est; quia translatio virtualis nummorum in Cambijs, in obsequium alterius facta, æquivalet translationi reali, & Campsarius idem percipit commodum ex illa, ac ex reali: adeóque est pretiô aliquô ultra taxatum valorem nummorum æstimabilis, sicut ipsa realis translatio. Secundum patet; quia Campsores plura subeunt pericula in trajiciendo pecunias per varia loca, & longas vias; & suscipiunt in se onus præstandi securitatem Campsarijs; unde si pecuniæ pereant, pereunt ipsis Campsoribus: quæ pericula, & onera sunt pariter æstimabilia. Tertij, & quarti quoque Ratio est; quia solent quandoque subitò mutari, & decrescere pretia, & valores nummorum, cum magno damno Campsorum: item quia forsitan fuissent nummi Cambio subjecti alijs negotiationibus magis utilibus, & frugiferis applicati à Campsoribus; vel fuerunt perfectioris materiæ, v. g. speciei aureæ: vel commodiores ad negotiandum; quia erant v. g. meri thaleri, vel scuta; vel erant minoris pretij in loco, ubi eas extradidit Campsor, quàm ubi Campsarius recipit: sed variatio nociva pretiorum, subtractio majoris utilitatis sperandæ ex nummis Cambio subjectis, perfectio materiæ nummorum, & eorum major valor in loco, ubi à Campsario accipiuntur, sunt pretiô æstimabilia: adeóque licitè pro eis aliquid in Cambio Locali accipi potest ultra taxatum valorem nummorum.

TITULUS XX.

De Crimine Falsi.

CAP. I.

De quidditate Falsi; & modis varijs, quibus committi potest.

1. Nota primò: progreditur Papa in examine Criminum; & *hoc tit.* discutit crimen Falsi: circa quod

2. Dico primò: Falsum, prout crimen importat, rectè describitur; quòd *sit veritatis immutatio cum dolo, & jactura*; seu *imitatio damnosa & dolosa veri cùm tamen verum non sit.* Ita constat ex *Authent. de instrum. cautel. collat. 6.* Ly *permutatio*, & *imitatio* sunt genus; reliqua ponuntur pro differentia. Ex quibus descriptionibus sequitur, tria requiri ad Falsum; *primum* ut veritas immutetur, *Authen.*

then. cit. *Secundum* ut veritas immutetur animo doloso, seu intentione fallendi alterum, *L. nec ad exemplum C. ad Leg. Cornel. de Falf.* *Tertium* ut falsitas committatur cum damno alterius; uti habet Gloss. in *L.23.C. hoc tit.* Circa alterum artic. hujus cap.

3. Nota secundò: crimen Falsi principaliter quatuor modis committi potest; scilicet dictô, scriptô, factô, & usu. *Dictô* committitur si quis verbo veritatem immutet: tale crimen committit testis, si in judicio falsum deponat testimonium; vel malo dolo supprimat verum, *cap. 1. hoc tit.* ubi gravitas hujus falsi exageratur, & dicitur, quòd *falsidicus testis tribus personis est obnoxius, id est obligatus; primùm DEO, cujus præsentiam contemnit; deinde Judici, quem mentiendo fallit; postremò innocenti, quem falsô testimoniô lædit.* De eodem Falso procedit *L. 1. & L. eos qui 27. ff. de Leg. Cornel. de falf.* Tale etiam crimen Falsi Dictô committit is, qui subornat testem, eum donis, vel pretio corrumpendo ad falsè testificandum in judicio; vel utitur dictô falsi testis; uti habet Clarus. Tandem etiam Judex crimen falsi Dictô committit, si pecuniâ correptus, vel aliàs dolô malô inductus sententiat contra Leges, *L. 1. ff. de Leg. Corn. de falf.*

4. Nota tertiò: *Scriptô* committitur falsum; si quis conficiat falsam scripturam v. g. si quis scribat testamentum, vel aliud instrumentum falsum, signet, vel recitet, celet, aut subjiciat, *§. item Lex Cornelia, Instit. de public. Judic.* Item si quis in testamento adscribat legatum, vel fidei commissum, *L. si quis legatum 6. ff. hoc tit.* Item si quis prodat adversario instrumenta apud se deposita. Item si quis radat litteras alicujus scripti, & aliud eò inserat, *cap. olim de rescriptis.* Et huc pertinent novem modi recensiti in *cap. Licet 5. hoc tit.* quibus censentur falsificari Rescripta, seu Litteræ Apostolicæ; quos vide *ibidem*

5. Nota quartò: *Factô* committitur crimen Falsi variè; *primò*: si quis utatur falsis ponderibus, vel mensuris, sicque dolô malô fraudem facit, *L. penult. ff. hoc tit.* *Secundò* si monetam falsam cudat, *L. quicunque 8. ff. eod.* Dicitur autem monetam falsam cudere is, qui privata authoritate, sinè concessione Imperatoris, seu supremi Principis monetam excudit, etsi aliàs probam, & justi ponderis, appressô signô, seu figurâ Principis, qui illam cudi non fecit. Nam ad solum Imperatorem, vel alium Principem supremum spectat Jus monetandi *cap. 1. quæ sint regalia lib. 2. Feud. tit. 56.* Potest tamen Imperator, & alius supremus Princeps hoc jus alijs quoque concedere, imò & præscriptione temporis immemorabilis alijs competere poterit, *Extrav. unic. Joan. XXII. hoc tit.* Præterea etiam ille censetur falsam cudere monetam, qui spurios nummos efformat ex ære, stanno, vel cupro, vel alia materia, eosque tingit. Vel si nummos legitimos radat, ac diminuat, *L. quicunque 8. ff. hoc tit.* Item qui per artem chymicam alia viliora metalla transmutat, in aurum, & nummos inde cudit, *Extrav. unic. spondet hoc tit. inter communes.* *Tertiò* crimen Falsi Factô quoque committunt, qui mercibus adulterinam, minúsque utilem materiam admiscent; uti habet Molin. Pirh. &c. *Quartò* falsarius quoq; Factô reputatur, qui alienum partum supponit, fingendo talem esse proprium filium; cùm tamen non sit *L. qui falsum 19. ff. eod.* *Quintò* item qui duobus eandem rem in solidum vendit diversis contractibus, *L. qui duobus 21. ff. eod.* *Sextò*, qui cum fraude, & præjudicio tertij mutat sibi nomen, & cognomen, *L. falsi 13. ff. eod.* *Septimò*, item qui utitur insignibus alienis, *L. eos 27. ff. ad Leg. Corn. de falf.* *Octavò* item qui se fingit Sacerdotem, Diaconum, vel Nobilem, vel Doctorem, cùm non sit; & aliquos actus ad præfatas personas pertinentes exercet; uti habet Farinac. & Pirh.

6. Nota quintò: *Usu* committitur crimen Falsi; si quis falsis litteris utatur; vel alleget falsas Leges *L. fin. ff. hoc tit.* Item si quis utatur falsis probationibus, ùt si proferat scienter falsa instrumenta, vel scripturas in judicio; uti habet Mascard. & Farinac. Item qui colligit falsam monetam, eandémq; expendit, &c. ut habet Engel &c. Item qui pro milite se gerit, *L. eos, qui 27. ff. eod.* Plures alij passim in Legibus reputantur, & ponuntur pro falsarijs, saltèm ex interpretatione; ut notat Vallens. veluti apertores litterarum sigillatarum Principis *cap. Olim de potest. deleg. &c.*

CAP. II.

De pœnis Falsi.

1. Nota primò: pro crimine Falsi antiquæ Leges Civiles generaliter statuerunt quoad personas liberas deportationem, cum publicatione omnium bonorum; quoad servos verò ultimum supplicium, *§. item Lex Cornelia, de falsis; Instit. de pub. jud.* sed quia deportatio hodie non est ampliùs in usu; & pœna publicationis est correcta per *Authen. bona damnat. C. de bon. proscrip.* Ideo hodie pœna Falsi evasit arbitraria, accommodanda casibus emergentibus; uti notat Gloss. Farinac. &c.

2. Nota secundò: extant præterea etiam particulares quædam pœnæ contra committentes specialia crimina Falsi. Sic Episcopus Sacerdos, vel Diaconus proferens falsum testimonium in judicio, aut falsas litteras, deponendus est in perpetuum ab Officio, & in Monasterium detrudendus ad agendam ibi pœnitentiam, & Laicâ communione duntaxat reficiendus, *can. si Episc. 7. dist. 50.* Et omnes falsificantes litteras Apostolicas, seu Bullas, Excommunicationi subjacent; si Clerici sint quicunque omnibus officijs suis, & beneficijs ipso Jure privantur; & post degradationem Judici sæculari tradendi sunt, ut condignis pœnis secundùm Leges Civiles, castigentur *cap. Ad falsariorum 7. hoc tit.* Memoratam pœnam Excommunicationis incurrunt omnes coöperantes ad falsationem Bullæ, fautores, defensores, & utentes litteris jam falsificatis Apostolicis, *cit. cap. 7.* similiter Bulla Cœnæ anathemati subjicit quoscunque falsarios Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationum, gratiam vel justitiam concernentium per Rom. Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarium, vel eorum vices gerentes, aut de mandato ejusdem Rom. Pontif. signatarum.

3. Nota tertiò: etiam falsificantes monetam specialem habent pœnam ex Legibus Civilibus, scilicet combustionem, & confiscationem omnium facultatum, *L. 2. C. de falsa moneta.* Ex Juribus etiam Canonicis falsarij monetæ excommunicantur ipsô factô, & excommunicatio hæc reservatur Papæ, *Extrav. prodiens, unic.* Joan. XXII. *hoc tit.* Et Alchimistæ fabricantes, & alij scienter distrahentes aurum chymicum pro vero, redduntur perpetuò infames. Et si Clerici fuerint, præterea etiam privandi sunt suis beneficijs, & efficiuntur inhabiles ad eadem, vel alia habenda, *Extrav. spondent. unic. hoc tit. inter communes.*

CAP. III.

De crimine falsi, commisso à Minorita.

1. NOta primò: Frater Minor de Observ. & Ref. committens crimen falsi, deponendo falsum in judicio, vel deponi procurans, aut revocans, vel revocari procurans quod verè depositum fuerat, incurrit casum Reservatum superiori majori; uti statuitur in Constit. general. *cap. 7. §. 3.* Et insuper ipsô factô est excommunicatus; nec absolvi potest nisi à Provinciali, satisfactione præmissâ; ac etiam semestri carceri mancipandus est, sicut dicitur in *in cit. Constit. §. 6. n. 64.* Convictus etiam scripsisse falsas litteras, falsáque memorialia composuisse, arbitrariâ severâ pœnâ castigandus est, & tanquam communis quietis turbator habendus, *ibidem num. 66.*

2. Nota secundò: ijdem Fratres falsificantes per se, vel alios litteras, aut sigilla Prælatorum Ordinis nostri Franciscani; aut etiam alterius personæ notabilis, ipsô factô incidunt in excommunicationem, & superiorum arbitriô carcerandi sunt. Si verò sigilla, & litteræ fuerint Generalium, sinè eorum assensu falsificatores è carcere liberari non possunt; ac præterea ad omnia Officia Ordinis perpetuò sint inhabiles, *ibidem num. 61.* Judex competens de falsitate commissa circa litteras Generalium sunt primò ipsimet Generales, eorúmque delegati. Deinde etiam Provinciales, in quorum Provincijs falsitas committitur; uti notat Sanct. *in pœnal.* & ex eo S. Severino.

TITULUS XXI.

De Sortilegijs.

CAP. UNIC.

De Sortilegijs.

1. NOta primò: refertur etiam inter crimina Sortilegium, id est usus sortium; non quidem omne; cùm & in Lege Mosaica reperiatur sortium quidam usus: sed Divinatorium, quod affert injuriam DEO; ut dicetur infra. Sortilegi mali sic circumscribuntur *can. 1. caus. 26. q. 1.* quòd sint illi homines, qui sub nomine fictæ religionis per quasdam, quas sanctorum seu Apostolorum sortes vocant, Divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum inspectione futura promittunt.

2. Dico primò: Sortilegium propriè dictum bene describitur, quòd *sit observatio alicujus casûs fortuiti, juxta cujus eventum actio aliqua instituitur; vel occultum cognoscitur; aut futurum prædicitur.* Ly *observatio* est genus; reliqua ponuntur pro differentia. Et quia

quia Sortilegium innititur sortibus, estque usus quidam sortium; ideò etiam juxta earum multiplicitatem dividitur. Unde

3. Nota secundò: Sortes communiter triplicis differentiæ assignari à DD. videlicet divisorias, consultorias, & divinatorias. *Sortes Divisoriæ* dicuntur illæ, per quas res, vel jus aliquod inter plures dividitur, vel litigium dirimitur; ut si inter plures cohæredes patrimonium defuncti, & bona hæreditaria sorte dividantur, *L. 2. C. quando, & quibus quarta pars debeatur, &c. Sortes Consultoriæ* dicuntur illæ, in quibus occultæ veritatis manifestatio, aut cõsilii alicujus directio à DEO imploratur. Hôc modô deprehensum est peccatũ Achan, qui de anathemate furtim surripuit, propter quod populus Israëliticus in bello fuit cæsus, *Jos. 7. Sortes Divinatoriæ* dicuntur illæ, quibus latentis veritatis manifestatio, vel consilii directio non à DEO; sed exprèssè, vel implicitè à Dæmone petitur: sub his plerumque magna latet superstitio, & idololatria, *can. Sors 1. causs. 26. q. 1.* Ex hac itaque triplici differentia sortium nascuntur Sortilegia Divisoria, Consultoria, & Divinatoria.

4. Dicò secundò: Sortilegium Divisorium, seu usus sortium Divisoriarum est licitus; modò non excludat Divinam Providentiam; & fiat ob necessitatem, vel utilitatem, vel justam causam. Ita Vallens. Engel, Pirh. &c. Et constat ex *can. 1. causs. 26. q. 2.* Et ex illo S. Scripturæ *Prov. 18. contradictiones comprimit sors; & inter potentes quoque dijudicat.* Et ex *L. sed cùm ambo 14. ff. de jud.* Estq; Ratio; quia ejusmodi sortilegium, & usus sortium Divisoriarum nullam per se continet superstitionem, aut divinationem, neque DEO per ipsum infertur ulla injuria; adeóque licitus est. Unde etiam S. Augustinus eundem approbavit, teste Gloss. in *causs. 26. q. 2.* scribens quibusdam, quando Civitas quædam erat obsessa, & dubitabatur, quinam de Clero deberent exire, & quinam remanere, sorte rem esse decidendam.

5. Dico tertiò; Similiter Sortilegium Consultorium, seu usus sortium Consultoriarum licitus est; sed rarissimè adhibendus, & non nisi DEI jussu, vel quando nullum humanum Consilium suppetit, & negotium est grave, ob quod proinde DEUS meritò consulendus est; si id fiat cum debita reverentia, & petatur humiliter ab eo per specialem providentiam occulta sortium diremptio: si aliter fiat usus earum illicitus est. Ita Vallens. Engel. Pirhing. &c. Primum constat ex facto S. Petri, qui per sortes Consultorias elegit S. Mathiam in Apostolum locô Judæ, *Act. 1.* Et de simili usu sortium etiam procedit illud *Proverb. 16. Sortes mittuntur in sinum; sed à Domino temperantur.* Secundum constat ex *can. Sortes 7. causs. 26. q. 5.* Et *cap. 4. ibid.* ubi dicitur: *non Mathiæ exemplô indifferenter sortibus credendum est; cùm singulorum privilegia legem communem facere non possint; si qui tamen necessitate aliqua compulsi DEUM putant exemplô Apostolorum sortibus consulendum, videant hoc ipsos Apostolos non nisi collectô Fratrum cœtu, & precibus ad DEUM fusis egisse:* Ex quibus habetur usum sortium consultoriarum non esse licitum, quando non fit ex causis in conclusione allegatis.

6. Dico quartò: Sortilegium Divinatorium, seu usus sortium Divinatoriarum non est licitus; sed graviter prohibitus. Ita communis DD. Et constat ex *can. 5.* Et *can. 7.* Et *can. 11. causs. 26. q. 5.* Estque Ratio; quia sortes Divinatoriæ sunt medium improportionatum, & vanum ad talem finem ac effectum: nusquam enim DEUS promisit se sortes temperaturum, ad præsignificanda futura; vel aperienda occulta: unde habet admixtam saltem tacitam Dœmonis invocationem, ut is sortes regat, & occultum manifestet, per quod proinde DEO irrogatur gravis injuria. Et talia Sortilegia censentur esse, si invocetur Dæmon in libris, sicut faciunt legentes aliquos versus alicujus psalmi: item si fiant aliqua puncta in tabulis, ex quibus indicentur futura, aut occulta, v. g. furta, &c. utì notat Abbas. Ad Sortilegos hujus classis reducuntur quoque incantatores, arioli, auspices, augures, Magi, & similis farinæ homines pessimi; de quibus dicitur Lev. *19. non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid sciscitemini.*

7. Nota tertiò: Sacri Canones prohibent regulariter usum sortium in electionibus ad Prælaturas, & ad beneficia Ecclesiastica, *cap. 3. & ult. hoc tit.* Ratio est; quia nulla est necessitas in ejusmodi electionibus regulariter recurrendi ad Sortes; cùm per alias vias congruentes possint fieri. Deinde subesset in tali modo eligendi periculum, nè sors super indignos, vel minùs dignos cadat cum præjudicio Ecclesiarum. Præterea, quia per tales electiones sorte factas quodammodo tentaretur DEUS, à quo petitur, ut ipse per miraculum revelet, quis sit eligendus, utì notat Abbas: Unde hic modus eligendi non continetur inter approbatos modos faciendarum electionum, qui habentur *cap. Quia propter 42. de elect.* Prohibent quoque iidem Canones usum sortium pro furtis inquirendis, *cap. 1. hoc tit.* Utì & usum inspectionis astrolabii, vel alterius instrumenti Astronomici, *cap. 2. hoc titulo.*

8. Nota

8. Nota quartò: Jura Civilia statuunt contra Divinatores, & Sortilegos Divinatorios pœnam capitis, & publicationis bonorum, *L. nemo 5. C. de malefic.* Jura verò Canonica Clericos exercentes usum sortium Divinatoriarum jubent deponi ab officio, & beneficio, & detrudi ad monasterium, *can. 4. & seq. cauf. 26. q. 5.* Si autem id ex aliqua simplicitate fecissent, suspendendi sunt à Divinis, & altaris ministerio, *cap. 2. hoc tit.*

TITULUS XXII.

De Collusione detegenda.

CAP. UNICUM.

De detegenda Collusione.

1. NOta primò: *hoc tit.* discutit Papa aliud crimen, quod dicitur Collusio, quæ speciem Falsi habet; nam in Jure dicitur colludere is, qui aliud agit, & aliud simulat.

2. Dico primò: bene describitur Collusio hìc; quòd *sit quædam latens fraudulenta Conventio inter actorem, & Reum, vel eorum procuratores, quâ interveniente aliquando delicta manent impunita.* Ita Glossa, & communis DD. Ly *conventiò* est genus: reliqua ponuntur pro differentia. Perficitur autem in re ejusmodi Collusio, si actor post factam denunciationem, ac litis contestationem adjuvet partes Rei, celando, vel dissimulando veras probationes; vel falsas defensiones, & exceptiones admittendo; vel totaliter recedendo ab accusatione eò fine, ut Reus absolvatur, & evadat pœnas meritas; sicque Judicium publicum reddatur illusorium, utì ex Hostien. notat Pirh.

3. Dico secundò: Collusio in judiciis est graviter prohibita. Ita communis DD. Et constat ex *cap. 3. hoc tit.* Estque Ratio; quia per ejusmodi Collusionem sæpe contingit Judicia eludi, proximum damnificari, & peccata gravia non castigari, cum gravi damno Reipublicæ

4. Nota secundò: potest autem Collusio contingere non tantùm in causis criminalibus; sed etiam in civilibus: item tam in temporalibus, quàm in spiritualibus seu Ecclesiasticis; utì notat Hostiens. Item potest committi tam ab ipsis partibus litigantibus, quàm eorum procuratoribus ac advocatis; tam à personis laicis, quàm Ecclesiasticis, secundùm Vallens. & Hostiens.

5. Nota tertiò: Si contingat in Judicio intervenire aliquam Collusionem, ita ut actor ab accusatione desistat; tunc Judex debet ex officio inquirere, an is per Collusionem destiterit ab accusando, vel non; utì constat ex *cap. Scripta 1. hoc tit.* Imò etsi Reus jam sit absolutus per Collusionem à crimine, postquam Collusio Judici innotuerit, tenetur de novo contra ipsum inquirere, *cap. in tantum 4. hoc tit.*

6. Nota quartò: Laicus colludens punitur pœnâ extraordinariâ arbitrariâ secundùm Abbat. &c. DD. & ab accusando repellitur *L. 5. ff. de prævar.* Clericus verò colludens in causa beneficiali, subiiciendo beneficium annuæ pensioni, beneficiò privandus est, *cap. Audivimus, 4. hoc tit.*

TITULUS XXIII.

De Delictis Puerorum.

CAP. UNICUM.

De Puerorum Delictis.

1. NOta primò: delicta non tantùm perpetrantur ab hominibus in adulta ætate constitutis; verùm etiam ab aliis in tenera adhuc ætate degentibus, quatenus sunt doli capaces; quales sunt complures pueri, qui varia mendacia, furta, perjuria, blasphemias, &c. committere solent, *cap. 1. hoc tit.* Unde meritò Papa *hoc tit.* de horum delictis etiam agit. Censetur autem puer is, qui adhuc est impubes, & intra septimum, & decimum quartum annum est constitutus; & puella, quæ intra septimum, & duodecimum annum, *cit. cap.*

2. Dico primò: pueri, & puellæ doli capaces ob sua delicta gravia, v.g. homicidia, furta &c. puniendi sunt; pœnâ tamen mitiori. Ita com-

Ita communis DD. Et constat ex *cap. Pueris 1.* Et *cap. referente 2. hoc tit.* Et quia in in ejusmodi vera & quidem omnia peccata; præter consummatum carnis, cadere possunt *L. 1. ff. ad SC. Silenianum*, ac proinde pro iisdem non minùs, quàm provectæ ætatis homines, puniendi sunt, *cap. 1. cit.*

3. Dico secundò: parentes ob delicta filiorum puerorum, vel puellarum impuberum non debent conveniri, vel mulctari pœnâ pecuniariâ. Ita Vallens. Gloss. &c. Et constat ex *cap 2. hoc tit.* Et *L. 1. C. nè filius pro patre &c.* Et *Instit. de noxal. act. in fine.*

TITULUS XXIV.

De Clerico Venatore.

CAP. UNIC.

Quæ venatio Clericis prohibeatur.

1. NOta primò: *hoc tit.* proponit Papa prohibitionem Venationum quoad Clericos; non quòd ea illicita sit ex se; cùm venari sit actus indifferens, & propterea Laicis permissa; sed quia eadem dedecet aliquomodo statum eorum, qui in sortem Domini sunt vocati; & quia est impeditiva exercitiorum ad Clericos pertinentium. Unde

2. Dico primò: personis Ecclesiasticis Jure Canonum vetita est venatio, & aucupium. Ita communis DD. Et habetur *cap. 1.* Et *2. hoc tit.* Et in Trident. *sess. 24. cap. 12. de Refor.* Estque Ratio; quia, ùt dixi, Venatio & Aucupium dedecent statum Clericalem; & abstrahunt multùm ab exercitiis, & Officiis Divinis; avocántque ab aliis spiritualibus utilibus occupationibus; insuper frequentata præbent populo scandalum; uti rectè notat Menoch.

3. Nota secundò: prædicta autem conclusio intelligenda est tantùm de Venatione, in qua solent intervenire feritas, cædes, armorum usurpatio, clamores, tumultus, cursus, & magni strepitus, canum ingens latratus, sylvaticæ evagationes; item accipitrum, & falconum usus, longáque mora, & inutilis vigilia in aucupiis; utì constat ex *cap. 1. hoc tit.* Non autem de Venatione & aucupio quieto, & moderato, cum paucis canibus, cum retibus, & laqueis, & brevi mora; maximè si hæc rarò fiant, & recreationis duntaxat causâ; vel ob aliquam necessitatem, puta ad capiendas feras nocivas, devastantes segetes, vel vineas Clericorum; vel causâ exercitii corporalis; uti notat Gloss. Host. Sylv. &c. Cùm lex non sit extendenda ultra rationem, quam habet adjunctam; ùt ait Zoës.

4. Nota tertiò: Episcopus frequentans venationes clamorosas per tres menses suspendendus est ab officio; Presbyter per duos; Diaconus verò ab omni, sed sinè præfinitione temporis, *cap. 1. hoc tit.* Minoristæ beneficiati arbitriò Episcopi puniendi sunt, *arg. cap. de causis 4. de offic. Jud. deleg.*

TITULUS XXV.

De Clerico Percussore.

CAP. I.

De Clerico Percussore.

1. NOta primò: *hoc tit.* Papa persequitur Clericos percussores; hos enim decet mansuetudo, cui adversatur percussio, exercita factô, aut verberibus, aut aliô modô, indecente personas Ecclesiasticas.

2. Dico primò: graviter vetitum est personis Ecclesiasticis exercere percussiones. Ita communis DD. Et constat ex *cap. 1.* Et *2. hoc tit.* Estque Ratio; quia ùt dixi ejusmodi exercitium non cohæret cum mansuetudine, quæ personas Ecclesiasticas omnino decet, ad exemplum Salvatoris.

3. Nota secundò: Clericus sæpè alium, etiam Laicum illicitè percutiens jubetur deponi, *cap. 1. hoc tit.* Episcopus jubens aliquem Laicum delinquentem cædi graviter fustibus debet à celebratione Missarum duobus mensibus abstinere, *cap. 2. hoc tit.* Quòd si Clerici ipsi subditi graviter delinquant, Episcopus pro gravioribus criminibus potest quidem eosdem curare corrigi, etiam verberibus, *can. cùm beatus 8. dist. 45.* Non potest tamen

tamen Episcopus eosdem propriis manibus verberare, *can. non licet 25. dist. 86.* Sed hoc fieri debet per alium Clericum; & nullatenus per Laicum: aliàs tam Episcopus, quàm talis Laicus incidunt in excommunicationem, *cap. Universitatis 24. de sent. excom.* Quòd si tamen Clericus delinquens esset penitùs incorrigibilis, tunc is per Laicum licitè verberari posset, *arg. cap. Ut famæ 35. de sent. excom.* Imò & per Episcopum Clericus quisque delinquens verberari potest, si alius Clericus ad hujusmodi effectum non reperiatur; utì habet Glossa. Prælati etiam minores Episcopô suos Regulares criminosos causâ regularis disciplinæ in persona verberare possunt; utì & per alios Religiosos ad hoc deputatos, quando necessitas id exigit, *cit. cap. Universitatis.* Attendere autem debent dicti Prælati, nè notabiliter excedant in præfata correctione; aliàs incident in excommunicationem, latam *can. Si quis suadente, &c.*

CAP. II.

De Percussore in Ordine Franciscano.

1. Nota primò: distingui in Ordine nostro inter percussionem levem, & gravem. Percussio levis censetur, quæ fit pugnô, palmâ, manu, pede, digitô, baculô, lapide, &c. dummodo nullam maculam, seu sugillationem relinquat; utì habet Sanctorus *in pænal.* Gravis censetur esse, quæ fit præfatis instrumentis, cum secuta sugillatione, vel abscissione membrorum; utì habet idem Author.

2. Nota secundò: Frater Minor leviter percutiens, deferre debet probationis caputium per annum, & ad Superioris libitum incarcerari, utì habent Constit. General. Ord. *cap. 7. §. 6. num. 51.* Graviter verò percutiens, gladiô, baculô, vel pugione Fratrem, vel sæcularem, annuali carceri est mancipandus; & omni suffragiorum Jure, ac actibus legitimis perpetuò est privandus; & insuper pœnitentiandus publicè ter quâlibet hebdomadâ genuflexione in communitate, & appensione illorum instrumentorum, quibus percussit, *ibidem num. 52.* Percutiens autem graviter dictis instrumentis Prælatum, secutâ morte, ad triremes mittendus est. Si etiam percussio contingat fieri in personam Provincialis quôvis modô, etiam leviter tantùm, percutiens quoque ad triremes damnandus est, arbitriô Generalis. Si autem in personam ipsiusmet Generalis etiam levissimè fiat, percutiens perpetuò triremibus addicendus est, *ibidem num. 53.*

TITULUS XXVI.

De Maledicis.

CAP. UNICUM.

De Maledicis.

1. Nota primò: *præf. tit.* Summus Pontifex tractat de crimine Maledicti, quod sic dicitur à *maledicendo*: & contingit hoc crimen, dum quis aliquod malum de præsenti, vel futuro enunciat de proximo; vel dum lingua solvitur in DEI, Sanctorúmque injuriam, blasphemando scilicet DEUM, aut Sanctos. Unde

2. Dico primò: rectè describitur Maledicus, quòd *sit injuriosus contumeliator, seu oblocutor DEI, vel Sanctorum, vel proximi sui.* Ly *contumeliator* est genus; reliqua ponuntur pro differentia.

3. Dico secundò: gravissimè prohibitum est Maledictum tum in DEUM, ejúsque Sanctos; tum in proximos. Ita communis TT. Primum constat ex *cap. Statuimus, 2. hoc tit.* Estque Ratio; quia per maledictum, seu blasphemiam DEI, ac Sanctorum maxima irrogatur injuria, & irreverentia eisdem; minuitur DEI Majestas, & Sanctorum excellentia, ac honor. Secundum constat ex *cap. Innotuit 1. hoc tit.* Estque Ratio; quia per maledictum seu oblocutionem calumniosam gravem proximo factam committitur detractio ejus gravis, & damnificatio in honore, ac æstimatione.

4. Nota secundò: Clericus maledicus in Summum Pontificem in depressionem Officii, & Beneficii graviter puniendus est arbitriô Judicis; utì constat ex *cap. 1. hoc tit.* Nam scriptum est Exodi *22. cap.* *Principi populi tui non maledices.* Si verò Clericus in aliam quamcunque personam, maximè Ecclesiasticam maledicta effutierit, compelli debet ad veniæ petitionem faciendam; & in casu relu-

ctantiæ

ſtantiæ ab Officio dejiciendus; nec unquam reaſſumendus, *can. Clericus maledicus 5. diſt. 46.* Religioſus maledicus in Prælatos Eccleſiarum per duos menſes ſubjacere debet pœnis, aliàs in Conſtitutionibus ſuis Regularibus ordinatis, Clement. *1. de privil.* Laicus maledicus in Papam pœnâ rigoroſâ arbitrariâ à Judice ſæculari puniendus eſt; utì habet Farin. Hoſtiens. Et conſtat *arg. cap. 1. hoc tit.* Maledicens verò proximo ſuo cuicunque, arbitriô Judicis corripiendus eſt. Quòd ſi maledictum fiat in forma libelli famoſi, redditur infamis, & ad triremes eſt damnandus, ex Conſtit. Gregorii XIII.

5. Nota tertiò: Maledicus in Cæſarem, vel alium ſupremum Principem ſæcularem, plectendus eſt pœnâ arbitrariâ ipſius Cæſaris, vel ſupremi Principis; utì conſtat ex *L. unic. C. Si quis Imperatori maled.* Nam & de tali Principe procedit ille textus Exod. *22. cap. Principi populi tui non maledices.*

6. Nota quartò: Maledicus, & blaſphemus in DEUM, ejúsque Sanctos ſecundùm Legem Moſaicam lapidibus à populo obruebatur, *Levit. 24. cap.* Secundùm Jus Canonicum Clericus talis blaſphemus deponendus eſt ab officio Clericali. Laicus verò excommunicandus, *can. Si quis 10. cauſ. 22. q. 1.* Præterea *cap. 2. hoc tit.* ſtatuitur, ut Laicus blaſphemus in DEUM, & ejus Cœlites publicam pœnitentiam agat, juxta formam *ibidem* præſcriptam; & pœnâ inſuper pecuniariâ coërceatur. Quòd ſi verò recuſaverit ſubire præfatas pœnas, interdicendus eſt ab Eccleſiæ ingreſſu, & privandus ſepulturâ Eccleſiaſticâ, *cit. cap 2.* Demùm ſecundùm Leges Civiles maledicus, ſeu blaſphemus Divinæ Majeſtatis, ac Sanctorum ſubire debet extremum ſupplicium, ſeu pœnam mortis, juxta Auth. *ut non luxurientur homines coll. 6. nov. 77.* Putat autem Covarr. Clarus, & alii Legiſtæ, hanc pœnam in deſuetudinem abiiſſe; unde hodie arbitraria tali maledico imponitur, ſpectatâ qualitate perſonæ, & facinoris; utì notat idem Clarus. Blaſphemus etiam efficitur inhabilis ad teſtificandum, utì notat Covarr. & Pirh.

7. Nota quintò: cenſetur autem ille eſſe maledicus, & blaſphemus in DEUM *primò*, qui ei aliquid negat, dicendo v. g. quòd non ſit omnipotens; vel quòd non habeat providentiam hominum, ac rerum humanarum, &c. *Secundò*, qui aliquid de DEO aſſerit, quod ei non convenit; v. g. ſi dicat DEUM eſſe tyrannum injuſtum, aut aliô conviciô eum impetat. *Tertiò*, qui aliquid tribuit creaturæ, quod DEO debetur; v. g. ſi dicat, Dæmonem æquè cognoſcere cordium ſecreta, vel futura contingentia, ſicut DEUM. *Quartò*, ſi quis per falſos Deos juret. In Sanctos quoque committitur blaſphemia, ſi impetantur conviciis; ſi denegetur eis advocatio apud DEUM; aut debita invocatio, aut debitus cultus Duliæ, &c.

CAP. II.

De Maledicis in Ordine Franciſcano.

1. NOta primò: Minorita Obſervans, & Reformatus maledicus in DEUM, vel Sanctos per blaſphemiam DEI, aut Domini noſtri JESU Chriſti, aut DEIparæ V. MARIÆ incurrit Caſum reſervatum, ex Conſtitut. General. Ord. *cap. 7. §. 3.* Maledicus autem in Summum Pontificem, vel ſummam ejus dignitatem in terris, vel in Apoſtolicas Conſtitutiones, Decreta, vel Sanctiones, ſemeſtris carceris pœnâ eſt mulctandus, ac aliâ graviori, ad arbitrium Superioris; utì habent Conſtitutiones cit. *cap. 1. §. 1. n. 1.* Temerè verò os laxans in S. R. E. Cardinales, aut eorum dignitatem in genere, vel in ſpecie, & præſertim in D. Protectorem Ordinis, imò & in Epiſcopos, & alios Prælatos Eccleſiarum, per tres menſes eſt incarcerandus; *ibidem n. 2.* Contumelioſus verò in Miniſtrum, vel Vicarium, vel Commiſſarium Generalem, puniendus eſt eorum arbitriô; *ibidem n. 3.* Maledicus in Miniſtrum Provincialem, vel Commiſſarium, carcerandus eſt arbitriô eorum, & ſuffragiorum Jure privandus ad arbitrium Generalis; *ibidem n. 4. & 5.* Maledicus demùm in Guardianum, vel Vicarium, vel aliquem gravem Patrem, arbitriô Provincialis puniatur; *ibidem n. 6.*

TITULUS XXVII.

De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.

CAP. UNIC.

De Clerico in Censuris ministrante.

1. Nota primò: contingit nonnunquam, ut Clericus censurâ excommunicationis, suspensionis, vel interdicti innodatus, vel depositus, vel degradatus, in suo ordine ministret, & Missam celebret, ac Divinis Officiis sese ingerat; quæ delicta proinde Papa *isto tit.* insectatur, & punit. Unde

2. Dico primò: si Clericus excommunicatus excommunicatione majori, suspensus vel interdictus, celebret Divina Officia, & debitè monitus non se emendet, deponendus est perpetuò ab officio & beneficio. Ita Abbas, & communis DD. Et constat ex *cap. Clerici 3. hoc tit.* Et *cap. 4. & 6. eod.* Quòd si autem post depositionem per contemptum, & superbiam aliquid de ministerio sibi interdicto agere præsumpserit, & ab Episcopo suo correptus in incæpta præsumptione perduraverit, per sæcularem potestatem ad Ecclesiæ requisitionem in exilium ejiciatur, *cap. Si quis, 2. hoc tit.*

3. Dico secundò: Clericus propter crimen commissum justè depositus, seu degradatus à gradibus Ecclesiasticis, deinde celebrans Missam, vel ministrans in suscepto Ordine, post debitam admonitionem est excommunicandus. Ita Hostiens. & communis DD. Et habetur in *cap. Si quis Episcopus 1. hoc tit.*

4. Dico tertiò: Clericus dubitans se censurâ excommunicationis majoris esse innodatum, quia scilicet per solam famam audivit, sententiam dictæ censuræ esse contra se latam; si postea celebret, incidit in pœnas Canonum decretas contra illos, qui celebrant Divina Officia in excommunicatione actuali; cum tali tamen misericorditer potest dispensari. Ita Glossa & communis DD. Et constat ex *cap. Illud Dominus 5. hoc tit.* Estque Ratio; quia talis stante dubio debebat abstinere à celebratione; cùm in dubiis tutior via sit eligenda, *cit. cap. 5.*

5. Dico quartò: Clericis excommunicatis excommunicatione majori non possunt conferri beneficia Ecclesiastica: & collatio talibus facta non tenet. Ita Glossa, Covarr. &c. Et constat ex *cap. Postulâsti 7. hoc tit.* Et Ratio est; quia beneficia Ecclesiastica conferuntur regulariter propter Officium, juxta *cap. ult. de rescrip. in 6.* Excommunicatus excommunicatione majori est à Jure suspensus ab omni executione officii; ita ut si in excommunicatione celebret Divina, reddatur irregularis *cap. 1. & 2. de sent. excom. in 6.* Conferentes autem scienter alicui excommunicato tali beneficium, suspenduntur à collatione ulteriori beneficiorum, quousque à Superiore super hoc veniam consequantur, *cit. cap. 7.* Si autem conferatur beneficium tali excommunicato, & is tempore collationis absolvatur, tenet collatio, *cap. Proposuit, 8. hoc tit.*

6. Nota secundò: innodatus solùm minori excommunicatione celebrando graviter quidem peccat; attamen non efficitur irregularis, *cap. ult. hoc tit.* Et tametsi talis prohibeatur eligi; non tamen eligere; vel ea præstare quæ sunt jurisdictionis, *cit. cap. ult.* Præterea quamvis idem excommunicatus administrando aliis Sacramenta peccet; nullâ tamen afficitur irregularitate: & collatio dicta tenet, suúmque effectum habet; uti notat Valens.

7. Dico quintò: Si alicui excommunicato excommunicatione majori conferatur beneficium, postea autem absolvatur à dicta censura, poterit cum eo misericorditer dispensari, ut illud retineat. Ita communis Doctorum. Et constat ex *cap. Postulâsti 7. hoc tit.*

8. Dico sextò: Clericus censurâ excommunicationis majoris irretitus scienter exercens actum proprium Ordinis saltèm majoris, v. g. Diaconus solemniter cantando Evangelium, vel Sacerdos celebrando, ipsô factô redditur irregularis: idem dicendum de Clerico interdicto, & suspenso ministrante. Ita Covarr. Avila, Navarr. Et constat ex *can. Si quis Episcopus 6.* Et *can. Seq. cauf. 11. q. 3.* Estque Ratio; quia Clericus in Sacris constitutus, & censurâ excommunicationis majoris irretitus, ipsô factô est suspensus à ministratione in suo ordine; quare si nihilominus in eo ministret, redditur irregularis; uti notat Glossa, & cit. DD.

9. Dico

9. Dico septimò: imò & Clericus Minorista præfatô modô excommunicatus, suspensus, vel interdictus, & ministrans in aliquo Ordine irregularitatem contrahit. Ita Hostiens. Sylv. Abbas &c. Et Ratio est; quia & Clerici Minoristæ veniunt nomine Clericorum; uti patet ex *can. 1. dist. 21.* Quare sicut Clericus in sacris constitutus efficitur irregularis, si in excommunicatione constitutus ministret in suo Ordine, *can. si quis Episcopus 6. caus. 11. q. 3.* Ita & Clericus Minorista: nam Jus generaliter loquens, generaliter est intelligendum; nisi per aliud Jus distinguatur, ac declaretur, *cap. quia circa, de privil.* si tamen talis Clericus Minorista excommunicatus, suspensus, vel interdictus cum inculpabili ignorantia ministret in aliquo Ordine minori, non contrahit ullam irregularitatem; uti habet Avila, Lopez &c. Nam irregularitas ista à Canonibus statuta est in pœnam; uti constat *can. 6. & 7. caus. 11. q. 3.* Et *cap. 4. hoc tit.* ibi, *si deliquisse constiterit.* pœna verò non incurritur nisi ob commissam culpam: adeoque sit adsit inculpabilis ignorantia, seu nulla culpa, consequenter non contrahitur ulla irregularitas.

TITULUS XXVIII.

De Clerico non ordinato ministrante.

CAP. UNIC.

De ministrante in Ordine, quem non suscepit.

1. NOta primò: punit *hoc tit.* Papa, grave crimen, quod committitur ab aliquo exercente ministerium, & functionem alicujus Ordinis, quem non habet. Unde

2. Dico primò: si Clericus quispiam præsumptuosè usurpaverit sibi Divina, aut Ecclesiastica officia, temerè ministrando in aliquo Ordine, quem non habet; aut baptizando sinè ulla necessitate, excommunicandus est; & efficitur irregularis, ita ut altiores Ordines suscipere nequeat. Ita Glossa, & communis DD. Et constat ex *cap. 1. hoc tit.* ubi per ly *abjiciatur* in textu Suar. & alij DD. intelligunt *excommunicetur*: & per ly *non ordinetur* irregularitatem. Eadem irregularitas constat ex *cap. 2. eod.* similiter talis præsumptuosus usurpator ministerij Divini, vel Ecclesiastici, quod ad eum non pertinet, suspenditur ipsô factô ab usu, & exercitio illorum Ordinum, quos jam antea ritè susceperat, *cit. cap. 2.* Circa beneficium tamen cum eo misericorditer agi poterit per Episcopum, ne debitâ sustentatione orbatus ad sæculi negotia in opprobrium Clericalis statûs cogatur reverti, *cit. cap. 2.* Clement. VIII. verò in quadam Constit. *Etsi aliàs*, ordinat, ut si non Sacerdos sacrificet, vel confessiones audiat, ab Ecclesia abjiciatur, & ab Ordinibus degradetur, & demum Judici sæculari tradatur, debitis pœnis plectendus.

3. Nota autem secundò: ut autem Clericus Divini, vel Ecclesiastici ministerij præsumptuosus, & temerarius usurpator censeatur, & præfatas pœnas incurrat, requiruntur sequentes conditiones. *Primò*, ut talis Clericus ministret scienter in aliquo Ordine, quem non habet; ùt notat Zoës. Avila, Suar. &c. *Secundò*, ut ministret in tali Ordine solenniter, & tanquam ex officio ad tale ministerium deputatus; ùt habet Sylv. Avila, Pirh. &c. *Tertiò*, ut illud ministerium faciat seriò, & non per jocum tantùm; uti habent cit. DD.

4. Dico secundò: si aliquis Laicus eò usque prævaricatus fuerit, ut sibi usurpaverit ministeria Divina alicujus Ordinis, vel statûs Clericalis; is & fit irregularis; & Judicis arbitriô graviter puniendus est. Ita Vallens. Navar. Avila &c. Primum constat ex *cap. 1. hoc tit.* quod generaliter, & absolutè quemcunque ministrantem in aliquo Ordine, quem non habet, & consequenter Laicum, inhabilitat ad Ordines suscipiendos, seu irregularem efficit; quod à fortiori currere debet de Laico, utpote qui magis delinquit, quàm Clericus, qui saltèm est constitutus in statu Clericali. Nec obstat, quod Rubrica *hujus tit.* sit, *de Clerico non ordinato ministrante*; quia in pluribus manuscriptis Codicibus Rubrica sic ponitur; *de non ordinato ministrante*, teste Glossa marginali hìc. Præterea, ut rectè observat Zoës. & Pirh. ex Everhard. non semper valet argumentum à rubro ad nigrum; quia quandoque contingit, ut nigrum sit generalius rubrô; hoc est plus contineat inscriptio Tituli; & vice versâ, ut rubrum sit nigrô generalius. Ratio secundi est; quia cùm Sacri Canones non imposuerint determinatam pœnam corporalem laicis, ministeria

Divina sibi usurpantibus (& hoc ideo, quia forsitan non æstimârunt Laicos eò temeritatis prorupturos, ut ejusmodi ministeria sibi usurparent; uti deinde aliquando factum fuit) ideo pro tali crimine Judex arbitrariam pœnam statuere potest, & debet.

TITULUS XXIX.

De Clerico per saltum promoto.

CAP. UNIC.

De Ordinatione per saltum facta.

1\. Nota primò; perstringit *hoc tit.* Papa aliud crimen Clerici, si nimirum curet se per saltum promoveri. Censetur autem per saltum promoveri is, qui prætermisso inferiore aliquo Ordine, priùs necessariò suscipiendô, suscipit alium Ordinem superiorem; v. g. qui omissis Minoribus suscipit Subdiaconatum, aut omisso Diaconatu curat se ordinari in Presbyterum; quod prohibitum est; quia Ordines cum quadam serie, & gradatim, & non præpostero modo sunt suscipiendi, & conferendi, *can. sollicitudo dist. 52.* Et *59.* Et *60.* alijsque.

2\. Dico primò: Ordinatio facta per saltum quidem tenet, & character imprimitur; sed taliter ordinatus est ipso Jure suspensus ab executione Ordinis suscepti; donec prætermissus Ordo inferior eidem conferatur. Ita Sylv. Avil. Suar. Pirh. &c. Primum colligitur ex *cap. Tuæ, unic. hoc tit.* ubi promotus per saltum non jubetur repetere susceptionem Ordinis Sacerdotalis, quem per saltum susceperat; sed suscipere Ordinem prætermissum; quod tamen fieri mandasset Papa; si Ordinatio per saltum facta non tenuisset, & character non fuisset impressus. Secundum colligitur ex *eod. cap.* ubi de illo Sacerdote per saltum promoto mandat Papa, ut Episcopus eum procuret ordinari in Diaconum; & tunc ex misericordia permittat ipsum ministrare: adeoque supponit ipsum ipso Jure fuisse suspensum ab executione Ordinis Sacerdotalis: alioquin nulla opus fuisset dispensatione; ut rectè notat Avila contra Vallens.

3\. Nota secundò: Episcopos posse dispensare cum ejusmodi Clericis per saltum promotis; si non ministraverint in suscepto Ordine, ut in Ordine sic suscepto deinde possint ministrare; impositâ tamen priùs congruâ pœnitentiâ, sublatâ suspensione, & suppletô illô Ordine prætermissô, ut scilicet per subsequentem Ordinationem eidem priùs conferatur; uti constat ex *cap. unic. cit.* Et ex Trident. *sess. 23. cap. 14. de Reform.*

4\. Nota tertiò: si promotus per saltum non ministret in Ordine suscepto, non propterea est irregularis factus per talem Ordinationem; nusquam enim constat ex Jure de Canone inducente aliquam irregularitatem pro dicto casu. Et quia *cap. unic. hoc tit.* dicitur, quòd Episcopus possit dispensare cum promoto per saltum post suppletionem Ordinis prætermissi, ut possit ministrare in suscepto per saltum Ordine; quod facere non posset, si aliqua irregularitas ex Ordinatione per saltum eo ipso accresceret ordinato; nam solus Papa in tali irregularitate potest dispensare; ùt notat Zoës. & Avil. si tamen ordinatus per saltum ante absolutionem suspensionis præsumat ministrare in Ordine per saltum suscepto, efficitur irregularis; Ratio est; quia communis doctrina Canonica est, omnem Clericum ligatum aliquâ censurâ excommunicationis, vel suspensionis effici irregularem, si quà talis ministret in aliquo Ordine, *can. si quis Episcopus 6. caus. 11. q. 3.* Similiter fit irregularis, si ministret in Ordine prætermisso; quia tunc ministrat in Ordine, quem non habet; quod inducit irregularitatem, *cap. 1. de Cleric. non ordin. ministr.*

5\. Nota quartò: si Clericus prætermissô Sacramentô Confirmationis suscipiat Ordines, validè eos suscipit, nec propterea fit irregularis; nullo enim Jure talis invaliditas, aut irregularitas exprimitur; uti notat Zoës. Avila &c. Tridentinum tamen *sess. 23. cap. 4. de Reform.* præcipit, ut Sacramentum Confirmationis præmittatur primæ tonsuræ: omittentibus autem nullam taxat pœnam. Et putat Avila, quòd secluso contemptu non sit mortale illud omittere. Baptismi tamen omissio invalidat susceptionem Ordinum; eò quòd ipse sit janua Sacramentorum; uti habet Glossa in *can. Sollicitudo dist. 52.* & habet communis DD. Sententia.

TITU-

TITULUS XXX.

De eo, qui furtivè Ordinem suscepit.

CAP. UNIC.

De furtivè ordinatis.

1. NOta primò: in *isto tit.* Pontifex invehitur contra Clericos furtivè suscipientes Ordines; quod pariter prohibent SS. Canones, tum *hoc tit.* tum alibi. Contingit autem susceptio furtiva Ordinum quatuor potissimùm modis. *Primò*, si Clericus approbatus tantùm ad suscipiendos Ordines Minores, eadem die etiam suscipit Subdiaconatum, de quo *cap. 2. hoc tit. Secundò*, si Clericus sinè licentia, & consensu sui Episcopi, ac sinè prævio examine se se intrudat inter Ordinandos; de quo *can. quando Episcopus, dist. 24.* Et *can. extra conscientiam dist. 44. Tertiò*, si Clericus contra prohibitionem Episcopi eodem tempore recipiat duos sacros Ordines, de quo *cap. ult. hoc tit. Quartò*, si Clericus curet se ordinari per saltum, de quo procedit *tit. præced.* De primis tribus furtivis Ordinationibus specialiter *hoc tit.* agit. Unde

2. Dico primò: Clericus qui suscepit furtivè Ordinem aliquo ex prædictis tribus primis modis, si adversùs ejusmodi delinquentes lata fuerat excommunicatio, uti fieri solet passim, non potest talis Clericus ministrare in suscepto Ordine; nec ascendere ulteriùs ad alium superiorem Ordinem, absque Apostolica dispensatione; sed incurrit suspensionem. Ita Zoës. Vall. Abbas. &c. DD. Et constat ex *cap. Veniens 1. hoc tit.* Et *cap. 3. eod.* si autem nulla excommunicatio præviè lata fuerat contra tales Clericos furtivè suscipientes Ordines, poterit Episcopus post injunctam, & peractam pœnitentiam cum eodem dispensare, tollereque suspensionem; uti constat ex *cap. 3. & 2. & 1. eod.*

3. Nota secundò: in Jure nullam reperiri irregularitatem, quæ propterea consurgeret in Clerico aliquo ex præfatis tribus modis furtivè suscipiente Ordinem; uti notat Zoës. contra Abbat. Unde quando *cap. 3. hoc tit.* dicitur, quòd ejusmodi Clericus non possit ministrare in taliter suscepto Ordine; id non irregularitatem aliquam; sed tantùm suspensionem ab executione talis Ordinis indicat, uti docet Covarr. & Zoës.

4. Nota tertiò: tametsi hæc suspensio statuta sit in *hoc tit. Decret.* contra Clericum furtivè suscipientem Ordines Majores: attamen eadem etiam contra suscipientes Ordines Minores extenditur, *cap. Cùm illorum 32. de Sent. excom.* ubi simpliciter hæc pœna statuitur contra furtivè suscipientes Ordines Ecclesiasticos; de quorum numero sunt etiam Minores; uti notat Zoës. Pirh. &c. Suscipientes tamen furtivè eodem die primam duntaxat tonsuram, & quatuor Minores, hæc pœna non ligat; cùm prima tonsura non sit aliquis Ordo; ut notat Zoës. &c.

5. Nota quartò: ubi consuetudo viget eodem die eidem Clerico possunt licitè conferri quatuor Minores, & Subdiaconatus; si ita placuerit Episcopo ordinanti: nam Canones tantùm prohibent collationem duorum Sacrorum Ordinum eodem die: nec Tridentinum *sess. 23. cap. 11.* talem consuetudinem reprobat. Aliàs autem regulariter distinctis diebus conferri debent Minores, & Subdiaconatus, *cap. 2. hoc tit.*

TITULUS XXXI.

De Excessibus Prælatorum, & Subditorum.

CAP. I.

De excessibus Prælatorum circa Clericos Subditos, ac Religiosos Diœcesis.

1. NOta primò: postquam Papa in *Superioribus tit.* egit de criminibus communibus omnium Clericorum; nunc *hoc tit.* tractat de delictis particularibus Prælatorum erga suos subditos; & Subditorum erga suos Prælatos; quæ delicta vocantur *Excessus.* Censetur autem tunc à memoratis personis particularibus committi Excessus (& sit descriptio Excessûs) *si transgrediantur limites à Legibus Canonicis sibi præfixos, operando aliqua, ad quæ non habent potestatem:* quod contingit plurimis modis, ita ut qui vellet

let omnes Excessus tales referre, deberet pœnè omnes resolutiones sequentium titulorum, ac plurium aliorum referre. Quare ad declinandam omnem prolixitatem, sub *hoc tit.* proferam solos excessus, registratos in *eod. tit.* Juris communis Canonici, prohibitos sub variis pœnis.

2. Dico primò: censentur Prælati Episcopi, aliíque Clerum subditum habentes committere excessum, si eundem iniquè gravent indebitis exactionibus, vel taliis, jure vel consuetudine non permissis; item si aliquem Presbyterum indebitè tractent, & sinè judicio Capituli suspendant, vel excommunicent, vel Ecclesiam ejus interdicto supponant, non servato ordine judiciario. Ita communis DD. Et habetur *cap. Pervenit 1. hoc tit.* Pœna pro tali Excessu ponitur arbitraria; *cit. cap. 1.*

3. Dico secundò: Præterea censentur Prælati Episcopi excedere, si absque legitima causa Ecclesias inferioribus Prælatis subditas eripiant ab eorum jurisdictione; vel si iidem, vel etiam Prælati beneficia suæ collationi aliàs reservata sibi ipsis retineant, vel conferant. Ita communis DD. Primum habetur *cap. Ad hæc 2. hoc tit.* Secundum verò extat *cap. Ad aures 3. hoc tit.*

4. Dico tertiò: excedunt quoque Episcopi, ac alii Prælati, si beneficia Ecclesiastica vacantia, vel Ecclesias conferant indignis: item si imperent aliquid contra privilegia Clericorum subditorum; & in casu talis excessûs Clericus subditus privilegiatus non tenetur parere Episcopo, vel alteri Prælato sic præcipienti. Ita communis DD. Et primum habetur *cap. Inter dilectos 11. hoc tit.* Secundum extat *cap. Sanè 5. hoc tit.* Unde si forsitan Prælatus Clericum subditum privilegiatum excommunicaret, eò quòd non paruerit suo imperio, talis excommunicatio non tenet; sed nulla censetur; utì constat ex *cap. Cùm ad quorumdam 7. hoc tit.*

5. Dico quartò: excedunt similiter Prælati, Episcopi, si dividant, vel uniant Episcopatus; quod solùm ad Summum Pontificem pertinet; aut si vigore decreti Conc. Tridentini *sess. 23. cap. 18. de Reform.* quô conceditur Episcopis applicare, & unire Seminario beneficia simplicia primò vacatura; velint unire illa, quæ in citato Decreto non continentur. Ita Vallens. &c. DD. Primum habetur *cap. Sicut 8. hoc tit.* Secundum constat ex declaratione Cardinalium, allegata à Vallensi, secundùm quam Episcopus in vim citati Decreti Tridentini non potest unire Seminario beneficia vacantia, per resignationem conditionalem, in favorem scilicet tertii, & non aliter; vel quæ sub reservatione pensionis; aut simili; vel quæ sunt Episcopalis collationis.

6. Dico quintò: pro Excessu etiam gravi reputatur, si Episcopus directè, vel indirectè præbeat ansam homicidio; & eô secutô efficitur irregularis, privandúsque est officiô Pontificali, & Sacerdotali, ac removendus ab administratione Episcopatûs. Exorbitat pariter gravissimè tum Episcopus, tum alius Prælatus, si adstringat Sacerdotem ad faciendas revelationes peccatorum, in confessione Sacramentali auditorum. Ita communis DD. Et primum habetur *cap. Ex literis 10. hoc tit.* Unde Episcopus tenens aliàs jurisdictionem temporalem, debet constituere Judicem sæcularem, pro tractandis causis criminalibus; nè si Episcopus ipse sese ingerat executioni pœnæ corporalis, puta occisioni Rei, vel ejusdem mutilationi, dictas pœnas *cit. cap.* statutas incurrat. Secundum habetur *cap. Dilectus 13. hoc tit.* Circa alterum articulum hujus cap.

7. Dico sextò: Episcopi, & Rectores Ecclesiarum, aliíque Clerici Cathedralium vel aliarum censentur excedere, si Religiosis viris quibusvis in sua Diœcesi, vel territorio habitantibus imponant aliqua ex quindecim gravaminibus registratis, *cap. Nimis iniqua 16. hoc tit.* & ex aliis triginta, relatis in Clement. *Frequens unic. hoc tit.* ac demùm, qui Fratres Minores, & Prædicatores molestant aliquô ex duodecim gravaminibus *cap. Nimis prava, 17. hoc tit.* adductis. Ita Hostiens. Glossa, Vallens. Pirh. &c. Et constat ex *cit. capit.* Decretalium, & Clementinæ, *hoc tit.* quæ consule ibid.

CAP. II.

De Excessibus inferiorum Prælatorum, & subditorum circa suos Prælatos.

1. DIco primò: Prælati Episcopô inferiores censentur Excessum committere, si uniant Ecclesias sibi subjectas sinè consensu Episcopi, aut Episcopalem Jurisdictionem habentis; quod facere nullatenus valent. Ita Engel, Pirh. & communis DD. Et constat ex *cap. Sicut 8. hoc tit.* Quod tamen intelligendum est, nisi Prælatus Episcopô inferior v.g. Abbas habeat Jus uniendi per aliquod speciale privilegium Apostolicum; vel legitimâ præscriptione; utì notat Abbas, Innoc. &c.

2. Dico secundò: excedunt quoque Prælati Episcopô inferiores, si judicialiter cognoscant

ſcant cauſas matrimoniales: item ſi Prælati præfati injungant publicas ſolennes pœnitentias; vel concedant Indulgentias; quod de Jure communi pertinet ad ſolos Epiſcopos; quamvis hujusmodi actus poſſint à Papa etiam alicui Prælato inferiori concedi. Ita Hoſtiens. Vallens. & communis DD. Et habetur *cap. Accedentibus 12. hoc tit.* Circa alterum articulum hujus cap.

3. Dico tertiò: excedere dicuntur ſubditi Clerici in ſuos Prælatos, ſi ipſi quà privati, & ſingulares ſinè Prælati, ſeu Superioris legitimi authoritate & conſenſu erigant collegium; aut uſurpent ſibi ſigilla, vel alia Jura collegiorum: item ſi violent interdicta ab iisdem Superioribus legitimè facta. Ita communis DD. Primum habetur *cap. Dilecta 14. hoc tit.* Secundum verò extat in *cap. Tanta 18. eod.*

4. Dico quartò: Excedunt præterea Clerici ſubditi, qui contra juramentum, ſeu homagium ſuo Prælato præſtitum, negant eundem eſſe ſuum Dominum; vel in cauſa ſpirituali ipſum trahunt ad ſæcularem Judicem, de eodem conquerendo ibidem; vel præbent conſilium adverſariis ejusdem contra ipſum. Ita communis DD. Et habetur *cap. Gravem 15. hoc tit.*

5. Dico quintò: Exceſſum quoque committunt prohibitum in Jure Vicarii Eccleſiarum, qui uſurpant ſibi perſonatum Eccleſiaſticum, contra fidem, & juramentum præſtitum: etiam excedunt graviter omnes tam Clerici, quàm Laici, qui peccata incontinentiæ, maximè quæ contra naturam ſunt, committunt; & demùm Clerici de ſuo crimine publicè gloriantes. Ita Hoſtiens. &c. DD. Primum habetur *cap. Illud 6. hoc tit.* Secundum ponitur *cap. Clerici 4. hoc tit.* Ubi Laici propter peccatum contra naturam perpetratum jubentur excommunicari. Clerici verò abjiciendi ſunt de ſtatu Clericali, aut in Monaſterium trudendi pro agenda pœnitentia. Tertium exſtat *cap. Quàm ſit, 9. eod.* ubi clariùs de commiſſo crimine glorians jubetur ſuſpendi.

TITULUS XXXII.

De novi Operis Nunciatione.

CAP. UNICUM.

De nunciatione novi operis.

1. NOta primò: inter exceſſus tam Prælatorum, quàm ſubditorum numerant quoque Canones ædificationes novorum operum, etiam piorum; ut Eccleſiarum, Capellarum, &c. quas fieri vetant iidem Canones, quatenus eæ ſunt præjudicioſæ aliquomodo vicinis; unde de ſimilibus proponitur à Papa *iſte tit.*

2. Dico primò: rectè deſcribitur novi operis nunciatio; quòd *ſit prohibitio ſolemnis proximo facta, nè is in alterius præjudicium ædificet novum opus; aut jam cœptum proſequatur, donec de jure ædificationis conſtiterit.* Ita Hoſtiens. Vallens. &c. Ly *prohibitio* eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia.

3. Nota ſecundò: nunciationem novi operis ſolùm fieri poſſe in illis operibus immobilibus, quæ ſolo conjuncta, aut conjungenda ſunt, fiúntque in eodem ſolo eo fine, ut fixa perſeverent; quare ſi quis meſſem colligat, aut arbores ſuccidat, ad hoc edictum nunciationis novi operis non ſpectat, *L. 1. §. hoc tit. autem edictum 2.* junct. Gloſſ. ver. *in ſolo ff. hoc tit.*

4. Nota tertiò: novum opus facere cenſetur, qui aut ædificando de novo, aut detrahendo immutat priſtinam faciem operis, *cit. L. 1.* Unde ſi quis opus olim conſtructum duntaxat fulciat; vel reparet; non dicitur novum opus facere, quod hôc edictô coërceri, & nunciari poſſet, *cit. L. 1.* Introducta eſt autem novi operis nunciatio ad conſervandum Jus noſtrum; vel ad avertendum damnum imminens ex fabricatione novi operis; vel ad avertendum Jus publicum, *cit. L. 1.*

5. Nota quartò: nunciationem novi operis poteſt facere inprimis is, cujus intereſt nunciare, ſeu dominus cui damnum imminet, *L. 1. §. pen. ff. hoc tit.* Deinde etiam emphyteuta, & feudatarius; imò & ſuperficiarius, *L. 3. §. Si ego ff. hoc tit.* Item creditor, cui prædium nomine hypothecario eſt ſubjectum, *L. creditori 9. hoc tit.* Item is, qui habet ſervitutem realem in fundo, in quo de novo fabricatur, *cit. L. 3. §. Si ego.* Non poteſt autem præfatam nunciationem facere adversùs dominum, ſeu proprietarium prædii is, qui habet ſervitutem merè perſonalem, ſi talis dominus aliquid attentet in eo fabricare, *cit. L. 1. §. fin.* Præterea poteſt etiam Procurator facere nunciationem prædictam nomine ſui principalis; dummodo

modò munitus sit speciali mandato ad hoc; uti notat ex Molina Pirh.

6. Nota quintò: nunciatio novi operis perfici potest tribus modis, scilicet vel simpliciter verbô, inhibendo nè opus tale faciat; vel authoritate Magistratûs, seu Prætoris per publicam personam; vel per jactum lapilli in ipsum opus, *L. de pupillo 5. §. 10. ff. hoc tit.* Cessat porro ejusmodi nunciatio sex modis, ita ut vim, & effectum non habeat. *Primò*, si nuncians remittat nunciationem factam ædificanti novum opus; uti constat ex *cap. 2. hoc tit.* *Secundò* cessat, si nuncians acceptet cautionem à denunciato de opere demoliendo, si constiterit ipsum jus ædificandi non habere, *cap. 3. hoc tit.* *Tertiò* cessat, si nuncians recuset jurare coram Judice de calumnia, *cit. L. 5. de pupillo.* *Quartò* cessat, quando periculum est in mora, ita ut dilatio ædificii cœpti, vel incipiendi causet probabiliter grave damnum; uti constat ex *cit. L. 5.* & habet Abbas, Gail. &c. *Quintò* cessat, si Prætor nunciationem novi operis revocet *L. si opus 16. ff. hoc tit.*

7. Nota sextò: effectus nunciationis novi operis est, quod eâ debitè factâ ædificans desistere debeat à cœpto opere; aliàs moles noviter ædificata, ex integro deinde demolienda erit expensis ipsius ædificantis; sive jure, sive absque jure moles talis facta sit, *cap. Cùm ex injuncto 2. hoc tit.* Et *L. 1. ff. hoc tit.* Unde nunciatio ista est quædam appellatio extrajudicialis, quâ pendente nihil attentandum est; uti notat Gail. & Vallens.

8. Nota septimò: nè autem contingat in nunciationibus intercedere malitiosam retardationem, Canones statuunt, ut nuncians novum opus probet intra tres menses, tale opus fieri cum præjudicio, & injuria sua, *cap. 1.* Et *ult. hoc tit.* His elapsis ædificans oblata priùs satisdatione de opere suis sumptibus demoliendo in casu, quô pronunciabitur injusta ejus ædificatio potest prosequi ædificationem novi operis, *cap. ult hoc tit.* Et *L. unic. C. eod.*

9. Dico secundò: nunciatio novi operis etiam institui potest, quando quis ædificat capellam in præjudicium Ecclesiæ baptismalis; quæ demolienda est, comperta veritate, expensis construentis. Ita communis DD. Et habetur *cap. Intelleximus 1. hoc tit.* Et in hoc conformat se Jus Canonicum Juri Civili dicens *cit. cap. quia verò sicut Leges non dedignantur SS. Canones imitari* (proùt habetur in Auth. *ut Clerici apud proprios Episcopos, &c. coll. 6.*) *ita & SS. Canonum statuta Principum constitutionibus adjuvantur; ideò mandat Papa quòd secundùm Legales Constitutiones debet demoliri*, scilicet Capella in præjudicium baptismalis Ecclesiæ constructa.

TITULUS XXXIII.

De Privilegiis; & Excessibus Privilegiatorum.

CAP. I.

De Quidditate, Divisione, Acquisitione, & Perditione Privilegiorum.

1. Nota primò: committuntur etiam excessus circa privilegia, quando nimirum vel nervus eorum elidit ur; vel favor in eis contentus cum abusu, & præjudicio extenditur; cùm tamen Privilegia non sint alteranda, sed integra, & illibata conservanda, excessúsque circa ea cavendus, *cap. Porro 7. hoc tit.* Unde Papa *hoc tit.* invehitur contra excessus solitos fieri circa Privilegia, ponendo varias resolutiones. Dicuntur autem *Privilegia* quasi *privatæ Leges, can. 3. dist. 3.* Nam Privilegia alicui particulari personæ, communitati, corpori, vel loco concedunt speciale ac singulare Jus; uti colligitur ex *cit. can. 3.* Et *cap. Abbate de V. S.* Unde

2. Dico primò: rectè describitur Privilegium, quòd *sit constitutio Principis, specialem favorem concedens certæ personæ, communitati, loco, vel muneri, contra, vel ultra Jus commune.* Deducitur ex *cit. can. 3.* Ly *Constitutio* est genus; reliqua ponuntur pro differentia. Venit autem hìc nomine Privilegii sic descripti, omne Rescriptum, Indultum, Bulla, Breve, Diploma, ac alia Scriptura, solemniter à Principe expedita, & favorem particularem continens, contra, vel ultra Jus commune; uti notat Zoës. Circa divisionem Privilegii

3. Nota secundò: Privilegium variè dividitur. *Primò* aliud est clausum in Corpore Juris; aliud datum per speciale rescriptum. *Primum* est, quod inter cæteras Leges Corpori Juris insertum est; talia sunt Privilegia Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum, quæ extant passim tam in Corpore Juris Canonici, quàm etiam Civilis in *tit. C. de SS. Ecclesiis.* Et *C. de Episcopis, & Clericis.* *Secundum* est, quod extra corpus Juris certæ alicui personæ, communitati, vel loco per speciales Litteras, Diploma, vel Bullam concessum est; ùt notat Engel.

4. Nota

4. Nota tertiò: præterea *secundò* dividitur in reale, & personale. *L. Privilegia ff. de R. J.* *Privilegium Reale* est, quod directè & principaliter conceditur alicui rei, loco, muneri, vel dignitati; tale est Privilegium concessum Monasterio, vel prædio, vel Ecclesiæ, vel dignitati Episcopali. *Personale* est, quod directè, & principaliter conceditur personæ: & propterea tale etiam dicitur sequi personam, & cum persona extingui, *cap. Privilegium, de R. J. in 6.* *Tertiò* partitur Privilegium in generale, & speciale. *Primum* est, quod conceditur omnibus personis talis communitatis. *Secundum* quod conceditur tantùm uni, vel quibusdam de tali corpore, vel communitate. *Quartò* dividitur in merè gratiosum, & remuneratorium. *Merè gratiosum* est, quod datur sinè ullo respectu ad aliqua merita. *Remuneratorium est*, quod datur cum respectu ad merita; talia sunt pleraque Privilegia Regularibus data à Summis Pontificibus ob præclara eorum merita in prædicatione, conversione Infidelium, defensione Ecclesiæ per literaturam, &c.

5. Nota quartò: rursùs *quintò* Privilegium aliud est perpetuum, aliud temporale. *Perpetuum* dicitur illud, quod datur absque ulla limitatione temporis; tale est concessum dignitati, aut Sedi Episcopali; vel Ordini Religioso. *Temporale* dicitur illud, quod datur cum aliqua determinatione temporis v. g. ad decennium. *Sextò* aliud præterea est contra Jus. *Privilegium contra Jus* dicitur illud, quod derogat Juri communi; tale est exemptio Regularium à Jurisdictione Ordinarii. *Ultra Jus* est quod concedit favores peculiares in Jure non expressas; talia sunt amplæ facultates absolvendi, dispensandi, &c. à Summis Pontificibus concessæ Regularibus. *Septimò* tandem dantur Privilegia quædam concessa ad preces; & quædam data motu proprio. *Prima* dantur ad supplicationem certarum personarum. *Secunda* absque ulla supplicatione conceduntur: Plures alias divisiones vide in *Schola mea Theologica, tom. 3. tract. de Privileg.* & Laym. ac alios DD. Circa acquisitionem Privilegii.

6. Nota quintò: Privilegia tribus modis acquiruntur. *Primò*, actuali concessione Principis privilegiantis certam aliquam personam, communitatem, vel locum. *Secundò* per communicationem, quando videlicet Princeps Privilegium uni concessum, etiam extendit ad alterum. Hôc modô Summus Pontifex Clemens VII. Privilegia concessa variis Religionibus, communicavit quoque, & extendit ad tres Ordines S. Francisci; ùt videre est in Bulla 2. ejusdem. *Tertiò* acquiritur Privilegium consuetudine, vel præscriptione, præsertim illâ, cujus principium excedit memoriam hominum, quæ communiter ipsi Privilegio æquiparatur; uti constat ex text. & DD. in *cap. Novit, de judic.* Et in *cap. Super quibusdam, de V. S.* Circa amissionem Privilegii

7. Nota sextò: pluribus modis amittitur, & interit Privilegium. *Primò* per interitum vel personæ privilegiatæ, *cap. 7. hoc tit.* Vel per interitum rei privilegiatæ; ùt habet Engel. Si tamen domus v.g. privilegiata per ruinam, vel bellum, vel alium casum corruat, conservantur ejus Privilegia, & reviviscunt, si denuò reficiatur, *L. ædes sacra ff. de contrah. empt.* Per mortem autem concedentis Privilegium non amittitur: nam gratia semel obtenta non cessat per mortem concedentis, *cap. Si super gratia, de offic. deleg. in 6.* *Secundò*, amittitur Privilegium per lapsum temporis, ad quod fuit restrictum; vel cessationem conditionis, cui fuit subjectum. Primum habetur *cap. 4. de offic. deleg.* Secundum patet; quia conditio continet in se tempus, quâ proinde cessante, censetur & Privilegium cessare. *Tertiò* amittitur per abusum privilegiati; si nimirum is occasione Privilegii delinquat; v.g. si quis spe imunitatis in Ecclesia comittat crimen, *cap. ult. de immun. Eccles.* Et *can. ubi, dist. 74.*

8. Nota septimò: Præterea *quartò*, amittitur Privilegium cessante causâ finali ejus, quæ est causa principalis concessionis talis Privilegii, à qua ita dependet tum in fieri, tum in conservari, ut eâ cessante & ipsum cessare oporteat; cùm tunc careat fundamentô, *cap. cessante, de appell.* *Quintò*, si Privilegium incipiat cedere in grave aliorum, vel communitatis detrimentum, censetur cessare; vel saltèm revocari potest per sententiam concedentis, *cap. Suggestum, de decim.* Et *cap. penult. de Cler. non resid.* *Sextò* quoque cessat Privilegium per renunciationem expressam ejusdem; id est voluntariam abdicationem Juris sibi concessi: nam quivis potest renunciare favori pro se introducto, *L. pen. C. de pact.* Quod intelligendum est, si Privilegium personalem favorem contineat; non verò si communem alicujus corporis, vel publicum Ordinis Religiosi, vel Clericalis; nam tali privata persona privilegiata renunciare nequit, v. g. Privilegio Fori, & Canonis, in favorem totius Ordinis Clericalis introducto, *cap. Si diligenti, de foro*

foro comp. Et *cap. Contingit de sent. excommun.*

9. Nota octavò: rursùs amittitur Privilegium *septimò* per renunciationem tacitam; quæ Juris interpretatione censetur fieri per non usum Privilegii; vel per usum contrarium; utì tenent communiter DD. Sed altercantur inter se de tempore, & numero actuum; quantum scilicet tempus, & quot actus requirantur, ut censeatur Privilegium interire per non usum, vel contrarium usum: quæ altercatio oritur ex varietate textuum utriusque Juris. Probabiliorem censeo opinionem Glossæ dicentis in *cap. Accedentibus hoc tit.* quod Privilegia perdantur eodem tempore, quô præscribitur contra Jus commune; nam cùm Privilegium sit quædam lex privata, conveniátque cum Jure communi Ecclesiastico in causa efficiente, materiali, & etiam formali majori ex parte; meritò sentiendum est, ut cum eodem etiam conveniat in tempore sui interitûs, puta vel 30. vel 40. annorum; vel immemorabili tempore, juxta varias opiniones. Quoad numerum actuum contrarii usûs dici potest, quod Privilegium semel receptum, & usitatum censeatur per usum contrarium amitti tunc, si per annos 40. actus tali Privilegio contrarii continuentur, quo tempore præscribitur contra Legem Ecclesiasticam aliquando in usu positam. Privilegium verò nunquam in usum positum perdatur, si per 10. annos actus ipsi contrarii ponantur, quo tempore præscribitur contra Legem Ecclesiasticam, nunquam usu receptam.

CAP. II.

Variæ Resolutiones circa Privilegia.

1. DIco primò: ad valorem, & effectum Privilegii non requiritur necessariò, ut sit scriptum; sed sufficit voluntas Principis sufficienter declarata vivæ vocis oraculô, vel aliter, quòd is Privilegium tale concedat. Ita Glossa, Azor. Sylvest. &c. Et constat ex *can. institutionis 7. caus. 25. q. 2.* Et Clement. *Dudum 2. §. nos etenim &c.* Et *Extrav. ult. post initium.* Expediens tamen est, ut Privilegium scriptô conficiatur, ad ejusdem majorem firmitatem, & probationem, *can. 7. cit.* Et jam Stylus Curiæ Romanæ obtinuit, & habetur in Regulis Cancellariæ Apostolicæ, quòd Gratiæ omnes per literas expediri debeant; & ante earum ejusmodi expeditionem vocentur *informes*; ac nulli suffragentur dispensationes in judicio, vel extra, antequam super iis Literæ Apostolicæ sint confectæ.

2. Dico secundò: omnis, & solus ille potest concedere Privilegium, qui pollet potestate legislativa; cujusmodi sunt Summus Pontifex, Imperator, Reges, & Supremi Principes; item etiam Prælati Papâ inferiores pro sua ditione, & contra Leges à se conditas, vel indifferentes; non verò contra Jus commune. Ita Sylv. Suar. & communis DD. Ratio est; quia Privilegium est quædam Lex privata: adeóque omnis, & solus ille potest tale concedere, qui pollet potestate legislativâ.

3. Dico tertiò: Privilegia concessa contra Jus commune strictè sunt interpretanda, & potiùs restringenda; quàm extendenda: similiter si cedant in præjudicium tertii: si autem sint concessa ultra Jus commune, & meram gratiam contineant, latè sunt interpretanda. Ita Glossa, Pirh. &c. Primum patet ex illa Regula 15. Juris in 6. *Odia sunt restringenda.* Et alia 28. *ibid.* Et ex *cap. Cùm dilectus 8.* & ibi Glossa ver. *Juri communi, de consuet.* Estque Ratio; quia sicut bonum commune est præferendum bono particulari; ita & Jus commune Juri particulari, quale est Privilegium quando agitur de ejus interpretatione. Ratio secundi est; quia Princeps privilegians non censetur velle alteri auferre suum Jus; nisi id clarè exprimat; quare meritò Privilegium cum præjudicio tertii datum, strictè interpretandum est. Tertium constat ex illa Regula 15. Juris in 6. *favores convenit ampliare.* Et ex *cap. Olim 16. de V. S.* ubi dicitur, quòd *beneficia Principum sint interpretanda latissimè.* Regulas autem speciales ritè interpretandi Privilegia vide *tom. 1. hujus oper. in prol. tit. 4. cap. 1. & 2. positas.* Et apud Sylv.

4. Dico quartò: in Privilegio personali nequit fieri ulla extensio de persona Privilegiata ad aliam in Privilegio non expressam; nec de casu in casum; vel de actu in actum. Ita Glossa, Hostiens. & cæteri Doctores. Et constat ex *cap. Sanè 9. hoc tit.* Estque Ratio; quia quod uni singillatim conceditur, non statim omnibus convenit *can. hinc est 39. caus. 16. q. 1.* Et quia Privilegium est Jus singulare, & sequitur personam, ac cum eadem extinguitur, *cap. Privilegium, 7. de R. J. in 6.* Et procedit dicta doctrina, quòd Privilegium non possit extendi ad personas, loca, & actus, etsi adsit similitudo rationis; utì habet Suar. Cùm Privilegii efficacia non consistat omnino in ratione; sed & voluntate Principis.

5. Dico

5. Dico quintò; quando Privilegia innovantur, vel confirmantur in forma communi, nihil Juris novi per hoc attribuitur privilegiato: quando verò innovantur ex certa scientia, scilicet cum perfecta notitia illius, & tenoris ejus, ac omnium circumstantiarum, tunc novum Jus acquiritur privilegiato, ita ut ex invalido fiat validum; adeoque Privilegium etiam amissum revocetur in pristinum statum. Ita Barbos. Suar. Pirh. &c. Primum habetur *cap. Quia intentionis 29. hoc tit.* Ratio secundi est; quia renovatio facta ex certa scientia habet vim novæ concessionis.

6. Nota primò; si contingat instrumentum Privilegij deperdi, & propterea petatur ejus renovatio; tunc priùs tria probanda sunt; primò quòd illud instrumentum Privilegij aliquando extiterit: Secundò, quòd talis fuerit ejus tenor, qualis fuisse asseritur à privilegiato: tertiò quòd idem instrumentum caruerit omni vitio, *cap. Cùm olim 12. hoc tit.* Et stante petitione de obtinenda renovatiòne dicti Privilegij, potest pars adversa, cujus interest, se opponere, & impedire innovationem ejusdem Privilegij, si probet de Jure suo, *cit. cap. 12.*

7. Dico sextò: Privilegium tunc demum sortitur suum effectum, ac Jus confert privilegiato, postquam ad ejus notitiam pervenerit, & ipse illud acceptavit, saltèm per Procuratorem, vel epistolam. Ita Glossa, Laym. &c. Et constat ex *cap. 1. §. ex parte de concess. preb. in 6.* Et ex *cap. Si tibi 17. eod.*

8. Dico septimò: nullus privilegiatus obligatur ad usum sui Privilegij; sed potest illi renunciare. Ita communis DD. Et constat ex *cap. si de terra 6. in fine hoc tit.* ubi habentur sequentia ad propositum, *cùm liberum sit unicuique suo Juri renunciare.* Estque Ratio; quia quod concessum est in favorem, non debet in ejus cedere gravamen, uti habet *reg. 61. de reg. Jur. in 6.*

9. Dico octavò: ex eo, quod aliquæ Ecclesiæ solvant Papæ annuum censum, non probatur sufficienter Privilegium exemptionis earundem à jurisdictione Ordinarij; nisi appareat quòd talem censum solvant in signum immediatæ subjectionis, ac perceptæ libertatis. Ita Abbas, Glossa, &c. Et constat ex *cap. Recepimus 8 hoc tit.* Estque Ratio; quia solutio censûs annui potest etiam significare alia, quàm exemptionem à jurisdictione Ordinarij, puta specialem protectionem Papalem, absq; ulla exemptione à jurisdictione Ordinarij.

10. Dico nonò: similiter Privilegium à Papa concessum alicui monasterio, ut fructus Ecclesiæ sibi subjectæ in suos usus possit convertere, non probat illam Ecclesiam esse exemptam à Jurisdictione Ordinarij. Ita communis DD. Et habetur *cap. Pastoralis 19. hoc tit.* Estque Ratio; quia Papa concedendo aliquod Privilegium non censetur velle derogare Juri Ordinariorum; nisi id exprimat, uti liquet ex *cit. cap. 19.* Et quia Papalia Privilegia semper censentur esse concessa absque gravamine tertij; utì notat Glossa.

11. Dico decimò: qui per Privilegium Apostolicum est exemptus à jurisdictione Ordinarij respectu unius loci, v. g. Capellæ Regiæ; non censetur esse exemptus respectu alterius, v. g. Parochiæ, quam ab Ordinario habet. Ita communis DD. Et habetur *cap. cum Capella 16. hoc tit.*

12. Dico undecimò: si contingat aliquod Monasterium obtinere à Papa Privilegium exemptionis ab Ordinario, non propterea censentur etiam exemptæ Capellæ ipsi subjectæ; nisi specialiter hoc exprimatur in Privilegio. Ita communis DD. Et statuitur in *cap. Ex ore 17. hoc tit.* Quare Episcopus in ejusmodi Capellis retinet omnia Jura Episcopalia, enumerata *cap. conquerente 16. de Offic. Jud. Ordin.*

13. Dico duodecimò: exemptâ tamen per Privilegium Papale aliquâ Ecclesiâ collegiatâ, vel conventuali, censentur etiam exempti Canonici, Monachi, & alij Ministri; & à fortiori ipse Abbas, seu Prælatus Ecclesiæ. Ita communis DD. Et statuitur *cap. Per exemptionem 9. hoc tit.* Et *arg. can. Scire 7. caus. 7. q. 1.*

14. Dico decimotertiò: personæ per Papalia Privilegia exemptæ à jurisdictione Ordinariorum, possunt nihilominus ratione delicti, contractûs, aut rei, de qua contra ipsos agitur, conveniri coram ijsdem Ordinarijs, si delictum sit factum, vel contractus celebratus in loco non exempto; & res litigiosa non sit exempta: personæ verò exemptæ per Privilegia Apostolica specialia etiam ratione delicti commissi, contractûs initi, aut rei sitæ extra locum exemptum, cujusmodi sunt plerique Regulares, nequeunt conveniri coram Ordinarijs. Ita Glossa Fagn. &c. Primum constat ex *cap. Volentes.* Secundum patet; quia aliàs tale Privilegium speciale exemptionis nihil operaretur.

15. Dico decimoquartò: potest quis duplici Privilegio exemptionis, uno scilicet Papali, altero Episcopali uti ad se defendendum. Ita Glossa, & communis DD. Et constat ex *cap. Cùm olim 14. hoc tit.* Estque Ratio; quia nemo prohibetur pluribus defensionibus uti, juxta *reg. Juris 20. in 6.*

16. Dico

16. Dico decimo quintò: Si quis Episcopus concedat alicui Monasterio Privilegium immunitatis à solvendis decimis, simpliciter, & indefinitè remittendo Decimas Episcopales, id est Quartam Canonicam, de Jure communi aliàs solvendam Episcopo ex decimis inferiorum Ecclesiarum, intelligitur tale Privilegium comprehendere remissionem non solùm præsentium, & præteritarum; sed & futurarum; & extenditur quoque ad Decimas prædiorum postea emendorum. Ita Glossa Barbos. &c. Et constat ex *cap. Quia circa 22. hoc tit.* Estque Ratio; quia dispositio indefinita æquipollet universali *can. 1. dist. 19.* Et *L. Si servitus 23. de servit. urb. præd.*

17. Dico decimo sextò: Regulares aliqui, qui interdicto causam non dederunt, habent Privilegium in una Ecclesia illius loci, qui interdicto generali subjacet, semel in anno celebrandi Divina; exclusis excommunicatis, & interdictis; idem quoque censetur concessum Episcopis. Ita communis DD. Primum constat ex *cap. Ut Privilegia 24. hoc tit.* Secundum statutum est *cap. Nonnullis 25. hoc tit.* Et Divinis memoratorum Privilegiatorum tunc interesse non possunt extranei; nisi & hi speciale Privilegium haberent, quòd possint audire Divina in locis interdictis, *cap. Licet 11. hoc tit. in 6.* Bene tamen familiares dictorum Privilegiatorum, si Privilegium ipsis concessum, fuerit speciale, *cit. cap. 11.*

18. Dico decimoseptimò: quando aliqui Regulares obtinent Privilegium tempore interdicti generalis liberè sepeliendi suos Fratres, id quoque extenditur ad illos Confratres, qui Fraternitati eorum fuerunt adscripti, & oblati Ordini, ita ut per habitum aliquomodo distinguantur ab habitu sæcularium; licèt adhuc in domo sæculari morentur. Ita Glossa &c. Et habetur *cap. Ut Privilegia 24. hoc tit.*

19. Dico decimo octavò: Privilegium celebrandi super altare portatile habent Episcopus, Archi-Episcopus, & his superiores; item Minores, & Prædicatores ubique: ac demum Jesuitæ in Missionibus. Primum habetur in *cap. Quoniam 12. & ult. hoc tit. in 6.* Secundum extat in *cap. In his 30. hoc tit.* Quod Privilegium non esse revocatum per Tridentinum ostendit Rodriqu. Brugn. &c. saltem non contradicente Episcopo, ut notat Portel. Et de hoc vide, quæ dico *tom. 3. Scholæ Theologicæ tract. de Sacram. dist. 5. q 6.* Tertium patet ex Brevi Apostolico, concesso Societati JESU à Gregorio XIII. edito an. 1569. die 1. Octob. uti refert Pirh.

20. Nota secundò: in *hoc tit.* præterea afferri diversa Privilegia, concessa varijs personis: sic *primò* studentibus in studio generali Romanæ Curiæ conceduntur omnia Privilegia, immunitates, & libertates, quibus gaudent studentes in alijs Universitatibus; ita ut si Clerici sint, integrè percipiant fructus suorum beneficiorum, ac si in eis residerent, *cap. Cùm de diversis 2. hoc tit. in 6. secundò* Patriarchis quatuor principalium Sedium Patriarchalium datur Privilegium, quòd quascunque alias Sedes post Romanam præcedant; & inter se primum locum obtinet Patriarcha Constantinopolitanus; secundum Alexandrinus; tertium Antiochenus; quartum Jerosolymitanus. Item quòd ijdem suis Suffraganeis dare possint Pallium, recipientes pro se ac Romana Ecclesia juramentum fidelitatis, obedientiæ, ac reverentiæ. Item quòd ubique terrarum possint sibi curare præferri Crucem; præterquam Romæ; & si Papa, vel ejus Legatus à latere adesset. Item quòd ad eos ab Archi-Episcopis possit appellari, *cap. Antiqua 23. hoc tit. Tertiò*: Archi-Episcopis pariter conceditur Privilegium, quòd & ipsi in cunctis locis suæ Provinciæ sibi possint curare præferri Crucem; populo benedicere, Divina Officia publicè, vel privatim audire, & ea etiam in Pontificalibus celebrare cum pallio, & facere in sua præsentia celebrari, absque licentia Prælati localis, etiam exempti, *cap. Archi-Episcopo* Et Clement. *2. hoc tit. Quartò* Prælatis Episcopis inferioribus ùt Abbatibus potest à Papa concedi Privilegium usûs mitræ, ac aliorum Pontificalium; nec non potestas benedicendi solenniter populum dicendo, *sit nomen Domini benedictum &c.* uti constat ex *cap. ut Apostolicæ 6. hoc tit. in 6.* Et *cap. Abbates 3. eod.*

CAP. III.

De excessibus Privilegiatorum.

1. NOta primò: per excessum Privilegiatorum hìc intelligi abusum Privilegiorum; qui Jure Canonico est prohibitus; quia sicut Privilegia concessa non debent ab aliquo violari, *cap. Quando 26. hoc tit.* Nec malignâ interpretatione ita restringi, ut evadant privilegiatis planè inutilia *cap. In his 30. hoc tit.* Ita pariter ipsi Privilegiati non debent pravâ interpretatione sua Privilegia contra & præter mentem Principis ea concedentis in præjudicium alterius extendere & producere; aut sub eorum prætextu aliqua operari, quæ fieri prohibentur; uti notat

notat Vallens. & communiter alij DD. hic. Et si simile quid agant, excedere dicuntur; quod varie contingere potest. Unde

2. Dico primò: censetur excessus, & abusus Privilegij, si Religiosus sub prætextu Privilegij Laico, vel Clerico non subdito sinè licentia Parochi ministret Extremam Unctionem, vel Eucharistiam per modum Viatici; vel Matrimonio assistat. Ita communis DD. Et habetur in Clement. *Religiosi 1. hoc tit.* Possunt tamen Religiosi Extremam Unctionem & Viaticum citra ullum excessum ministrare suis familiaribus, seu domesticis, *cit.* Clem. *§. fin.*

3. Nota secundò: reputatur hic quoque pro excessu, si Privilegiati Religiosi sepeliant excommunicatos in suis Cœmeterijs, *cap. Ad hæc 5. hoc tit.* Item si in privatis suis oratorijs existentibus intra domos Regulares habeant campanas, easque publicè pulsent, *cap. Patentibus 10. eod. tit.* Item si Hospitalarij, vel alij similes Religiosi mittant laicos illiteratos, Cruce tamen fictè signatos ad colligendas eleemosynas; vel celebrent in Ecclesia polluta; vel suspensos ab Episcopo restituant ad celebrationem Divinorum; vel erigant Capellas in locis non exemptis, sinè licentia Ordinarij, *cap. Tuarum 11. hoc tit.* Item si Privilegiati celebrent in locis interdictis, nisi secundùm permissionem Juris, de quo supra; vel si excommunicatos, aut interdictos admittant ad Divina Officia, Sacramenta, vel sepulturam, *cap. Episcoporum 8. hoc tit.* Item qui novas Religiones sinè licentia Papæ instituunt, *cap. Cùm & plantare 3. hoc tit.* Item qui Ecclesias alias jam Episcopo subjectas; vel decimas recipiunt de manibus laicorum, sinè consensu Episcopi, *cit. cap. 3.* Item qui excommunicatos, vel interdictos ab Ordinario non vitant, *cit. cap. 3.* Item qui in suis Ecclesijs, quæ ad eos pleno Jure non pertinent, Presbyteros inconsulto Ordinario instituunt, vel destituunt, *cit. cap. 3.* Item Religiosi qui confratres suos, necdum in totum Ordini suo subjectos, eximunt à Jurisdictione Ordinarij *cap. cit. 3.*

4. Nota tertiò: omnes Privilegiati, qui quoquo modo excessus committunt abutendo suis Privilegijs, excedendo eorum fines, merentur eadem amittere; cùm abutantur, permissâ sibi potestate, *cap. Ut Privilegia 24. hoc tit.* Privilegiati quoque, qui excedunt aliorum Privilegijs derogando, proprijs suis, privandi sunt *cap. Dilecti 4. hoc tit.* Demum violantes Privilegia Privilegiatorum arbitrariè à Papa corripiuntur per censuras, vel aliter; uti colligitur ex *cap. Quanto amplius 26. hoc tit.* Violantes autem Privilegia Regularium determinatis pœnis *sequenti cap.* recensendis castigantur. Unde sit

CAP. IV.

De Privilegijs Ordinis Seraphici.

1. NOta primò: Ordini FF. Minorum à diversis Summis Pontificibus fuisse plurima Privilegia, & gratias Apostolicas in forma authentica concessas, justissimis de causis; scilicet *primò* propter statum professionis suæ Minoriticæ, indissolubili vinculô DEO, & S. Sedi Apostolicæ consecratum: item propter eorum virtutes, capacitatem, & indefessum laborem pro defendenda Ecclesia, & Papæ authoritate: item in peccatoribus, hæreticis & Infidelibus convertendis cum vitæ periculo, morte: item in Fidelibus, adhuc superfluis conservandis. *Secundò* propter promptam, & expeditam eorum obedientiam in exequendis Summorum Pontificum mandatis, in partibus Catholicorum, & Hæreticorum; in profectione ad longinquas partes Orbis Novi, & aliorum Regnorum, propter animarum salutem, Ecclesiæ dilatationem, & Fidei Catholicæ plantationem. *Tertiò* propter eximiam eorundem Regularium Sanctitatem, & Scientiam, ex quibus tot sancti Doctores, Episcopi, Patriarchæ, Cardinales, & Summi Pontifices prodière, cum magno Ecclesiæ incremento. *Quartò* propter maximos labores præstitos in administrandis Sacramentis, maximè Pœnitentiæ, quod nostris Regularibus, in eorum locis, plurimùm incumbit.

2. Nota secundò: Privilegia porrò concessa præfato Ordini Seraphico referuntur in specie à pluribus AA. ejusdem Ordinis, & alijs: signanter ab Alphonso de Casarubios, *in compend. Privilegior. FF. Minorum.* Et ab Hieronymo à Sorbo *in additio. ad dictum Compendium Privil.* Et ab Antonio de Corduba *in simil. addit.* Et ab Emmanuele Roderico *in quæst. regular.* Et à D. Joanne Bapt. Confettio Protonotario Apostolico *in collect. Litterar. Apostol. Ord. Mendic. &c.* Et à Joanne de la Cruz *in tract. de stat. Relig. & Privileg.*

3. Nota tertiò: inter Bullas Apostolicas, concedentes Ordini FF. Minorum Privilegia, celeberrimæ sunt *Mare Magnum Sixti IV.* sic dictum, eò quòd ingentem copiam Privilegiorum Apostolicorum contineat; & *Bulla Aurea ejusdem Sixti IV.* quarum Synopsim vide in

de in *cit. collect.* Confettij: alia quoque plurima Indulta, & gratiæ Apostolicæ extant in Bullis aliorum Pontificum, recitatis à *citatis* AA. & relatis à me *in Schola Theologica tom. 3. tract. de Privil. Regular. per totum.* Præfata Privilegia FF. Min. etiam post Tridentinum Concilium sunt valida, manentque in suo vigore; ijs exceptis, quæ Decretis, & Canonibus ejusdem S. Concilij contrariantur; uti patet ex Brevi Clementis VIII. anno 1597. emanato. Et ex Bulla speciali Pauli V. quâ post Tridentinum *anno 1609. die 1. Decembris* omnia Privilegia, indulta, gratias, prærogativas, concessiones, libertates, favoresque à Summis Pontificibus Ordini nostro & Clarissarum, ac Tertiariorum concessa in genere, vel in specie, etiam per modum communicationis, perpetuò approbavit, innovavit, ac confirmavit: Bullam hanc singulariter notandam, refert per extensum Lantusca in *theat. Reg.* verbo *Privilegia.*

4. Nota quartò: Ordo Fratrum Minorum communicat, & participat plenissimè in Privilegijs aliorum Ordinum Mendicantium; & non Mendicantium; uti constat ex Bulla 2. Clementis VII. quæ deinde etiam confirmata fuit à Paulo IV. Et à Pio IV. Et à Gregorio XIII. Et à Sixto V. &c. Omnes Moniales S. Claræ, & Tertiariæ claustraliter viventes, subditæ Minoritis; item etiam aliæ Moniales, modò subditæ eisdem, gaudent Privilegijs Fratrum Minorum; uti habet Rodriqu. *tom. 1. quæst. Reg. q. 55.* ubi ad hoc plures affert Bullas. Imò & Sorores oblatæ, ac utriusque sexûs personæ de pœnitentia nuncupatæ, quæ votô continentiæ emisso vivunt sub directione Ordinis Min. quantum capacitas earum permittit, ex Bulla Leonis X. *Datum per nos &c.*

5. Nota quintò: Privilegia Minoritica, uti & aliorum Regularium, non censentur revocari per generalem revocationem Privilegiorum, quamvis in ea apponantur similia verba, *Privilegijs in contrarium penitus abrogatis, & exclusis;* uti habet Brugn. Oldradus, S. Thomas, Jason, Rodriq. Mendos. Germ. Et constat ex Mari Magno Sixti IV. Et Bulla Sixti V. Eugenij IV. Et Leonis X. pro Benedictinis emanata (in qua communicant Minores) dicente, *quòd non possit derogari ipsorum Privilegijs, nisi de ipsorum Ordine, & hujusmodi litteris fiat de verbo ad verbum expressa mentio.* Estque Ratio; quia hujusmodi Privilegia sortiuntur quandam excellentiam, ob quam expressior generalis requiritur revocatio. Et quia dicta Privilegia data sunt ob merita, suntque gratiæ Summi Principis Ecclesiæ, in bonum Communitatis Seraphicæ concessæ; ac proinde æquantur Legibus, quæ Corpori Juris inferuntur, sicut aliæ leges perpetuæ; ad quarum proinde extinctionem specialis clausula revocatoria adhibenda est.

6. Nota sextò: Superiores Ordinis nostri, & Capitula generalia habentia delegatam authoritatem Apostolicam specialem, possunt limitare, vel omnino tollere à Fratribus usum aliquorum Privilegiorum Apostolicorum; uti notat Brugn. Et constat ex concessione Leonis X. Unde sæpiùs renunciatum fuit in Capitulis Generalibus, quibusvis Privilegijs relaxativis Regulæ, à Sede Apostolica emanatis, utique ad instantiam aliquorum Fratrum laxorum. Plura de Privilegijs varijs Seraphicis in specie, vide *in Schola mea Theologica supra cit.* Et in diversis capitulis, in calce variorum titul. hujus Operis pro eorundem exigentia additis, in gratiam studiosæ juventutis Franciscanæ.

TITULUS XXXIV.

De Purgatione Canonica.

CAP. UNIC.

De Canonica Purgatione.

1. NOta primò: postquam Summus Pontifex in *superior. titulis* digessit varia crimina, quæ nonnunquam plenis probationibus ostendi nequeunt; ideo *hunc tit.* subjicit, quô docet compellendos criminosos ad faciendam debitam Purgationem; quæ duplex est, Canonica scilicet, & Vulgaris: de prima tractabitur *hoc tit.* de secunda *tit. seq.*

2. Dico primò: rectè describitur Purgatio Canonica, quòd *sit ostensio innocentiæ de objecto crimine, facta secundùm præscriptum Canonum.* Ly *ostensio* est genus; reliqua ponuntur pro differentia. Hæc Purgatio dicitur *Canonica;* quia à Canonibus introducta: & pro magna parte jam abijt in desuetudinem, & quoad solos Clericos adhuc in quibusdam viget Provincijs; uti testatur Ricc. Quare de eadem breviter hìc disserendum judico.

3. Nota secundò: Purgatio Canonica ut ritè censeatur fieri, debent adesse sequentia.

Primò,

Primò, debet eâ fieri, seu indici à Judice competente; aliàs est nulla, arg. *cap. Licet 5. de Offic. Leg.* Secundò, Reus tactis SS. Evangelijs debet jurare, se objectum crimen non commisisse nec per se, nec per alium submissum; nec aliquem suo nomine se sciente id perpetrâsse, *cap. Quoties 5. hoc tit.* Tertiò, præterea idem Reus debet adhibere certos compurgatores; aliquando duodecim, aliquando decem, aliquando septem, aliquando plures, vel pauciores, juxta arbitrium Judicis; uti constat ex *cap. 8.* Et *10. hoc tit.* Et *varijs Canonibus cauf. 2.* Memorati verò compurgatores debent quoque tactis Evangelijs jurare, se credere, quòd Reus objectum crimen non perpetraverit; & eundem verum jurâsse, *cit. cap. 5.* Unde juramentum talium non est de veritate; sed de credulitate, *cap. De testibus 13. hoc tit.*

4. Nota tertiò: porrò compurgatores ùt legitimi sint, debent habere sequentes qualitates; oportet enim eos esse vitæ probatæ, & honestæ, ac vicinos, *cap. Cùm dilectus 11. hoc tit.* Et *cap. cum P. 75. eod.* aut saltèm de nullo crimine condemnatos, vel suspectos, *cap. Constitutus 9. hoc tit.* Et notam habere vitam & mores talis purgandi, *cit. cap. 7.*

5. Nota quartò: si diffamatus de aliquo crimine defecerit in Purgatione Canonica; puta vel quia jurare recusat; vel quia non reperit cómpurgatores; talis tanquam convictus de crimine, auctorq; sceleris puniendus est, *cap. De hoc 11.* Et *cap. Insinuatum 13. de Simonia.* Unde si crimen tale sit, quod depositionem mereatur, tunc ei pœna depositionis infligenda est, *cap. Cum P. 7. hoc tit.* Ratio est; quia præsumptio probabilis orta ex infamia tunc transit in violentam, quæ sufficit ad condemnationem, *cap. 2. de præsumpt.*

6. Nota quintò: Purgatio Canonica ritè peracta habet effectum absolutionis à crimine, ita ut canonicè se purgans absolvendus sit à suspensione si præcessit; & ab infamia criminis objecti, *can. habet 6. cauf. 2. q. 5.* Et canonicè se purgans non potest ampliùs accusari de eodem crimine; nisi nova infamia ejusdem criminis suboriatur.

7. Nota sextò: Purgatio Canonica non passim indici debet ob quamcunque levem causam; sed si quis publicè infamatus sit de crimine apud bonos, & graves viros, *cap. penult. §. fin. hoc tit.* Non debet indici alicui, si is possit convinci per idoneos accusatores, vel testes, vel alias legitimas probationes plenè probantes, *cap. 2.* Et *cap. 5.* Et *cap. 6.* Et *cap. 8. hoc tit.* Nam ista Purgatio est introducta à Canonibus in subsidium aliarum probationum. Item indici non debet, nisi adsint verisimiles suscipiones, vel præsumptiones criminis; uti constat ex *cap. 4.* Et *12. hoc tit.* Item quando crimen est notorium, non potest, nec debet indici ista Purgatio, *cap. Cum dilectis 15. hoc tit.* Nam tunc non est opus aliâ probatione, *can. manifesta 15. cauf. 2. q. 1.* Et *cap. Evidentia 9. de accusat.* Potest autem indici tam Clericis sæcularibus, quàm regularibus, quando hi publicè sunt infamati, & graviter suspecti, *cap. Moniales 3. hoc tit.* Item etiam Episcopis, & Sacerdotibus, & Diaconis; unde Episcopi secundùm *can. omnibus 19. in fine cauf. 2. q. 5.* se purgabant adhibitis duodecim alijs Episcopis: Sacerdotes adhibitis septem Sacerdotibus; & Diaconus tribus Diaconis, *cit. can. 19.*

8. Nota ultimò: præter Purgationem Canonicam, etiam olim fuit in usu Purgatio per sumptionem Venerabilis Sacramenti Eucharistiæ; unde etiam Papa Gregorius VII. impetitus varijs criminibus ab Henrico IV. Imp. purgavit se sumptione S. Eucharistiæ, cum imprecatione, ut si crimina objecta commisisset, susceptio SS. Sacramenti Eucharistiæ tenderet in perniciem animæ; uti narrat Hostiens. Zoës. &c. Item vigebat Purgatio per juramentum ad SS. Martyrum reliquias; ut narrat Baron. *tom. 5. annal.* ad an 412. Et constat ex pluribus *can. cauf. 2. q. 4.*

TITULUS XXXV.

De Purgatione Vulgari.

CAP. UNIC.

De Purgatione Vulgari.

1. Nota primò: *hoc cap.* tangitur altera olim famosa Purgatio, *Vulgaris* dicta, eò quòd à vulgo esset introducta, & practicata; unde describitur, quòd *sit illa Purgatio quam sub varijs illicitis modis excogitavit, & invexit vulgus, ad ostendendam innocentiam alicujus.*

2. Dico primò: Omnis Purgatio vulgaris prout sub modis illicitis introducta est à vulgo, est prohibita à SS. Canonibus. Ita communis DD. Et constat ex *capitulis hujus tit.* Et *can.*

can. 2. cauſ. 2. q. 5. & alijs mox citandis. Et Ratio eſt; quia per ejusmodi Purgationes vulgares ſæpè contingeret aliquem innocentem condemnari, qui eſſet abſolvendus; & abſolvi qui eſſet condemnandus, *cap. 2. hoc tit.* Et quia per plerasque tales Purgationes tentatur DEUS, v. g. per judicium ferri candentis *cap. 3. & ult. hoc tit.* Item quia aliquæ earum Diabolo authore conſtitutæ ſunt; ut duellum pro deſignando fure, *cap. 2. hoc tit.* Deſcendendo autem ad ſingulas famoſiores hujusmodi Purgationes.

3. Nota ſecundò: itaq; *imprimis* prohibita eſt illa Purgatio vulgaris per aquam frigidam, *cap. Ex tuarum 8. de purg. can.* *Secundò* vetita quoq; eſt Purgatio per aquam ferventem; vel per judicium ferri candentis, quæ ſi quis tetigerit illæſus, innocens reputetur, *can. Mennam 7. §. ult.* Et *can. conſuluiſti 20. cauſ. 2. q. 5.* Et *cap. 3. hoc tit.* *Tertiò* prohibita pariter eſt Purgatio per monomachiam, vel duellum, in quo illæſus cenſeatur innocens, *can. Monomachiam, 22. cauſ. 2. q. 5.* Et *cap. cura 1. hoc tit.* *Quartò* ſimiliter inhibita eſt Purgatio per prunas ardentes, quas qui pedibus nudis calcet, & non aduratur, innocens ſit: & plures ſimiles ab Eccleſia jam pridem rejectæ. Huc etiam videtur ſpectare illud judicium, quod capitur ex cadavere, quando ex ſanguine inde erumpente ad talis hominis præſentiam concluditur ipſum eſſe occiſorem, ut notat Zoëſ. Item immerſio veneficarum crine tonſarum in flumen, in quo ſi mergantur innocentes reputentur; ſi verò ſupernatent, ſint reæ; ut notat idem Zoëſ. & Delrio.

TITULUS XXXVI.

De Injurijs; & Damno.

CAP. I.

De Injurijs.

1. NOta primò: quoniam ex criminibus; & exceſſibus, de quibus in *ſuper. tit.* actum eſt, ſæpè naſcuntur variæ Injuriæ, & Damna, ad quorum reparationem ſeu ſatisfactionem Rei tenentur, ita dictante æquitate, quæ nulli invito patitur inferri iniquam conditionem, *L. non debet 74. ff. de R. I.* ideo Papa *hunc tit.* ſubnectit de ejusmodi injurijs, & damnis reparandis. Venit autem nomine Injuriæ generaliter conſideratæ omne id, quod non Jure fit. Unde etiam ex hoc ſuum trahit etymon *L. 1. ff. de injur.* Sed de Injuria ſpecialiter conſiderata ad propoſitum *hujus tit.*

2. Dico primò: rectè hic deſcribitur Injuria, quòd *ſit contumelia alicui dicta, vel facta.* Ita conſtat ex *princ. Inſtit. de Injurijs.* Ly *contumelia* eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia. Ad hujusmodi Injuriam ſemper requiritur prævius dolus & fraus injuriandi; aliàs actio non cenſetur eſſe Injuria *L. Si non convitij 5. C. hoc tit.*

3. Nota ſecundò: Injuriam ad præſens propoſitum quatuor communiter modis poſſe inferri: Primò *verbis*, quando quis convitium, ſeu verba contumelioſa profert in contumeliam alterius, *L. 1. §. 1. ff. eod.* maximè ſi ejusmodi proferantur cum vociferatione, ac in cœtu hominum. Huc ſpectat ſi quis alteri dicat, *tu mentiris*; etſi addat *ſalvo honore tuo*; ùt habet Covarr. Clar. &c. Item ſi alteri objiciat crimen, quod non probat; ùt habetur *L. 18. ff. hoc.* Secundò re, quando quis alicui manus infert, eundem vel pulſando, vel verberando; ut notat Vallens. Tertiò *ſcriptò*; quando quis litteras, hiſtoriam, vel libellum famoſum, vel carmen famoſum in infamiam alterius exarat, vel evulgat; ùt obſervat Hoſtienſ. & Sylv. Quartò *geſtu*, quando quis alteri medium digitum inter alios digitos compreſſum oſtendit; vel cornua affigit alterius januæ; aut alia deſpectuoſa ſigna, & geſtus edit in contumeliam alterius; ùt habet Sylv. Pirh. &c.

4. Dico ſecundò: qui affert alteri Injuriam per libellum famoſum enormiter infamantem, quæ eſt graviſſima injuria, puniendus eſt pœnâ capitali, ſi criminaliter agatur; ſi verò agatur civiliter, condemnatus de tali Libello, efficitur inhabilis ad teſtandum. Ita communis DD. Primum habetur *L. unic. C. de famoſ. libell.* Secundum verò extat *in L. Lex Cornelia 5. §. ſi quis librum ff. hoc tit.* Ex quo patet dupliciter poſſe agi ad reſarciendas Injurias, ſcilicet criminaliter, & civiliter. *Criminaliter* agitur quando injuriam paſſus petit, ut pœna extraordinaria ex officio Judicis Reo infligatur; puta vel corporalis, vel pecuniaria, Fiſco applicanda, non actori; utì habet Gloſſa, & Clarus. *Civiliter* agitur ad æſtimationem Injuriæ, quando actor petit ſibi pœnam applicari; quæ poteſt eſſe arbitraria Judici, ùt habent cit. DD.

5. Nota tertiò: tametſi pœna pro Injuria irrogata ſit arbitraria juxta dicta *prior. Concluſ.* attamen ea juxta æſtimationem, & gravitatem

vitatem Injuriæ taxanda erit. Sunt autem Injuriæ aliæ pertinentes ad læsionem corporis; ùt si quis verberetur injuriosè: aliæ sunt spectantes ad læsionem dignitatis; ùt si honoratæ matronæ abducatur comes: aliæ sunt ad infamiam pertinentes; ùt si quis contra pudicitiam alterius aliquid attentet, *L. 1. §. 2. ff. hoc tit.* Et aliæ sunt spectantes ad læsionem rerum, ùt in *tit. ad Leg. Aquiliam.* Et ex his quædam sunt atroces, quæ scilicet fiunt ex contumelia majori, habito respectu ad personam injuriatam, tempus, locum, & rem; quæ singula explanantur in *L. aut facta §. 1. ff. de pœn.* Et *L. Prætor edixit, §. atrocem; cum Leg. seq. ff. hoc tit.* Quædam verò sunt leves, quæ proinde etiam levem merentur pœnam, arbitrariam Judici.

6. Nota quartò: si contingat injuriatum retorquere in continenti injuriam illatam; ùt si objicienti aliquod crimen furti, vel aliud convitium dicat, *tu mentiris*, talis nequit conveniri injuriarum crimine; utì habet Pirh. &c. DD. Estque Ratio; quia sicut permissum est, vim vi repellere in continenti, *L. 3. ff. de just. & jur.* ita & injuriam retorquere in injuriantem; quia honor & fama hominis præponenda est omni pecuniæ *L. si in dubiis 104. ff. de R. I.* Et gravior est amissione oculorum, *L. infamia 8. C. de Decur.*

CAP. II.

De Damno dato.

1. Dico primò: quocunque modo afferens aliquod Damnum proximo suo, etiam ex levissima culpa, sive per se, sive per alium, vel alteri ferendo opem, obligatur illud resarcire, & satisfacere. Ita communis DD. Et constat ex *cap. 1.* Et *2.* Et *seq. hujus tit.* ubi recensentur varia Damna data, & pro ijsdem jubentur fieri à damnificantibus satisfactiones; puta pro percussione, lapide vel pugno factâ, *cap. 1.* Item pro morte jumentorum, secuta ex apertura, vel fossione cisternæ, *cap. 2. eod.* Item pro internecione bovis, ab alio bove cornupeta secuta, *cap. 3. eod.* Item pro destructione vineæ per ingressum jumenti alieni, *cap. 4. eod.* Item pro devastatione acervi frugum, vel segetum, secuta ex igne egresso ab altero, *cap. 5. eod.* Item ex accensione domûs alienæ, *cap. 6. eod.*

2. Dico Secundò: damnificans non tantùm Damnum illatum debet resarcire; sed etiam refundere expensas litis, quas occasione litis injustæ motæ adversarius justè fecit. Ita communis DD. Et habetur *cap. Olim 7. hoc tit.* Et quia communiter victus victori in expensas condemnatur; etiam in causis civilibus, & pecuniarijs, *L. properandum ff. C. de judic.* Quare tametsi extaret juratum statutum, disponens de damnis non repetendis, nihilominus tenetur damnificans ad expensas litis refundendas, *cap. 8. hoc tit.* Estque Ratio; quia aliud est damnum; & aliud expensæ litis.

3. Nota primò: quia per Repressalias etiam inferuntur damna; ideo meritò quoque de ipsis breviter hìc agendum. Sunt ergo *Repressaliæ* (latinè idem quod *pignorationes*) litteræ quædam, in quibus Princeps suis subditis, vel militibus injustum damnum passis, concedit potestatem invadendi terras eorum, qui damnum tale intulerant, & occupandi bona incolarum, etiam innocentium, in compensationem damnorum illatorum; utì notat ex Sylv. Pirhingius. Ejusmodi Repressaliæ generaliter loquendo illicitæ sunt; cùm per eos plures innocentes damnificentur. Si tamen concurrant certæ conditiones, reputantur licitæ, secundùm Sylv. Covarr. Victor. Pirh. &c. Et tunc Princeps alienus punitur in suis subditis, etiam innocentibus. Conditiones autem sunt hæ: *Primò*, ut in indicente Repressalias sit authoritas Principis, potentis aliàs indicere bellum. *Secundò*, ut adsit justa causa indicendi Repressalias; & quidem talis, ob quam aliàs justum bellum posset moveri; v. g. si Respublica, vel Rex, contra quem Repressaliæ fiunt, recusaverit vel neglexerit vindicare in suis subditis illud, quod improbè factum fuit contra indicentem Repressalias; vel noluit reddere, quod per injuriam fuerat ablatum ab ijsdem subditis, *can. Dominus 2. caus. 23. q. 2.* *Tertiò*, ut damnum per Repressalias illatum non excedat damnum passum ab indicente, vel interesse datum. *Quartò*, ut Repressaliæ non exerceantur in personis ipsis innocentibus; sed in rebus eorum. *Quintò*, ut Respublica, & Princeps, contra quem fiunt Repressaliæ, priùs moneatur ad faciendam compensationem; & tamen negligat facere eandem.

TITULUS XXXVII.

De Pœnis.

CAP. I.

De quidditate; & divisione Pœnarum; deque modo eas infligendi.

1. NOta primò: parum proficerent criminum prohibitiones, de quibus in *plurib. super. tit. cap.* tractatum fuit; nisi sequeretur in transgressores animadversio pœnalis; ut quos non deterret à perpetrandis delictis virtutis stimulus; saltem cohibeat metus pœnarum. Quare rectè Papa *hoc tit.* differit de Pœnis; per quarum etiam inflictionem Respublica suam assequitur tranquillitatem, quam criminosi intercipere solent. Derivatur autem ly *Pœna* à *pendendo*, ut vult Varro, & Vallens.

2. Dico primò: rectè describitur Pœna, quòd *sit coercitio debita criminum, invecta à Legibus, vel earum ministris, ad conservandam publicam disciplinam.* Ly *coercitio* est genus; reliqua ponuntur pro differentia. Pœna à mulcta discriminatur sicut genus à specie; mulcta enim est tantùm pœna pecuniaria; pœna verò est ad eam, & plures alias, v. g. capitalem, &c. genus. Circa divisionem Pœnæ.

3. Nota secundò: Pœna *primò* dividitur in pœnam ex contractu; & ex delicto. *Pœna ex contractu* (quæ & *conventionalis* dicitur) est illa, quæ apponitur alicui contractui ex consensu contrahentium, ut is videlicet solvat tantam quantitatem pecuniæ, qui contractum non servaverit. *Pœna ex delicto* est, quæ à Legibus, vel Judice taxatur pro aliquo delicto. *Secundò* dividitur in Civilem; & Criminalem. *Civilis* est, quæ infligitur non ad vindictam publicam; sed ad privatum commodum civiliter agentis. *Criminalis* est, quæ infligitur ad vindictam publicam. *Tertiò* dividitur in Legalem; & Judicialem. *Prima* est, quæ taxatur ab aliqua Lege vel pro reparatione damni illati, vel propter contumaciam; vel propter contemptum. *Secunda* (quæ & *arbitraria* dicitur) est, quæ taxatur à ministro Legis, id est Judice. *Quartò* partitur in Temporalem; & Perpetuam. *Temporalis* est, quæ infligitur ad tempus. *Perpetua* quæ ad semper infligitur. *Quintò* rursus alia est *Pecuniaria* (quæ & *mulcta*, & *emenda*, & *compositio* dicitur) quæ persolvitur ære. Alia *Corporalis*, quæ est afflictiva corporis, ùt verberatio; vel famæ, ùt infamia; vel libertatis, ùt servitus. Alia *spiritualis*, quales sunt censuræ, excommunicationis, suspensionis, interdicti, & degradationis. Alia *Personalis*, quæ personam tantùm afficit, ùt excommunicatio. Alia *Realis*, quæ res afficit, ùt privatio beneficij. Alia *Mixta*, quæ & personam, & rem afficit, ùt interdictum. Alia *Capitalis*, quâ affertur supremum supplicium. Alia *non Capitalis*, quâ salvâ vitâ quis punitur in corpore, ùt deportatione ad insulam. Circa tertium articulum hujus cap.

4. Dico secundò: Pœnæ debent infligi secundùm tenorem Legum, easdem taxantium. Ita communis DD. Et habetur *Instit. de offic. in pr.* ubi dicitur; Judicem sæcularem debere judicare secundùm Leges Civiles. Et *L. 1. §. 1. ff. ad SC. Turpill.* ubi dicitur, à præscripta Jure pœna non esse recedendum. Et *cap. 1. de Constit.* ubi dicitur, Judicem Ecclesiasticum debere judicare secundùm Canones; nisi subsit causa; quia tunc conceditur utrique Judici augere, vel diminuere pœnam, vel etiam prorsus remittere, *cap. fin. de transact.* Et *L. 3.* Et *L. 4. ex quib. caus. irrog. infamia.*

5. Nota tertiò: ut Judex debitè fungatur officiô suô in infligendis pœnis, debet is præterea prudenter reflectere ad sequentia. *Primò* oportet diligenter expendere, num delictum fuerit voluntarium, & cum plena deliberatione perpetratum; an verò involuntarium: nam tunc pœnis percelluntur malefacta, quando ex corde committuntur, uti notat Glossa in *cap. 1. de convers. Conjug.* *Secundò* debet pariter reflectere super statum, conditionem, gradum, ac qualitatem personarum delinquentium, *L. 2.* Et *L. 3. de termino moto.* *Tertiò* debet expendere differentiam temporis, in qua delictum commissum est; hæc enim sæpe plurimùm facit ad distinctionem criminum, ac pœnarum infligendarum, *can. fin. dist. 14.* *Quartò* attendere quoque debet circumstantiam loci, quæ pariter in præfatis prodest, *can. ante terminum.* Et *can. aliter dist. 30.* *Quintò* consideranda etiam est quantitas; nam qui committit furtum unius duntaxat ovis, puniendus est ùt fur: qui verò integrum gregem abigit, tanquam abigens tractandus est, *L. fin. ff. de abigeis.* *Sextò* attendenda

denda pariter est recidivatio ejusdem delicti; nam qui frequenter eadem perpetrat crimina, majori pœnâ percellendus est, *L. servos §. viles autem C. ad Leg. Jul. de vi publica. Septimò:* Similiter delicti extensio est inspicienda; nam si ex eodem nascantur plures species delictorum, pluribus & totidem pœnis castigandæ sunt, *L. 2. de privat. delict.* Aut saltèm gravior pœna pro tali delicto originante infligenda erit, *L. uni. C. de rapt. virg. Octavò* demùm criminum majoritas, vel minoritas bene est expendenda; & cum proportione ad eandem Pœnæ taxandæ, *can. adulterii malum.* Et *can. flagitia.* Et *can. quod in nobis, cauf. 31. q. 7.*

CAP. II.

Ventilantur variæ pœnæ in specie *hoc tit.* contentæ.

1. NOta primò; Pœna depositionis verbalis, est perpetua muneris Clericalis privatio, per canonicam sententiam, cum debita solemnitate prolatam; ùt notat Zoës. Si itaque contingat Clericos patrare graviora crimina, iidem pœnâ depositionis ab officio, & beneficio, ac ad Monasterium detrusione castigandi sunt; uti habetur *cap. Quod in dubiis 5. hoc tit.* Hujusmodi pœna depositionis, vocatur etiam pœna degradationis verbalis simplicis, *cap. Degradatio 2. hoc tit. in 6.* Non est infligenda Clericis, nisi in casibus à Jure expressis; uti notat Vallens. Et fit per simplicem sententiam, quâ Clericus criminosus ab Ordinibus depositus declaratur; Solemnitates observandæ in tali depositione seu degradatione verbali ponuntur *can. 4.* Et *can. 9. cauf. 15. q. 7.* Et Gloss. hìc. Hæc tamen depositio non privat omni privilegiô Clericali; nec privilegiô Canonis.

2. Nota secundò: Depositio realis, seu Degradatio solemnis est pœna muneris Clericalis, & privilegii privatio per sententiam, cum debita solemnitate à Canonibus præscripta. Hæc privat omni privilegiô Clericali, & privilegiô fori; ùt notat Abbas, Diaz. &c. Hâc Clerici incorrigibiles, & gravissima perpetrantes crimina puniendi sunt, *cap. Degradatio 2. hoc tit. in 6.* ubi etiam Solemnitates in actu Degradationis solemnis adhibendæ exprimuntur; uti & in Trident. *sess. 13. cap. 4. de Ref.* Et summariè consistunt in publica ablatione omnium sacrarum vestium successivè; abscissione coronæ Clericalis; subtractionéque omnis vestigii Clericalis; additâ certâ formâ ab Episcopo prolatâ. Sic degradatus relinquendus est deinde Curiæ sæculari pro supremo supplicio eidem inferendo; ùt habet Vivian. &c. Ecclesia tamen debet intercedere pro vita degradati, *cap. Novimus de V. S.*

3. Nota tertiò: Pœna exilii est relegatio, seu ejectio alicujus de loco, vel Provincia, ubi aliàs morabatur delinquens. De hac procedit *cap. 1. de calum.* Hanc pœnam potest Judex pro certis criminibus infligere, *cit. cap. 1.* Et *can. cùm beatus, dist. 45.* Et sæpè plurimùm prodest ejusmodi pœnæ inflictio; ut videlicet per loci mutationem tollatur scandalum; & delinquenti subtrahatur occasio malorum, *can. valet, dist. 81.* Episcopus potest relegare tantùm extra suam Diœcesim; Archi-Episcopus verò extra suam totam Provinciam, *cit. cap. 1.*

4. Nota quartò: Pœna privationis beneficiorum est remotio alicujus beneficiati à beneficio, ob delictum. Pœna verò subtractionis fructuum est demptio proventuum ex aliquo beneficio aliàs percipiendorum. Hæ etsi ipso Jure infligantur, non statim obligant, etiam in conscientia; sed adhuc egent sententiâ declaratoriâ Judicis, quâ Judex pronuntiet, & declaret, quòd delinquens pœnas Juris incurrerit; uti habent communiter Interpretes per *cap. Cùm secundùm, de hæreticis in 6.* Nisi Canon ipse ob certa delicta, & causas in specie dicat, quòd talis delinquens ipso Jure sit privatus beneficiô, & fructibus, etiam aliâ declaratione non secutâ; uti fit in Extrav. *Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alien.*

5. Nota quintò: Pœna carceris est reclusio alicujus in aliquo loco arcto, ut inde pro libitu exire nequeat. Hâc pœnâ uti potest etiam Judex Ecclesiasticus pro certis criminibus Clericorum, *cap. Quamvis 3. hoc tit. in 6.* Debet tamen carcer Clericorum esse non squallidus, aut sordidus; sed decens, & conveniens qualitati criminis, ac personæ, juxta Trident. *sess. 25. cap. 6. de Reform.* Nullus Clericus potest perpetui carceris pœnâ puniri; nisi in casibus à Jure expressis, *cap. penult. & ult. de hæreticis:* quibus scilicet secundùm Leges Civiles aliàs infertur mors corporalis, non simplex, sed atrox, v. g. mediante igne, damnatione ad bestias, membrorum laceratione; uti notat Diaz, Piasec. Vallens. &c. DD. Et in casu talis incarcerationis perpetuæ incumbit Judici Ecclesiastico, attendere, nè Reus defectu alimentorum ibidem moriatur; aliàs ipse efficitur irregularis; ùt notat ex Abbate Vallensis.

6. Nota sextò: Pœna verbeationis fit, dum delinquens cæditur virgis, loris, vel fustigatur. Hâc quoque uti potest Judex Ecclesiasticus pro gravioribus delictis Clericorum, *can. 1. cauf.*

cauſ. 5. q. 1. Et *can. nullus Clericus cauſ. 11. q. 1.* Debet autem verberatio Clerici fieri per alium Clericum; vel ipſum Judicem Eccleſiaſticum non Epiſcopum, *can. Univerſitatis 24. de ſent. excom.* Et ea fieri debet cum tali moderamine, nè mors ſequatur, vel mutilatio, & nè in vindictam ſanguinis videatur tranſire, *cap. In Archi-Epiſcopatu 4. de raptor.* Hæc pœna debet eſſe rara in Judice Eccleſiaſtico, & Clerici maximè Sacerdotes plùs verbis, & aliô modô; quàm verberationibus corripiendi ſunt.

7. Nota ſeptimò: Pœna pecuniaria eſt mulctatio quædam in ære: Hæc à Judice Eccleſiaſtico non debet imponi pro criminibus; *cap. Presbyteri 2. hoc tit.* Niſi in caſibus à Jure expreſſis; utì habet Gloſſa. Et ſi quam talem tunc impoſuerit, & exegerit, ea non ſuis uſibus reſervanda, ſed in pios uſus, puta utilitatem Eccleſiæ, vel pauperum eleemoſynas impendenda eſt, *cit. cap. 2.* Ad hanc pœnam refertur condemnatio in expenſas, quas victus victori poſt latam ſententiam tenetur refundere, *cap. Calumniam 4. hoc tit.*

8. Nota octavò: reperiuntur & plures aliæ pœnæ ſparſim in *hoc*, & *aliis tit.* ùt Pœna conventionalis, quæ eſt illa, quæ adjicitur alicui contractui; ùt dixi ſuprà *cap. 1. not. 2.* Hæc etiam de Jure Canonico apponi poteſt contractui, & exigi, utì conſtat ex *cap. Suam, 9. hoc tit.* Item Pœna occidentium Epiſcopum proprium, quæ Jure antiquo eſt privatio feudorum, & beneficiorum Eccleſiæ, quæ ſponſa fuit occiſi Præſulis *cap. Ad aures 10. hoc tit.* Jure verò novo, qui Epiſcopum proprium occidit, vel bannivit, vel hæc fieri mandavit, vel aliter cooperatus fuerit, excommunicatur excommunicatione Papæ reſervatâ; terra item, & civitas in hoc delinquens ſubjicitur interdicto, *Clement. Si quis 1. hoc tit.* Item pœna privationis Jurium, quæ quis obtinet in Eccleſia, & abſolutionis ſubditorum à Juramento, quæ infligitur laico in excommunicatione ſordeſcente, *cap. Gravem 13. & ult. hoc tit.* Et talis inſuper eſt ſuſpectus de hæreſi, ſi per annum perſiſtat in dicta cenſura, *cap. Excommunicamus 13. de hæret.* Item pœnæ perſequentium Cardinales S. R. E. quæ graviſſimæ ſtatuuntur *cap. Felicis 5. & ult. hoc tit. in 6.* Vide etiam pœnas detinentium, vel procurantium capi perſonas Eccleſiaſticas, ut renuncient ſuis beneficiis: item eorum qui citati nolunt comparere coram Sede Apoſtolica, in *Clement. Multorum 2. hoc tit.* Et Religioſorum variè excedentium circa ſuas domus, prædicationes, ſepulturas &c. in *Clement. Cupientes 3. hoc tit.* Pœna damnationis Clericorum ad triremes etiam in uſu eſt in partibus mari vicinis; de qua vide Diaz, Piaſec. &c. Item Tortura eorundem, ſecundùm Vall. & Diaz, quæ infligi poteſt, quando adſunt violenta indicia criminis commiſſi, per duos teſtes ad minus probata.

CAP. III.

De Pœnis in Ordine FF. Minorum.

1. NOta primò: Pœnæ communiores, quibus utitur Ordo FF. Minorum in puniendis Fratribus delinquentibus, ſunt ſequentes, videlicet privatio Juris ſuffragiorum; privatio actuum legitimorum; privatio officiorum Ordinis; incarceratio; pœna talionis; Excommunicatio; Suſpenſio ab officio, &c. condemnatio ad triremes; diſciplinatio, jejunia, inhabilitationes variæ; exilium, ejectio ex Ordine; Probationis caputium; infamia, &c. quas explicant, & delictis accommodant *Conſtit. General. Ord. cap. 7. §. 8.* Et Pract. Criminal. Ord. verbô *pœnarum genera.*

2. Nota ſecundò: Superiores, & Judices Minoritici regulariter mulctare debent delicta pœnis à Statutis Generalibus, vel municipalibus præfixis; utì habet Practica Crimin. Ord. verbô *Sententia.* Niſi circumſtantiæ graves perſonæ, delicti, &c. ſuaderent rigorem pœnarum ſtatutariarum in aliquo mitigandum, *arg. cap. fin. de tranſact.* Et *arg. L. 3.* Et *L. 4. ex quibus cauſ. irrog. infam.* Iiſdem pœnis punienda ſunt delicta, etiamſi dolum non oleant, proùt in Statutis regularibus ſancita reperiuntur: aliàs quæ in fragilitate fundantur, utì ſunt delicta carnis, jejuniorum fractiones, injuriæ, homicidia, furta, &c. manerent impunita; cùm in his dolus propriè non reperiatur; & tamen ſunt delicta graviſſima, & pœnis condignis mulctanda; utì notat Sanctor: *in pœnal.* & S. Sever.

3. Nota tertiò: Si Reus non ſit capax pœnarum ſtatutariarum, poterit Judex eidem aliam ſimilem infligere, ex praxi Religionis; vel ex S. Canonibus elicitam; utì notat Pract. Crimin. Ord. ex Bald. Berto, &c. Quando autem eidem delicto duplex aſſignatur Pœna, una ex Jure communi, & alia ex Statutis regularibus, v. g. pro homicidio aſſignat Jus commune mortem; ſtatutum verò regulare triremes; tunc ſtandum eſt pœnæ ſtatutali: quia ſtatutum moderatur legem communem; utì habent *cit.* DD. Si demùm eidem delicto diverſæ pœnæ taxentur in diverſis Statutis regularibus, quæ ſint incompoſſibiles; tunc arbitriô Judicis remitti poſſunt, & mitior debet imponi:

imponi: Si tamen sint compossibiles, & delicti atrocitas id suadeat, debet Judex unam alteri connectere, & prudenter accommodare delicto; uti advertunt *cit.* AA.

4. Nota quartò: quando in Statutis imponuntur pœnæ privationis, carceris, excommunicationis, suspensionis, &c. non obligantur ad eas Fratres, nisi scienter, & deliberatè deliquerint. Et ubi ipsô factô incurrenda imponitur aliqua Pœna statutaria, nemo in eam incidit, nisi post declarationem à Prælato factam; uti habent *Constit. Gen. Ord. cap. 7. §. 6. n. 40.*

5. Nota quintò: si Constitutiones regulares non exprimant distinctè à quo talis pœna statutalis sit infligenda; tunc ab illo Superiore debet infligi, seu declarari, coram quo legitimè probatur excessus; dummodò aliàs ad eundem pertineat ejusdem excessûs correctio; uti dicunt *Constit. Gen. Ord. cit. n. 42.* Non debent autem pœnarum statutariarum inflictiones à Superioribus ordinariis inferioribus differri in Provinciis nostris usque ad adventum Provincialis, vel Generalis; nisi causam legitimam talis dilationis ostendant, *ibidem n. 74.*

6. Nota sextò: Nullus Judex inferior Ordinis nostri potest pœnas à Superioribus impositas alterare, vel remittere, sub iisdem, & gravioribus pœnis, arbitriô Superioris infligendis, *ibidem n. 77.* Pœnas verò ab inferioribus injunctas Superiores non remittant; nisi ob causam publicæ utilitatis; vel aliam rationabilem; & tunc remissio talis fiat cum matura consideratione, ex causis cognitis, ac maturè discussis, *ibidem n. 78.* Et quia per fictas causas, quæ tamen probabiles apparent, quandoque contingit extorqueri gratias, vigore quarum pœnæ injunctæ remittantur, aut minuantur à Generalibus, vel eorum Commissariis, qua ratione delicta etiam gravia manent impunita; propterea statuunt *Constitutiones Generales cit. n. 79.* innixæ authoritati Concilii Tridentini, ut Provincialis in Provincia sibi commissa residens de subreptione, & obreptione gratiæ, quæ super absolutione alicujus criminis, de quo ipse inquirere jam inceperat; aut remissione pœnæ, ad quam criminosus justè jam condemnatus fuerat, per se ipsum summariè cognoscat; ipsámque gratiam, postquam per falsi narrationem, aut veri taciturnitatem, obtentam esse legitimè constiterit, suspendat, quousque Generali admonitô, ac informatô, desuper ab eo fuerit provisum, prout ei magìs expedire in Domino videbitur.

TITULUS XXXVIII.

De Pœnitentiis; & Remissionibus.

CAP. I.

De Pœnitentiis.

1. NOta primò: Post evolutas complures Pœnas fori externi, proponit Papa *hunc tit.* de Pœnis fori interioris animæ, quæ *Pœnitentiæ* nomine veniunt. Et quia ejusmodi Pœnæ, seu Pœnitentiæ quandoque relaxantur per Remissiones seu Indulgentias; propterea de his quoque *eod. tit.* agit. Circa primum

2. Nota secundò: Pœnitentia plures habet acceptiones; ad propositum principales quatuor ejus attendunt Canones; quatenus nimirum *primò* capitur pro speciali quadam virtute, in actu pœnitentis consistente. *Secundò* pro speciali virtute in habitu pœnitendi consistente, de utraque procedit *can. Ecce nunc tempus 39. de pœnit. dist. 1.* Et *can. 1. & 6. dist. 3.* *Tertiò* pro Sacramento Pœnitentiæ; de hac procedit *cap. Quod in te 11. hoc tit.* *Quartò* pro Satisfactione, & vindicta peccati, sive sponte suscepta, sive à Sacerdote imposita; De hac procedit *cap. Omnis utriusque 12. hoc tit.* Et *can. pœnitentia dist. 3.*

3. Nota tertiò: Pœnitentia accepta pro actu specialis virtutis rectè describitur, quòd *sit detestatio, & dolor de peccato Theologico commisso, cum intentione pro eo satisfaciendi, & se reconciliandi DEO.* Pœnitentia verò accepta pro habitu specialis virtutis rectè definitur, quòd *sit habitus inclinans ad præfatos actus Pœnitentiæ actualis.* Pœnitentia accepta pro Sacramento bene describitur, quòd *sit absolutio hominis pœnitentis, facta certis verbis, cum debita intentione prolatis à Sacerdote Jurisdictionem habente, efficaciter significantibus absolutionem animæ à peccatis.* Pœnitentia capta pro satisfactione rectè describitur, quòd *sit operatio exterior laboriosa, & pœnalis, voluntariè assumpta ad vindicandum, ac puniendum peccatum commissum, ac ad placandam Divinam offensam.*

4. Nota quartò: Pœnitentia accepta pro satisfactione, alia est publica, & alia privata. *Pœnitentia publica* est illa, quæ imponitur, & pera-

peragitur pro manifestis peccatis; de hac procedit *cap. Manifesta 1. hoc tit.* *Privata* est, quæ imponitur, & peragitur pro peccatis secretis, in Confessione Sacramentali allegatis. Pœnitentia publica rursùs subdividitur in publicam solemnem; & in publicam non solemnē. *Publica Solemnis* est, quam imponit Episcopus ob gravissima crimina, in principio Quadragesimæ peragendam, servatis certis solemnitatibus, expressis in capitulo in *capite 64. dist. 50.* Et *can. pœnitentes 63. ibid.* *Publica non Solemnis* est, quæ publicè quidem; sed absque ullis Solemnitatibus Juris imponitur ab Episcopo, vel Sacerdote: quando autem Pœnitentia publica sit imponenda, vide Trident. *sess. 24. cap. 8.*

5. Nota quintò: de Pœnitentia quatenus usurpatur pro speciali quadam virtute detestandi, & dolendi de peccatis Theologicis, vide plurima quæ dico ex professo *tom. 3. Scholæ meæ Theologicæ tract. de Sacramentis dist. 6. & 7. & 8. per totum.* Item de Pœnitentia quatenus accipitur pro Sacramento, vide quæ dico ex professo *cit. tom. dist. 9. & 10. & 11. & 12.* uti & de ejus materia proxima, puta Confessione, Contritione, & Satisfactione; item de ejusdem forma, Ministro, aliisque hoc Sacramentum concernentibus amplè dissero. Demùm, de Pœnitentia capta pro Satisfactione, plurima quoque resoluta, & dicta vide *eod. tom. 3. dist. 12.* Quæ hìc repetenda non judicavi; sed proferam eas duntaxat decisiones Canonicas, quæ in Capitulis *hujus tit.* continentur. Unde

6. Nota sextò: pro peccato occisionis Presbyteri imponenda est Pœnitentia 12. annorum; v. g. Jejunii certis diebus hebdomadæ; vel peregrinationis. Item si occisor sit miles, privandus est cingulô militari toto tempore vitæ: Et demùm privandus quoque est facultate contrahendi Matrimonium, *cap. Presbyterum 2. hoc tit.* Pro peccato oppressionis filiorum in lecto, si eam procurent Sacerdotes conjugati Græci; vel studiosè negligant, Pœnitentia remotionis perpetuæ ab Altaris Ministerio imponenda est. Si verò ex incuria eorum mortui fuerint, & hoc sit occultum, arbitraria Pœnitentia ipsis est imponenda, & ad tempus abstineant ab eodem Ministerio, *cap. Quæsitum 7. hoc tit.* Pro peccato omissionis annuæ Confessionis Sacramentalis, & Communionis Paschalis graviter omnem utriusque sexûs fidelem obligantis, postquam ad annos discretionis pervenerit, juxta *cap. Omnis 12. hoc tit.* omittenti pœnitentia interdicti ingressûs in Ecclesiam injungenda est; & si mortuus fuerit, carere debet Sepulturâ Ecclesiasticâ, *cit. cap. Omnis.* Pro peccato mulieris supponentis fraudulenter alienum vel spurium partum marito ignorante, Pœnitentia competens arbitaria imponi potest à Sacerdote, *cap. Officii 9. hoc tit.*

7. Nota septimò: Sacerdos debet in imponendo Pœnitentias *esse discretus ac cautus, ut more periti Medici* (inquit *cap. Omnis 12. hoc tit.*) *superfundat vinum, & oleum vulneribus sauciati; & diligenter inquirat circumstantias peccatoris, & peccati, quibus prudenter consideratis intelligat, quale consilium ei dare debeat, & remedium adhibere, diversis experimentis utendo, ut sanet ægrotum. Caveat autem omnino, nè verbô, vel signô, vel aliô quôvis modô prodat peccatorem, &c.* & *qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum revelare præsumpserit, non solùm à Sacerdotali Officio deponatur; sed etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudatur.* Huic Canoni consentit Tridentinum *sess. 24. can. 5. & 8. de Sacram. Pœnitent.*

8. Nota octavò: ad Pœnitentiam maximè disponendi, & adhortandi sunt infirmi, *ut* (ait *cap. 13. hoc tit.*) *Medicos advocent animarum, ut postquam fuerit infirmo de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur; cùm causâ cessante cesset effectus.* Quare *cit. cap.* injungitur etiam ipsis Medicis, ut accedentes ad ægros adhortentur eosdem ad Pœnitentiam; aliàs ipsi ab ingressu Ecclesiæ sunt arcendi. Et ibidem in calce *cap.* dicitur: *Cùm anima sit multò pretiosior corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, nè quis Medicorum pro corporali salute aliquid ægroto suadeat, quòd in periculum animæ convertatur.* Homini lapsô in mortale Pœnitentia adeò est necessaria, ut etiam tempore interdicti graviter infirmis, & morientibus concedenda sit; non autem aliis; *cap. Quod in te 11. hoc tit.*

9. Nota nonò: pro suscipienda Pœnitentia Sacramentali de Jure communi nemo potest sibi eligere Confessarium alienum; sed à suo proprio Sacerdote, ac Prælato habente in illum ordinariam jurisdictionem, absolvi debet, *cap. Omnis 12. hoc tit.* Unde Episcopus debet de Jure confiteri suo Archi-Episcopo; & hic suo Patriarchæ; ùt notat Hostiens. & Abbas. Verumtamen cum licentia proprii Sacerdotis, ac Prælati potest quis alieno Sacerdoti approbato confiteri, *cit. cap. 12.* Item per Privilegium Papæ, relato *cap. ult. hoc tit.* possunt Episcopi sibi Confessarium eligere sinè licentia sui Archi-Episcopi. Similiter alii Prælati Superiores, ùt Archi-Episcopi, Patriarchæ, & Primates; imò & Prælati minores exempti, ut citra sui Superioris licentiam possint eligere Confessarium, *cit. cap. ult.*

CAP.

CAP. II.

De Remissionibus, seu Indulgentiis; & Jubilæo.

1. DIco primò: rectè describitur Indulgentia, quòd sit *pœnæ temporalis, DEO debitæ, remissio extra Sacramentum, per applicationem Satisfactionis Christi, & Sanctorum.* Ita Clemens VI. in Extravag. *Unigenitus, de Pœnit. & Remiss.*

2. Dico secundò: est in Ecclesia potestas concedendi Indulgentias. Ita TT. omnes contra hæreticos. Et constat *primò* ex Conciliis: ùt Tridentino *sess. 25.* hoc ipsum definiente. . Item ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. *cap. 62.* & refertur *cap. Cùm ex eo, de Pœnit. & Remiss.* Item ex Concil. Lugdunensi, & Viennensi, concedentibus Indulgentias iis, qui intersunt Divinis Officiis, per octavam Corporis Christi. Constat *secundo* ex Summis Pontificibus, qui jam olim extra Conciliorum celebrationem, usurpârunt authoritatem concedendi Indulgentias; Ita fecit Innocentius III. Eugenius III. Urbanus II. Gregorius Magnus, teste Altisiodorensi, & S. Thoma. Et nè Indulgentiarum vestigia in statutis antiquissimorum Conciliorum, & Scriptis veterum Patrum deesse conquerantur Hæretici (è quibus Kemnitius impudenter mentitur, eas incepisse circa Annum 1200.) inspiciant Decreta Concilii Nicæni, *can. 12.* & antiquissimum Concilium Ancyranum *can. 4.* Item vetustum Patrem S. Cyprianum Martyrem, *Epistola 46.* Et *Epist. 11.* alias *lib. 3. Epist. 5.* Imò putant interpretes: Apostolum *2. ad Cor. 2.* dedisse jam pœnitenti Indulgentias, dum *vers. 10.* ait *Nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Eadem veritas fuit confirmata maximis miraculis, quæ S. Bernardus, ùt habetur *lib. 3. vitæ cap. 4.* patravit, prædicans variis in locis Indulgentias, ab Eugenio III. concessas. Quibus accedit portentosa Indulgentia Portiunculæ, à Christo concessa S Francisco, toti mundo nota. Eandem suadent sufficienter illa verba Christi Matth. 16. *Tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*: ex quibus patet, quòd per præfata verba data sit Ecclesiæ potestas in culpas; adeóque & in pœnas consequentes, relaxandas per Indulgentias.

3. Nota primò: Indulgentiam aliam esse plenariam ac totalem; aliam partialem. *Plenaria* dicitur illa, quæ omnem pœnam, in Purgatorio pro peccatis luendam, remittit. *Partialis* est, quæ partem tantùm remittit, sive in Purgatorio, sive in hoc sæculo etiam luendam; v. g. Indulgentia pœnæ unius anni, vel plurium: qualis pœna erat olim *Carena*, id est, carentia, sive jejunium, in pane, & aqua per dies quadraginta: & *quadragena*, quæ est remissio pœnitentiæ, quæ per quadragesimam subeunda erat; de quibus habetur mentio in Concilio Nicæno; & cap. *in capite* dist. 50. Quando autem dicitur in Bullis Pontificum, quòd detur *Indulgentia Septennis*, vel *Carena*: Sensus est; remitti tantam pœnam, quanta deleretur per Pœnitentiam septem annorum, vel quadraginta dierum jejunium.

4. Nota secundò: Indulgentiam ulteriùs dividi in personalem; & realem. *Personalis* dicitur; quæ per se directè personis conceditur, sinè determinatione ad certam rem materialem. *Realis* verò dicitur; quæ alicui rei materiali v. g. Metallo, vel Rosario est affixa; vel loco, ùt Altari, vel Ecclesiæ. Item alia est perpetua; alia temporalis. *Perpetua* est; quæ semper durat, durante persona, vel materiali, cui est affixa. *Temporalis* est; quæ certo tempore exspirat.

5. Dico secundò: Indulgentiæ habent efficaciam tollendi pœnas Purgatorii; imò proùt de facto conceduntur, eas tollunt. Ita omnes Catholici contra Hæreticos. Primum constat ex Decretis Sixti IV. oppositum damnantis. Estque Ratio: quia Indulgentiæ habent vim tollendi pœnas Purgatorii in Defunctis; ùt dicetur infrà: adeóque & in vivis. Deinde si per Indulgentias non possent tolli pœnæ Purgatorii: sed tantùm Pœnitentiæ injunctæ in foro Sacramentali: ad quid esset necessarius thesaurus Satisfactionum Christi, & Sanctorum? Secundum patet ex sensu Ecclesiæ Summorum Pontificum, SS. Patrum, & Fidelium, firmiter tenenentium ab antiquo, quòd per applicationem Indulgentiarum, eô ipsô tollantur pœnæ.

6. Dico tertiò: Per Indulgentias absolutè concessas non tantùm tollitur pœna Purgatorii, correspondens Pœnitentiæ Sacramentali; sed etiam alia, quæ esset exsolvenda pro peccatis, in aliis Confessionibus, explicatis. Ita communis DD. contra Cajet. Ratio est: quia potest Papa alias quoque pœnas tollere: nec est ratio, cur restringat suam intentionem ad pœnas tantùm correspondentes injunctis Pœnitentiis: imò contrarium constat eô ipsô, quòd absolutè indulgentias plenarias concedat. Deinde sæpè conceduntur Indulgentiæ mul-

multorum millium annorum; & tamen nulli tot annorum Pœnitentia imponitur. Tandem in multis sola venialia confitentibus, pro lucranda Indulgentia, plenariæ Indulgentiæ forent inutiles; quod dici nequit: ergo &c.

7. Dico quartò: vivis conceduntur Indulgentiæ per modum absolutionis; defunctis verò per modum solutionis tantùm, & suffragii. Ita communis DD. Primum constat ex *cap. Nostro, de Pœnit. & Remiss.* ubi Indulgentiæ vocantur *Remissiones*; quod sonat authenticam condonationem, seu absolutionem. Idem sonant formulæ, quibus Pontifices conferunt Indulgentias. Quando verò Papa sibi dat Indulgentias, dat sibi per modum solutionis puræ; cùm Jurisdictio absolutoria cum potestate ligandi non sit ad seipsum; sed ad alium. Secundum patet *primò* ex formis, quibus utuntur Pontifices, & dicunt se concedere Defunctis Indulgentias per modum Suffragii. *Secundò* est Ratio; quia absolutio est actus Jurisdictionis; adeóque tantùm in subditum exerceri potest: sed Defuncti non sunt subditi Papæ; qui præest tantùm Ecclesiæ Militanti: ergo per modum absolutionis eis concedi nequeunt Indulgentiæ; adeóque tantùm per modum Suffragii.

8. Sed Difficultas est; an Indulgentiæ pro Defunctis habeant certum, & infallibilem effectum; an verò tantùm prosint secundùm liberalem, & congruam DEI acceptantis voluntatem. Hunc effectum in Defunctis non esse infallibilem, docet Cajet. Petrus Soto, Canus, &c. Contraria tamen opinio melior est Dominici Soto, Navarr. Suar. & RR. communiter. Ratio pro hac sententia deducitur ex Bulla Leonis X. *ad Cajetanum*, in qua æqualiter, & absolutè, tum vivis, tum defunctis promitti videtur liberatio à pœnis.

9. Dico quintò: ut Indulgentia licitè, & validè concedatur; requiritur pia, & rationabilis causa. Ita Doctores communiter. Et colligitur ex modo loquendi Pontificum, qui semper dicunt, Indulgentias ex causa pia, & justa posse concedi; ita loquitur Clemens VI. Extrav. *Unigenitus*. Martinus V. Leo X. in *Epistola informatoria* ad suum Legatum Cajetanũ. Deinde; Papa non est Dominus, sed dispensator Thesauri Indulgentiarũ: dispensator autẽ non potest sinè causa disponere de rebus Domini; aliàs esset dissipator. Et quia alioquin Papa posset unô verbô liberare omnes animas ex Purgatorio quotidie; quod est incredibile: Ita etiam sentit S. Bonaventura, &c. DD.

10. Nota tertiò: ad lucrandas Indulgentias, varias dispositiones, seu requisita esse necessaria. *Primum* est, ut lucrans sit baptizatus. Ratio est; quia communis thesaurus Satisfactionum est in Ecclesia, ut à Pastoribus fideliter dispensetur iis, qui sunt membra Ecclesiæ. Catechumenis tamen etiam censent multi posse concedi Indulgentias, non per modum absolutionis; sed per modum suffragii. *Secundum requisitum* est; ut lucrans Indulgentias sit subditus concedentis; utì constat ex *cap. Quod autem, de Pœnit. & Remiss.* Privilegiati tamen, & exempti etiam possunt frui Episcopalibus Indulgentiis; quia in hoc se subjicere possunt Jurisdictioni Episcopi; utì habet Laym. Soto, &c. *Tertium requisitum* est; ut lucrans Indulgentias non sit excommunicatione majori ligatus. Ratio est; quia hæc privat hominem participatione spiritualium bonorum Ecclesiæ; de quorum numero est participatio Indulgentiarum. *Quartum* est; ut lucrans sit in statu gratiæ. Ratio est; quia reatus pœnæ nunquam aufertur, nisi ablatâ culpâ: unde licèt absolutè necessarium non sit ad lucrandum Indulgentiam, ut aliquis opera præscripta omnia in gratia impleat; utì habet Sotus, S. Antonius, &c. in statu tamen gratiæ debet esse, quando Indulgentiam consequitur. *Quintum requisitum* est; ut impleatur totum opus; unde licèt per oblivionem etiam, vel justum impedimentum, aliquid operis omitteretur; non lucraretur Indulgentiam; nisi omissa pars operis esset moraliter parva. Hinc infertur; quòd ille non lucretur Indulgentias, qui famulo mandavit dare talem eleemosynam; famulus verò eam non dedit: utì habet Bonacin. Suar. & Sanch. *Sextum requisitum* est: ut lucrans Indulgentias per seipsum impleat præscripta opera, v. g. jejunium: Unde si per alium impleat, non lucratur Indulgentias. Excipe, nisi ille alius esset nudum instrumentum, materialiter tantùm concurrens; sicut concurrit famulus, qui ex manu Domini eleemosynam accipit, & transfert ad vicinum pauperem.

11. Nota quartò: Indulgentias potest Jure Divino concedere *primò*, Summus Pontifex; utì constat ex Extrav. Clementis VI. relata suprà. Et Trident. *sess. 25.* docente, potestatem dispensandi Indulgentias divinitùs datam esse Ecclesiæ; utique primò, & principaliter exercendam per caput Ecclesiæ. *Secundò*, potest eas concedere Archi-Episcopus; sed pro sua tantùm Provincia: utì colligitur ex *cap. Nostro, de Pœnit. & Remiss.* Et quidẽ tantùm ex concessione Papæ. *Tertiò*, possunt Episcopi pro suis Diœcesibus: utì habetur *cap. Cùm ex eo, eod. tit.* ubi etiam refertur ordinatio Concil. Lateran. *cap. 62.* decernentis, ut Episcopi tantùm possint concedere Indulgentias unius anni in Dedicatione Basilicæ: & in aññiversario 40. dierũ. Alii Prælati inferiores jure ordinario non possunt concedere

concedere Indulgentias; imò nec Capitulum Sede vacante; nec Cardinales; nec Generales; nec Provinciales Ordinum eas concedere possunt; nisi specialem ad hoc obtineant gratiam; sicut jam obtinuerunt Visitatores Generales nostrarum Provinciarum in suis Visitationibus. De facultate Papæ, & gratia particulari, quiscunque poterit concedere Indulgentias, etiam Laicus; concessio enim Indulgentiæ non est actus Ordinis; sed Jurisdictionis. Circa Jubilæum

12. Nota quintò: Jubilæum erat annus Quinquagesimus remissionis apud Judæos, in quo jubebantur ab agricultura vacare; debita remittere; possessiones antiquis Dominis, absque pretio restituere; servos libertate donare; uti constat ex *cap. 25. & 27. Levitici.* Et dicitur à *Jobel* Hebraico, quod Latinè sonat *initium.* Ad hujus similitudinem in Ecclesia institutus est annus Jubilæus, seu remissio omnium peccatorum plenissima. Bonifacius VIII. eum statuit centesimô quôque annô celebrandum. Clemens IV. ad quinquagesimum revocavit; cùm paucorum hominum vita ad centesimum pertingat. Paulus tandem II. Jubilæum ad vigesimum quintum reduxit. Circa quod

13. Nota sextò: quòd Annô Jubilæi, secundùm Bullas Gregorii XIII. & Clementis VIII. Omnes Indulgentiæ plenariæ suspendantur, quibuscunque Ecclesiis, Personis, vel Congregationibus, extra Urbem concessæ. Hæc tamen suspensio intelligitur tantùm quoad vivos; non quoad defunctos. Unà cum Indulgentiis etiam suspenduntur aliæ facultates locales, & indulta, v. g. absolvendi à peccatis determinatis, &c. Sub suspensione tamen, solita fieri in Jubilæo, non comprehenditur Indulgentia plenaria Compostellana (ut ostendit Castro Palao) Item, nec Indulgentia illius S. Domûs Portiunculæ, quæ propè Assisium est; uti declaravit Urbanus VIII. Anno 1625. Item Clem. VIII. & Innoc. X. referente Lantusca ver. *Indulgentia; in Theat. Reg.* Similiter non comprehenduntur sub generali tali suspensione facultatum, facultates absolvendi à casibus Episcopalibus; imò & à Papalibus; quando non sunt concessæ occasione Indulgentiarum eas consequendi; sed ob alios fines, v. g. quæ sunt concessæ Regularibus in ipsorum Privilegiis.

14. Nota septimò: quòd post annum Jubilæi; item post incoronationem Papæ; & quando Ecclesia gravi aliquâ difficultate premitur, soleat Pontifex Indulgentiam plenarissimam etiam concedere, sicut in Anno Jubilæi Romani: circa quod observandum; quòd si quis ob infirmitatem, vel professionem, aliámve causam, non potuerit opera in Bulla præscripta exequi; conceditur facultas Confessori omnia, & singula in opus bonum, & pium, proùt sibi visum fuerit, commutandi. Observandum item: quòd Confessariis tempore ejusdem Jubilæi detur potestas absolvendi in foro conscientiæ ab omnibus censuris, & pœnis, à Jure, vel ab homine latis; & à quibuscunque criminibus, etiam contentis in Bulla Cœnæ. Et ex hoc capite distinguitur Jubilæum ab Indulgentia plenaria, penes nimirum Jurisdictionem. Nulla tamen datur facultas dispensandi super irregularitate, etiam occulta; ex defectu, aut inhabilitate quomodolibet contracta. Tandem datur facultas commutandi quælibet vota, exceptô Castitatis, & Religionis. Et hæc est secunda differentia Jubilæi, ab Indulgentia plenaria.

15. Nota octavò: veriorem esse illam opinionem D. Thom. Cord. Navar. & RR. (licèt plurimi DD. contrarium probabiliter sentiant) quæ dicit, Jubilæum tale per duas septimanas communiter extensum, non nisi semel posse obtineri; ac consequenter non nisi semel à casibus reservatis absolvi. Colligitur ex ipsis formulis disjunctivis, non copulativis, sub quibus dictum Jubilæum publicatur; quæ proinde diligenter sunt inspiciendæ: tantum enim valet Bulla, quantum sonat; ut habet communis Canonistarum. Accedit declaratio Clementis VIII. Notab. 5. cit.

16. Nota nonò: Opera præscripta in Bulla posse impleri in diversis locis v. g. in uno domicilio potest visitare Ecclesias; & in alio reliqua opera facere; uti tenet Castro Palao. Ratio est; quia favor Jubilæi non localis; sed personalis est. Qui Jubilæô ferè transactô, ex mera ignorantia, opera facienda omisisset; is posset confiteri ultimo die, & communicare; reliqua verò opera posset Confessarius prorogare in sequentem septimanam. Similiter si quis opera omnia explêsset, exceptâ Communione; & ultimo die inadvertenter aliquid cibi assumeret, posset Communio commutari in aliud opus pium, vel differri in proximum diem, & lucrari Indulgentia.

17. Nota decimò: Completô Jubilæô posse pœnitentem absolvi à Reservatis oblitis; modò saltèm eô animô sit confessus tempore Jubilæi. Similiter & is absolvi potest, qui animô Jubilæum lucrandi confessus erat Reservata; etsi postea ipsum non lucretur mutâ in-

tâ intentione; utì habet Herincx, & alii DD. Etsi securiùs & conformiùs praxi fit, unâ hebdomadâ omnia opera absolvere: probabilis tamen etiam est sententia DD. Rodriq. Laym. docentium; quòd possint opera dividi ex rationabili causa; ita ut unâ septimanâ visitet Ecclesias; alterâ communicet, vel jejunet. Iis, qui jejunium per tres dies præscriptum sinè notabili difficultate, perferre non possunt; cujusmodi sunt Adolescentulæ, Infirmi, Pauperes, aliqui Mechanici, & similes; potest Confessarius locô jejunii alia opera æquivalentia injungere; similiter pauperibus, qui eleemosynam dare nequeunt, v. g. recitationem Coronæ, auditionem Missæ, utì tenet Candidus, Henriq. &c. DD.

CAP. III.

De Pœnitentiis, & Remissionibus in Ordine FF. Minorum.

1. NOta primò: Pœnitentias pro Casibus reservatis in Ordine FF. Minorum de Observ. & Reform. taxare, imponere, & ab iisdem absolvere possunt soli Prælati Regulares majores, id est Generalis, & Provincialis; ac eorum Pœnitentiarii ritè delegati; utì constat ex Constit. Clement. VIII. edita *an. 1593. die 26. Maji.*

2. Nota secundò: Subditi Minoritæ tenentur acceptare Pœnitentias salutares sibi à Superibus, etiam localibus impositas pro delictis, & excessibus: & qui tales subire renuerit, de Discretorum consilio, & assensu trinâ monitione etiam non præmissâ carceri mancipetur; juxta Constit. Generales Ord. *cap. 1. §. 1. n. 7.* Ut autem Pœnitentiæ censeantur esse salutares, debent esse proportionatæ delictis, & conformes Legibus Ordinis. Circa Remissiones, seu Indulgentias Ordinis

3. Nota tertiò: Fratribus Minoribus, ac aliis Regularibus olim plurimas à Summis Pontificibus fuisse concessas Indulgentias; ùt videre est apud Rodriq. Sed propter earum incertitudinem, & confusionem Paulus V. an. 1606. die 23. Maji in Bulla *Romanus Pontifex* omnes revocavit, & novas 13. sequentes concessit; quæ in hodiernum usque diem vigent; & eas possunt securè consequi Regiosi omnes, & Religiosæ: videlicet:

Primò: Habitum Regularem legitimè suscipiens, eodem susceptionis die lucratur Indulg. plenariam.

Secundò: Professionem emittens die Professionis pariter lucratur Indulg. plenariam.

Tertiò: Quivis Religiosus in festo principali sui Ordinis celebrans vel communicans lucratur plenariam.

Quartò: In mortis articulo, confessus ac communicans; vel saltèm contritè invocans nomen JESU, lucratur plenariam.

Quintò: Missam novellam celebrantes, & interessentes: aut eodem die celebrantes, lucrantur plenariam.

Sextò: Facientes Exercitia spiritualia per dies decem (nunc Alexander VII. pro Minoribus Observ. & Reform. reduxit ad octo) lucrantur plenariam.

Septimò: Claustraliter viventes, si visitent suas Ecclesias diebus Stationum: lucrantur Indulgentias easdem, quas visitantes Ecclesias Romanas diebus Stationum lucrantur.

Octavò: Iidem claustrales aliis diebus ante Altare suæ Ecclesiæ recitantes 5. Pater & Ave, pro qualibet die lucrantur quinque Annos, & totidem Quadragenas.

Nonò: Prædicatores & Lectores itinerantes cum licentia Prælati, dicentes quinque Pater & Ave ante quodlibet Altare; lucrantur pariter 5. Annos, & totidem Quadragenas.

Decimò: Mentalem Orationem facientes mediâ horâ quolibet die per integrum Mensem: lucrantur sex Annos, & totidem Quadr.

Undecimò: Accusantes culpas in propriis Capitulis; lucrantur tres Annos, & totidem Quadrag.

Duodecimò: Missiones ad terras Infidelium acceptantes, in accessu, & recessu, lucrantur Indulg. plenar.

Decimo tertiò: Orationibus 40. horarum, à Superioribus Ordinum ordinatis in Visitationibus generalibus, interessentes duabus horis, lucrantur plenariam.

4. Has solas Indulgentias Paulus V. in cit. Bulla revocatoria concessit Regularibus, & pristinas omnes abolevit; quæ usque modò nequaquam sunt revalidatæ per Successores Pontifices; ùt contendit P. Hieronymus Rodriq. in suo *Reductorio qq. Regular. Emmanuelis Rodriq. Resolut. 77.* contra P. Portel, verbo *Indulgentia*, pluribus solidis rationibus bene ostendentem, nunquam esse revalidatas Indulgentias Regularium à Paulo V. revocatas. Pro qua accedit novissima Alexandri VII. prohibitio, in editis propositionibus prohibitis *Anno 1666.* vetantis graviter hanc propositionem, *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ.* Alias plures Indulgentias Ordinis nostri vide *tom. 3. Schola mea Theologica tract. de Sacrament. dist. 13. q. 4. & 5.*

TITU-

TITULUS XXXIX.

De Sententia Excommunicationis.

CAP. I.

De Censuris in genere.

1. Nota primò: Pœnis pro utroque foro in *praeced. tit.* discussis, addit Papa *hoc tit.* pœnam solemnem Excommunicationis, quâ comprimuntur ij, qui rebelles, & retractarij existunt contra præfatas pœnas; unde etiam rebellium, & contumacium pœna vocatur in *can. Nullus.* Et *can. certum, caus. 11. q. 3.* Et quia Excommunicatio est censura quædam, per connexionem de alijs duabus specialibus Censuris, videlicet Suspensione & Interdicto, quoque *hoc tit.* agendum judico: & primò de Censura in genere. Hoc vocabulum autem *Censura* originem trahit à *Censoribus* Romanis, qui supra mores exorbitantes Populi Censuras, id est certas pœnas pronunciabant. Ecclesia deinde usurpavit hoc idem vocabulum pro pœnis quibusdam Canonicis, quibus censurat, seu corrigit depravatos Christianorum mores.

2. Dico primò: rectè describitur Censura Ecclesiastica in genere, quòd *sit pœna spiritualis, ac medicinalis delinquenti inflicta per potestatem Ecclesiasticam, privans hominem baptizatum usu aliquorum bonorum spiritualium, donec recedat à contumacia.* Ly *pœna* ponitur locô generis; reliqua loco differentiæ Per ly *aliquorum bonorum spiritualium,* intelliguntur receptio, & administratio Sacramentorum, participatio suffragiorum Ecclesiæ, exercitium officiorum Ecclesiasticorum.

3. Dico secundò: Censuræ propriè dictæ tres duntaxat assignantur, scilicet Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum: unde nec irregularitas, nec degradatio, nec depositio verbalis, nec cessatio à Divinis, sunt in rigore Ecclesiasticæ Censuræ. Ita communis DD. Primum constat ex *cap. Quaerenti 20. de V. S.* Et *cap. Statutum 13.* Et *cap. Is cui 20. hoc tit. in 6.* Ratio secundi est; quia irregularitas, degradatio, & depositio verbalis non sunt medicinales, nec infliguntur ab Ecclesiastica potestate, ut recedatur à contumacia, quod proprium est Censuræ Ecclesiasticæ. Cessatio à Divinis pariter non imponitur ad recedendum à contumacia; sed ad propulsandam injuriam factam Ecclesiæ; uti constat ex Clement. *hoc tit. cap. 1.* ubi appellatur *lumen unicum ad repellendas injurias Ecclesiæ factas.* Ex quibus omnibus constat, nec irregularitatem, nec degradationem, nec depositionem verbalem, nec cessationem à Divinis esse Censuras propriè dictas; sunt ergo tantùm pœnæ quædam Canonicæ.

4. Nota secundò: quamlibet ex præfatis tribus Censuris dividi in Censuram *latam à Jure*; & *latam ab homine.* *Prima* dicitur talis, quæ lata est à SS. Canonibus, & Statutis Ecclesiæ stabilibus. *Secunda*, quæ à Judice Ecclesiastico infligitur per sententiam. Ita Navar. Brug. Bonacin. & communis DD.

5. Nota tertiò: quòd *Censura ab homine lata* rursus partiatur in *Generalem*; & *Specialem.* *Generalis* est; quæ infligitur per sententiam generalem pro culpis futuris; talis est, quæ fertur contra omnes Hæreticos. *Specialis*, quæ ob contumaciam nominatim infligitur, per sententiam specialem v. g. contra Platonem. Ita Navar. Brug. Bonacin. &c.

6. Nota quartò: quamlibet Censuram ex dictis tribus rursus subdividi in Censuram *latæ sententiæ*; & *ferendæ sententiæ.* *Latæ sententiæ* est; quæ incurritur cum delicti patratione, sinè aliqua Judicis sententia; talis est in *cap. si quis suadente*, de percussione Clerici & de tali dicitur *cap. Pastoralis;* quòd Excommunicatio latæ sententiæ executionem secum trahat. *Ferendæ sententiæ* est, quæ non ipsô factô infligitur; sed eget Judicis declaratione. Ita Bonacin. Brug.

7. Nota quintò: Pro regula generali, ex sequentibus colligi, aliquam Censuram *latæ sententiæ* esse; primò, si feratur verbis præsentis temporis modi indicativi; ùt si dicatur, *Excommunicamus, anathematizamus, suspendimus qui hoc fecerit, innodamus, &c.* uti constat ex *cap. Excommunicamus 1.* Et *2. de Hæreticis.* Secundò, quando fertur per verba præteriti temporis, ùt *Excommunicavimus, excommunicatus est, suspensus est, &c.* uti constat ex Clementina *de Decimis.* Tertiò, dum similes voces apponuntur, *ipsô factô, ipso Jure, illicò, mox protinùs*, & aliæ æquivalentes; uti habet Brugnoli. Quartò, quando ad præteritum perfectum infinitivi modi additur antecedens verbum præsentis, vel præteriti temporis, v. g. si dicatur, *Noveris te esse excommunicatum, suspensum; declaro hunc esse excommunicatum,* & similia; uti habent pariter

ter DD. Quintò, quando Censura fertur per verbum imperativi modi, temporis præsentis v. g. si dicatur, *Qui id fecerit, incidat in Excommunicationem, suspensionem, &c.* ita tenet Bonacin. & plures alij DD.

8. Nota sextò: *Ferendæ sententiæ* autem erit Censura; si vel verba sint futuri temporis, v. g. si dicatur, *Excommunicabitur, Excommunicabitis eum, &c.* vel si sint comminatoria verba; v. g. *Præcipimus sub pœna Excommunicationis, sub anathemate &c.* uti habent cit. DD.

9. Nota septimò: si dubia sit Censura, an sit latæ, vel ferendæ sententiæ: censeri potest, esse tantùm ferendæ. Ita sentit Azorius, Sayrus, Suar. &c. DD. Et Ratio est; quia odia sunt restringenda, & in meliorem partem interpretanda, per Regulam 15. & 40. *Juris in 6.*

10. Nota octavò: differentiam Censurarum inter se; ab alijs pœnis Canonicis, & ab Irregularitate: Primò enim omnes tres Censuræ generaliter differunt à pœnis Canonicis, depositionis, degradationis, infamiæ; quòd Censuræ sint medicinales pœnæ, impositæ ut recedatur à contumacia: non sic aliæ pœnæ Canonicæ. Ab Irregularitate verò; quia multæ Irregularitates nullum supponunt peccatum; neque tolluntur per absolutionem, sicut Censuræ; sed tantùm per dispensationem. Inter se autem differunt tres Censuræ species ex effectu; nam Excommunicatio privat omnibus Sacramentis activè, & passivè; suspensio autem tantùm activè; & Interdictum tantùm aliquibus Sacramentis. Suspensio differt ab Interdicto in subjecto; quòd ipsa possit ferri in solum Clericum; Interdictum verò in Clericum, & Laicum. Et in effectu; quòd suspensio privet tantùm activâ susceptione Sacramentorum; Interdictum etiam passivâ privare possit.

11. Dico tertiò: in Ecclesia residet authoritas ferendi Censuras Ecclesiasticas. Ita Catholici DD. contra Lutheranos, aliosque Hæreticos. Et constat primò ex Concil. Constan. *sess. 8.* hoc definiente. Secundò ex perpetuo usu Ecclesiæ, Summorum Pontificum, & Concil. Generalium. Tertiò ex facto D. Pauli, qui *1. ad Corinth. 5.* excommunicat incestuosum. Quartò ex *cap. Ab Ecclesiarum, de Officio Ordinarij.* Quintò ex Scriptura, quæ Apostolis, eorumque Successoribus dat generalem facultatem corrigendi; adeoque etiam per Censuras emendandi fideles; nam dicitur Matth. 18. *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlis.*

12. Dico quartò: in solos baptizatos, viatores, doli, & rationis capaces, & subditos ferri possunt Censuræ. Ita Conink, Navar. Herincx, &c. Et *de Baptizatis* colligitur ex *cap. Gaudemus, de Divortijs.* Et *cap. de Judæis.* Et Paulus dicit *1. ad Corinth. 5. Quid mihi de ijs, qui foris sunt judicare?* adeoque non baptizati non possunt censurari. *De Viatoribus* patet; quia *mortuorum causa*, inquit Leo I. *ad Rustic. Epist. 90. DEI judicio reservanda est.* Et Ratio est; quia hi non possunt recedere à contumacia. Unde quando mortui quandoque leguntur Excommunicati fuisse post mortem, hoc Intelligendum est, quoad declarationem tantùm, quâ significatur, eos in Excommunicatione mortuos fuisse: Vel dicendum est; quòd Excommunicati fuerint impropriè; id est execrati, propter enorme crimen, ad terrorem populi; quô pactô intelligitur factum Innocentij I. Papæ excommunicantis Arsacium post mortem, in Epist. ad Arcadium Imperatorem. *De doli, & rationis capacibus* Ratio est; quia in non capacibus doli, & rationis, v. g. amentibus, pueris, furiosis &c. cessat finis Censuræ; cùm à contumacia non dicantur recedere quà tales. *De Subditis* pariter est Ratio; quia jurisdictio, & subjectio sunt correlativa: Si ergo necessaria est in eo, qui Censuram imponere debet jurisdictio, etiam erit subjectio requisita in patiente illam: adeoque solus subditus corrigi potest Censurâ.

13. Ex dictis infertur: Papam non esse capacem Censuræ. Ratio est; quia non habet Superiorem in terris; cùm cunctis Superior sit, *cap. Cuncta per mundum 9. qu. 3.* Plura de Censuris in genere vide *tom. 3. Scholæ Theologicæ tract. de Censuris, dist. 1.* per totum.

CAP. II.

De Censura Excommunicationis in specie.

1. NOta primò: inter species Censuræ, omnium famosior est Excommunicatio; sic dicta à communicationis exclusione: nam in Jure Civili *L. ea verò ff. pro Socio.* Communicatio idem est, quod Societas: unde Excommunicatio importat privationem Societatis, scilicet Christi fidelium. Excommunicatio statim à primitiva Ecclesia fuit in usu; unde eam protulit D. Paulus contra quemdam incestuosum scandalosè *1. ad Cor. 5.*

2. Dico primò: bene describitur Excommunicatio ut sic; quòd *sit pœna spiritualis medicinalis, inflicta ab Ecclesiastica potestate, privans hominem baptizatum communione fide-*

lium

lium quousque à contumacia recedat. Ly *pœna* est genus; reliqua ponuntur pro differentia. Est autem secundùm S. Bonaventuram *4. dist. 18. q. 1.* triplex communio, seu communicatio fidelium inter se. *Primò*, in purè internis rebus, v. g. in gratia & Charitate, in quibus fideles inter se, & cum Christo mysticè copulantur; uti insinuat D. Paulus *1. ad Corint. 12. Secundò*, in purè externis, puta in convictu, colloquio, contractu, alijsque commercijs humanis. *Tertiò*, in mixtis, nempe in actionibus externis, & cœremonijs; quæ tamen interiorem fructum ex sua institutione continent, v. g. in usu tam activo, quàm passivo Sacramentorum Ecclesiæ, omnibus suffragijs, Indulgentijs, applicatione satisfactionum Christi &c. Illa itaque particula definitionis, *privans Communione Fidelium*, non intelligitur de Communione primi modi; sed secundi, & tertij.

3. Nota secundò: Excommunicationem quandoque idem sonare, quod anathema; ùt videre est in Trident. *sess. 25. cap. 3. de Reform.* quandoque tamen anathema usurpatur à Sacris Canonibus pro peculiari termino exprimente Sententiæ severitatem in excommunicandis Hæreticis, & accidentales quasdam alias solemnitates, ut denunciationem, & condemnationem adhibitis Cœremonijs, in aliorum terrorem, v. g. ut Episcopum 12. Sacerdotes circumstent, qui lucernas ardentes in detestationem Excommunicati in terram elidant; ùt habet *cap. Debent, 11. q. 3.*

4. Nota tertiò: Excommunicatio dividitur primò in Majorem, & Minorem, *cap. Si quem 59. hoc tit. Major* est pœna omnium gravissima in Ecclesia, *can. corripiantur 17. caus. 24. q. 3.* quem gladium spiritualem Judex Ecclesiasticus non debet evaginare, nisi postquam alia media pœnæ, & monitiones non profuerint, secundùm Trident. *sess. 25. cap. 3. de ref.* Consistit autem hæc Censura in privatione totali communionis Fidelium; id est in privatione omnium Sacramentorum activè, & passivè, id est tam perceptionis, quàm administrationis eorundem; item in privatione publicorum suffragiorum Ecclesiæ: item in privatione convictûs civilis cum Fidelibus; in privatione sepulturæ, & pluribus alijs: Unde hæc Excommunicatio dicitur simpliciter privare communione Fidelium. De quibus omnibus effectibus plura in sequentibus. *Minor Excommunicatio* est pœna spiritualis medicinalis, privans tantùm passivâ perceptione Sacramentorum; non verò reliquis bonis spiritualibus Christi Fidelium; unde dicitur tantùm secundùm quid privare communione Fidelium, *cap. pen. hoc tit.* Vocatur autem *Minor* non propter parvitatem objecti; quia ex se est gravis res privari participatione passivâ Sacramentorum; sed per comparationem ad Excommunicationem Majorem, superiùs descriptam.

5. Nota quartò: præterea *Secundò* partitur Excommunicatio in illam, quæ fertur ab homine, seu Judice Ecclesiastico; & illam, quæ fertur à Jure ipso. *Prima* est illa, quæ infligitur per sententiam Judicis competentis. *Secunda* est, quæ fertur per ipsos Canones. Differentia inter has duas Excommunicationes est, quòd lata ab homine extinguatur morte, vel depositione inferentis; lata verò à Jure perpetuò durat, etiam post mortem Legislatoris; quousque lex contraria introducatur. *Tertiò* dividitur in illam, quæ est latæ sententiæ; & illam quæ est ferendæ sententiæ. *Excommunicatio latæ sententiæ* est, quæ ipsô factô incurritur per criminis admissionem. *Excommunicatio ferendæ Sententiæ* est, quæ demum per Sententiam Judicis incurritur. *Quartò* rursus Excommunicatio alia est *generalis*; quæ fertur in communi contra omnes, qui patrarunt tale crimen. Alia *specialis*, quæ fertur contra personas particulares criminosas, expressis eorum nominibus, v. g. contra Joannem, Paulum &c.

6. Nota quintò: ad Excommunicationem infligendam non est necessariò adhibenda aliqua determinata formula verborum: sed sufficit eam taliter proferri, ut de præsenti exprimatur signis externis scripturæ, vel voce determinata mens excommunicantis; ùt notat ex Tannero Pirh. nam in Jure nulla assignatur determinata formula hujus Censuræ. Unde sufficit, si excommunicans dicat, vel scribat sic; *privo, segrego, separo Petrum à Communione Fidelium.* Modus tamen procedendi ad Sententiam Excommunicationis assignatur in Jure *cap. Cùm Medicinalis 1. hoc tit. in 6.* quem vide *ibidem*. Excommunicatio Major ex dictis supra *not. 3.* habet plures gravissimos effectus, quos hìc per specialia Jura placet ostendere. Unde

7. Dico secundò: Excommunicatio ista privat usu passivo Sacramentorum omnium, ita ut excommunicatus non possit licitè percipere ulla Sacramenta. Ita Suarez, Herincx &c. Et constat ex *cap. Cùm illorum.* Et *cap. si qui etiam, de Sent. Excommun.* Et *cap. Apostolicæ*, & pluribus alijs.

8. Nota autem sextò circa hunc effectum: licèt existens in Excommunicatione peccet mortaliter, recipiendo aliquod Sacramentum; validè tamen illud suscipiet, quoad subje-

subjectum, licèt non semper quoad effectum generalem, cui obicem ponit; uti docet Bonacin. Nav. &c. Quod etiam verum est de Sacramento, si recipiens ignoret suam Excommunicationem; aut licèt eam sciat, ignoret tamen inculpabiliter, se non posse accedere ad Pœnitentiæ Sacramentum, propter Excommunicationem: juxta Regin. Suar. Valent. &c.

9. Dico tertiò: Excommunicatio Major privat etiam administratione activâ Sacramentorum, & Celebratione. Ita Suar. Herincx, Navar. & communis DD. Et constat primum ex *cap. Illud de Clerico excommunicato.* Advertendum tamen est, quòd in necessitate, & absentia alterius Ministri, Excommunicatus Minister possit administrare Sacramenta. Extra necessitatem, si Excommunicatus administret, validè quidem administrat, sed non licitè. Excipe Pœnitentiæ Sacramentum, quod invalidè ab Excommunicato administratur extra necessitatem, defectu Jurisdictionis. Ratio secundi sumitur ex *cap. Latores.* Et *cap. Illud.* Et *cap. Fraternitas, de Clerico Excommunicato.* Excusat tamen necessitas communicandi moribundum, gravis morbus, periculum infamiæ; uti tenet Herincx, Præposit. &c.

10. Dico quartò: Excommunicatio Major privat etiam communibus Ecclesiæ suffragijs, Orationibus, & fructu resultante ex concessione Indulgentiarum. Ita cit. Scholast. & Canonist. cum S. Gregorio *lib. 2. Dialog. cap. 23.* Et constat ex *cap. à nobis, de Sentent. Excommun.* Et *cap. Sacris.* Unde dicit S. August. *tract. 27. super Joan. cap. 6. Nihil sic debet formidare Christianus, quàm separari à Corpore Christi; tunc enim non vegetatur spiritu ejus:* subintellige per suffragia Ecclesiæ, Orationes, Indulgentias, &c.

11. Nota septimò: per communia Ecclesiæ Suffragia hic intelligi ea, quæ à Clero Ecclesiæ nomine, & tanquam ejus Ministris offeruntur pro Fidelibus; uti sunt sacrificia Missæ, Officia Divina, Supplicationes publicæ, & similia. Privata tamen suffragia, & opera pia quivis ùt privatus homo suo nomine & Christi licitè potest offerre pro Excommunicatis; uti docet Covar. in *cap. Alma Mater*, Navar. Angelus, Sylv. &c.

12. Dico quintò: Excommunicatio Major privat etiam licentiâ frequentandi Divina Officia. Ita Red. Herincx, Navar. & communis. Sunt autem Officia Divina, Sacrificium Missæ audiendum, Horæ Canonicæ, Processiones communes, similesque functiones Ecclesiasticæ. Et constat per *cap. Alma Mater, de Sent. Excomm.* per *cap. Nuper.* Et per *cap. significavit.* Quod intelligitur de Excommunicatis non toleratis: tolerati enim non prohibentur his interesse.

13. Nota octavò: si Excommunicatus non toleratus sit in Ecclesia, debet Sacerdos sistere in Missa, quousque expellatur: qui si expelli nequeat, debet Sacerdos recedere ab Altari, etsi sit in Canone, modò adhuc sit ante verba Consecrationis; ùt habent DD. Suar. *disp. 12. Sect. 1.* Sylv. verbo *Excommunic. 5. n. 3.* Laym. &c. Quòd si Consecratio esset incepta, vel peracta, Sacerdos usque ad Calicis sumptionem inclusivè peragere debet Missam; reliqua verò dicere in Sacristia, vel omittere, si talis debitus locus non sit. Ita DD. communiter Henr. Layman. &c.

14. Nota nonò: licèt ad publicam recitationem horarum non possit nec teneatur accedere Excommunicatus non toleratus; ad privatam tamen recitationem tenetur; non autem dicere ly *Dominus vobiscum*, cùm hoc pertineat ad exercitium Ordinis; uti notat Herincx, Abbas, Avila, &c. DD.

15. Dico sextò: Excommunicatio Major privat similiter exercitiô Jurisdictionis: hinc ejus acta sunt invalida. Ita Castro Palao, Red. Herincx, & est communis DD. sensus. Et constat ex *cap. Audivimus 24. q. 1.* Et *cap. Si is cui, de officio delegati in 6.* Et *cap. 1. de Officio Vicarij in 6.* Intelligitur autem Conclusio de Excommunicatis non toleratis. Nam acta Excommunicati tolerati post Concil. Constant. v. g. inflicta alteri Excommunicatio ab Excommunicato; item Ecclesiastici beneficij collatio &c. est valida; uti habet Lessius, Gutier. &c.

16. Dico septimò: Excommunicatio Major arcet Excommunicatum à Susceptione valida beneficij cujusvis. Ita Garcias, Lessius Navar. & communis. Et habetur ex *cap. Postulastis.* Et *cap. ult. de Clerico Excommunicato.* Conclusio autem ista verificatur, tam pro non toleratis; quàm toleratis; uti habet Her. Item pro ignorantibus etiam invincibiliter suam Excommunicationem; ùt habet Covarr. Henriq. &c. Et tametsi collatio beneficij esset facta à Papa motu proprio; nisi sciret Papa Excommunicationem; vel nisi Excommunicatum ob cautelam priùs absolveret; uti fit communiter his verbis: *Ad effectum præsentium duntaxat consequendum*; uti habet cit. Her. & alij DD.

17. Ex his infertur; si Excommunicatus obtineat durente Excommunicatione beneficium, eum non facere fructus beneficij suos; sed teneri ante Sententiam Judicis ad restitutionem;

tionem; utì habent communiter DD. De fructibus, verò natis tempore Excommunicationis ex beneficio, quod ante Excommunicationem debitè obtinuit, dicunt Excommunicatum hujusmodi fructus posse retinere, usque ad Sententiam Judicis. Ita Avila, Con. Sanch. &c.

18. Dico octavò: Excommunicatio Major removet à Communione forensi: unde nec Judicis, nec Tabellionis, nec Advocati, nec Testis munus agere potest Excommunicatus. Ita Reding, Castro Palao, Herincx, & communis Canonist. Et constat de *Judice* per *cap. Decernimus, de Sent. Excomm. in 6.* De alijs verò per *cap. Ad probandam, de Sent. & re judicata.*

19. Dico nonò: Excommunicatio Major privat similiter omni politicâ communione Fidelium. Est communis Canonist. Et intelligitur per *politicam communionem*, omnis humana Societas, facta per verba, nutus, litteras, nuntium, munera, per contractus, commercia, cohabitationem, communem mensam; item iter, & convenientia socialis; non tamen casualis in eadem domo, balneo, &c. Breviter omnes actiones prohibitæ cum Excommunicatis sequenti versu continentur:

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Et constat ex *cap. 2. de except.* Et *cap. Nuper.* Et *cap. Excommunicatio 11. q. 3.*

20. Nota decimò: etiam ipsos Fideles esse prohibitos, sub peccato cum Excommunicatis communicare, in dictis actibus; utì habetur *cap. Illud DEUS de Clerico Excommunicato*; nisi adsint justæ causæ, quæ sequenti versu exprimuntur:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Ly *utile* denotat notabilem utilitatem corporalem; vel spiritualem communicantis, vel Excommunicati, quæ excusat à peccato communicantem cum Excommunicato; utì habet Layman. Ly *lex*, id est Matrimonialis, ostendit Conjuges posse communicare, petere debitum, & alia necessaria secum tractare; ùt habet Cajetan. Sanch. Laym. &c. Ly *humile* exprimit subjectionem, & permittit, ut liberi, nepotes, avi, & proavi, gener, nurus, pupilli, Minorennes, & famuli possint cum Excommunicato Patre, cognato, affine, tutore, & Domino communicare licitè; utì habet *cap. Quam 11. qu. 3.* Ly *res ignorata* monstrat ignorantiam Juris, & facti, modò crassa non sit, vel affectata, excusare à culpa, si communicetur. *Necessitas* permittit communicationem omnibus illis, qui ob habitos contractus cum Excommunicato debent negotiari necessariò; Item ut Excommunicatis pauperibus Eleëmosyna detur, hospitiô recipiantur &c.

21. Dico decimò: Excommunicatio Major privat Sepulturâ Ecclesiasticâ, si Excommunicatus in ea moriatur: Ita communis apud Navar. Barbos. & Canonist. Et constat per *cap. Sacris, de Sepultur.* Et Clementina 1. *eod. tit.*

22. Nota Undecimò: hìc doctrinam particularem; quòd privatio communionis Fidelium tam in sacris, quàm profanis negotijs cum excommunicatis, de qua *in superiorib. conclusion.* actum fuit non intelligatur de toleratis Excommunicatis; sed de solis non toleratis, & evitandis; vel si sint notorij Clericorum percussores. Nam Anno 1414. in Concil. Constantiensi ad Schisma inter tres Pontifices tollendum, Ecclesiæq; pacē restituendam, postea confirmata à Martino V. legitimo Papa, edita est Constitutio *ad evitanda &c.* quam refert Soto, Gutier. Navar. itemq; confirmata à Leone X. in Concil. Lateran. cujus summa hæc est: Ad evitanda animarum pericula statuit S. Synodus, ut nemo deinceps quemquam ratione alicujus Sententiæ, aut Censuræ Ecclesiasticæ à Jure, vel ab homine generaliter promulgatæ, in Sacramentorum administratione, receptione, aut ijs quibuscunque rebus divinis, vel externis vitare, aut interdictum observare teneatur; nisi sententia hujusmodi &c. specialiter à Judice publicata, vel denuntiata fuerit; eô exceptô, qui ob sacrilegam manuum injectionem in Clericum, Excommunicationem Canonis notoriè incurrit, &c. Unde vigore hujus Constitutionis nunc in his nostris Septentrionalibus Regionibus evitare non tenemur Hæreticos, alioquin Excommunicatos; modò denuntiati non sint;

23. Dico undecimò: Excommunicatio Minor non contrahitur de factò, nisi ob causam participationis in rebus prohibitis, cum Excommunicato Majori denuntiato non tolerato, aut cum notorio percussore Clerici. Ita DD. communiter. Et constat ex *cap. Cum Excommunicato 11. q. 3. cap. Nuper, de Sent. Excommunicationis.*

24. Nota duodecimo: quòd hæc Excommunicatio incurratur, sive quis communicet Excommunicato vivo, in Sacris, vel Civilibus; sive mortuo, eum lavando, vestiendo &c. quia cùm non communicemus vivo, nec mortuo debemus communicare, ex *cap. Nobis 2. de Sent. Excommun.* Eam verò non incurrit communicans cum Excommunicato tolera-

to; uti habet Constitutio Concilij Constant. *Ad evitanda.* Neque communicans cum Excommunicato Excommunicatione Minori; cùm nullum Jus hoc doceat.

25. Dico duodecimò: duos tantùm habet effectus Excommunicatio Minor, videlicet privationem perceptionis activæ Sacramentorum; & passivæ electionis, præsentationis, collationisq; beneficij Ecclesiastici. Ita communis Canonist. Et constat per *cap. Si celebres de Clerico Excommunicato ministrante.* Ex conclusione ista inferunt DD. eum peccare mortaliter, qui innodatus Minori Excommunicatione recipit Sacramenta. Non verò qui administrat, ùt habet Regin. & Covar. Imò nec venialiter quidem; uti habet Navar. Henriqu. Bonac. Filliuc. &c. Cùm nec ratio, nec lex oppositum suadeat.

26. Nota decimo tertiò: Excommunicatio Major, vel etiam alia Censura Ecclesiastica non debet infligi ob quodvis peccatum; sed ob mortale; uti constat ex Trident. *sess. 25. cap. 3. de refor.* Et quidem pro infligenda Excommunicatione Majori debet esse peccatum inobedientiæ, seu contumaciæ, uti colligitur ex *can. quisquis 19. caus. 2. q. 6.* Insuper debet esse peccatum externum; nam propter internum, & mente occultatum non solet Ecclesia censuras ferre; utpote quæ non judicat de occultis, *cap. Sicut 33. in fine de Simon.* Debet etiam esse completum peccatum, seu actus consummatus; uti notant DD. hìc.

27. Nota decimò quartò: ut Excommunicatio lata à Judice incurratur, & sit valida, debet eam necessariò præcedere trina omnino monitio; uti habetur *cap. Sacro.* Et *cap. Statuimus.* Et *cap. Constitutionem hoc tit. in 6.* Unde non sufficit una pro tribus facta; nisi in ea contineantur tria interstitia; uti notat Vallens. Et quævis trium dictarum monitionum debet continere intervallum duorum, vel trium dierum ad arbitrium Judicis; uti habet Covarr. Debent etiam monitiones istæ fieri quoad potest personaliter ipsi Reo; nisi is malitiosè latitet; quo casu sufficit, si citatio cum comminatione fiat ad ejus domum, vel ad valvas Ecclesiæ, vel ad alium locum publicum; uti habet Pirh. Et si is per contumaciam non compareat, etiam absens excommunicari potest; uti tenet Covarr. &c. Ad incurrendam verò Excommunicationem latam à Jure pro futura culpa, ad ejus valorem non requiritur trina monitio, *cap. reprehensibilis*, junct. Gloss. ver. *ipso suo genere, de appellat.* Quia hìc lex ipsa monet sufficienter.

28. Nota decimò quintò: ignorantia facti concomitans excusat ab incursu Excommunicationis; ùt si quis percutiens Clericum; ignoret ipsum esse Clericum, *cap. Clericus 5. de vit. & honest. Cleric.* similiter excusat ignorantia inculpabilis, seu probabilis Juris Ecclesiastici, sive communis, sive particularis prohibentis aliquid sub Excommunicatione; uti habet Azor. & Suar. Præterea ignorantia invincibilis non tantùm Juris Ecclesiastici prohibentis aliquid sub incursu censuræ; sed etiam sola ignorantia ipsiusmet pœnæ, sive Censuræ excusat ab eodem incursu; uti constat ex *cap. 2. de Constit. in 6.* Demum etiam ignorantia vincibilis, & culpabilis sive facti, sive Juris imponentis Censuram excusat ab Excommunicationis incursu; dummodo non sit crassa, aut supina; uti habet Sanch. Laym. Pirh. &c. Et colligitur ex *cap. cit. 2.* Excusat quoque metus gravis, cujusmodi est metus mortis, mutilationis, infamiæ &c. uti tenet Suar. & Pirh.

CAP. III.

Variæ aliæ resolutiones circa Excommunicationes quasdam particulares.

1. NOta primò: plurimæ extant in Corpore Juris, Concilijs, & Bullis Pontificijs species Excommunicationis, quarum usitatiores vide in elenchum redactas in *Schola mea Theologica, tom. 3. tract. de Censur. disp. 1. q. 4.* Quæ deinde tanguntur *hoc tit.* Juris, breviter in sequentibus evolvam. Priùs autem ventilabo illam solemnem Excommunicationem, quam edidit Concil. Lateran. sub Innocentio II. *cap. 15.* contra percutientes Clericum, vel Monachum; & refertur *can. Si quis suadente 29. caus. 17. q. 4.* ubi dicitur, *si quis suadente Diabolo in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat: & nullus Episcoporum præsumat eum absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur; & ejus mandatum suscipiat.* Cape singularum partium brevem elucidationem. Et

2. Nota secundò: ly *si quis* terminatur ad omnia individua sexûs masculini, & fœminini, cujuscunque ordinis, gradûs, & conditionis, etiam in Ecclesiastico Ordine existentia, si aliunde sint capacia peccati, & excommunicationis; uti notat Molina, Avila &c. Ly *in Clericum* comprehendit tam Ordinibus initiatum, quàm tantùm primâ tonsurâ tonsuratum, *cap. Cùm contingat, de ætat. & qualitate Ordin.* Item Clericum

cum

eum mortuum; ùt habet Abbas in *cap. A nobis, de Sent. Excommun.* Cùm & huic injuria fieri possit in corpore.

3. Nota autem tertiò: hoc Privilegium non favere Clericis omnibus: & Primò *Clericis Bigamis* non favet: hi enim omni Privilegiô Clericali dicuntur nudati, *cap. unic. de Bigamis in 6.* Unde percutiens talem non excommunicatur. Secundò pariter non favet *Clericis Conjugatis*, etsi bigami non sint; nisi tonsuram, & habitum Clericalem gestantes alicui Ecclesiæ serviant; uti habetur *cap. ult. de Clericis Conjugatis.* Et in Trident. *sess. 23. c. 6. de Refor.* Tertiò nec favet etiam *Clericis Hæreticis, & Schismaticis*; ùt habet Carterius, Decianus, Portel &c. Quartò non favet *Clericis immiscentibus se enormitatibus*, v. g. Seditioni, prælio, aggressioni, & hujusmodi; uti patet ex *cap. Perpendimus.* Quintò nec *Clericis* etiam Majorum Ordinum, *qui dimissô habitu negotijs sæcularibus se immiscent, si tertiò ab Episcopo moniti se emendare contempserint;* uti dicit *cap. Contingit, de Sent. Excommun.* Sextò neque *Clericis ante baptisma suscipientibus Ordines*, ùt habet Brug. Septimò neque *Clericis coactè ordinatis cum conditione, ut postea ordinationem ratificent;* uti tenet Ant. Sayrus, Sylv. &c. Octavò non favet *Clericis per annum exercentibus artem ignominiosam mimi, vel histrionis.* Nec *exercentibus officium Lanionis, aut Cauponis* post admonitionem Episcopi; ùt habet Clement. *1. de vita & honestate Clericorum.*

4. Ly *vel Monachum*, complectitur Religiosos utriusque sexûs sequentes. Primò Omnes Professos etiam FF. Laicos, Conversos, & Conversas in approbata Religione; uti patet ex *cap. Non dubium de Sent. Excommunic.* Secundò etiam Professos, qui in sæculo erant Bigami, uti habet Archi-Diaconus in *cap. Quisquis dist. 84.* Brug. &c. Tertiò Novitios approbatæ Religionis; uti constat ex *cap. Religioso, de Sent. Excommunic.* Quartò Tertiarios, & Tertiarias cujuscunque Ordinis Regularis, collegialiter viventes, seu cum Claustralibus degentes: etiam Mulieres, quæ emissô expressô votô cœlibatûs, in habitu alicujus Ordinis vivunt. uti docet Leo X. in Bulla; *Ea, quæ per sedem.* Quintò Eremitas, qui emissô votô paupertatis in aliqua Congregatione, sub aliquo Prælato vivunt stabiliter: Secùs dicendum de vagis; ita Glossa in *cap. Qui verè 16. q. 1.* Sextò Equites S. Joannis Hierosolymitani, S. Jacobi, Calatravæ, Alcantaræ, S. Lazari in Sabaudia, S. Stephani Florentiæ, & similes, qui tria vota Castitatis, Paupertatis & Obedientiæ emiserunt, & in communi vivunt; aut si non sic vivant, tamen communicata sint eis Privilegia Clericalia, cujusmodi videntur esse Melitenses, & Teutonici Equites; uti tenet Navar. Alterius, Hugolin. Bonac. &c. Ly *suadente Diabolo* postulat ad incurrendam hanc Excommunicationem gravem injuriam, mortale peccatum, & externam actionem injuriosam. Ratio est; quia secundùm Doctores, Ecclesiastici Canones ordinati pro Ecclesiastica disciplina externa, plerumque solent tantùm punire graves excessus externos; Ly *Manus Violentas* comprehendit quamvis contumeliosam, & injuriosam actionem externam circa Clericum consummatam, sive immediata sit, sive mediata; unde excommunicantur sequentes; *Primò*, Detinentes Clericum in publica custodia, vel alio loco, unde exire nequeat; uti tenet communis Canonistarum. *Secundò*; qui occidit Clericum cibo, vel potu intoxicatô; secundùm Molinam, Barbosam, & Bonacin. *Tertiò* verberans Clericum, etiam consentientem, in satisfactionem commissi delicti, *cap. Contingit 1. de Sent. Excommunic.* Hìc enim fit injuria Ecclesiæ: Unde Clericus non potest consentire in talem verberationem sui. *Quartò* Clericus sibi ipsi verbera graviter infligendo, animo irato; secundùm Navar. & Clarum cum alijs. *Quintò* violenter extorquens rem aliquam positam in manibus, vel corpore Clerici: vel eundem conspergens aquâ, pulvere, lapillis, vel ita persequens, ut in flumen, vel fossam labatur: injiciens manus in equum, cui Clericus insidet, occidens, vulnerans, mutilans, aut retentô frænô sistens equum eundem: & similia faciens, quæ in contumeliam manifestam Clerici, & læsionem injuriosam honoris debiti Clerico vergunt, *cap. Nuper, de Sent. Excommunic.* & docent communiter DD. post Suar. Laym. Brug. &c. *Sextò* Consulentes, & mandantes, ut violentæ manus injiciantur Clerico insonti; nisi hi efficaciter, & seriò retractaverint mandatum, & consilium ante opus executum. Similiter incidunt in eam non prohibentes, si ex officio aliàs teneantur: item ratam habentes percussionem suo nomine factam excommunicantur; uti habet Suar. Laym. Navarr. & Brug. Et deducitur ex *cap. Mulieres §. ult.* Et *cap. Quantæ, de Sent. Excommunic.*

5. Nota quartò: Ab incursu hujus Excommunicationis excusari sequentes; *Primò* Excusantur pueri percutientes Clericum, non haben-

habentes adhuc judicium ad peccandum; uti tenet Henriq. Farinacius, & Navar. *Secundò*, non baptizatus percutiens Clericum: uti colligitur ex *cap. Postulâsti qualiter, de Judæis & Saracenis.* *Tertiò* percutiens Clericum vestitum laica veste, & non deferentem tonsuram, probabiliter putans eum esse Laicum; sicut Constat ex *cap. si verò 2.* vel putans eum esse inimicum suum sæcularem. Ut habet Covarr. Bonacin. Sayr. *Quartò* volens colaphô percutere Petrum Laicum, sed aberrat ictus, & infligitur Joanni Clerico, secundùm Suar. Ægidium &c. *Quintò* percutiens Clericum aggressorem sui, vel alieni corporis, servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ; uti Constat ex *cap. Si verò, de Sent. Excommunic.* *Sextò* percutiens Clericum, quem invenit cum propria Uxore, Matre, Cognata, Filia, vel Affine, turpiter se gerentem, per oscula & turpes tactus; vel ipsum actum carnalem exercentem: Secus si cum aliena fœmina; uti deducitur ex *cap. si verò*, tenetque Glossa, & Hostiensis in Summa. *Septimò* Mulier ob defensionem castitatis, & honoris, colaphizans, vel aliqualiter verberans Clericum, osculantem vel tangentem se inhonestè, modò servet moderamen in defensione; uti docet Navar. Suar. Laym. Brug. &c. *Octavò* Magister, Pater, & Superior causâ correctionis leviter sinè odio percutiens Clericum, ùt habet Abbas, Suar. Laym. Brug. Et deducitur ex *cap. Ex tenore 1.* *Nonò*, mittens manum in Clericum, de mandato sui Superioris, eum capiendo; uti habetur *cap. Ut famæ, de Sent. Excommunic.* *Decimò*, Exorcista verberans leviter Clericum obsessum à Dœmone, in contemptum Dœmonis; secundùm Brug. *loc. cit.* *Undecimò*, apprehendentes, & detinentes Clericum, in flagranti deprehensum, & tentantem fugam; dummodo eum statim debito Superiori consignent *cap. si verò*, & habet Abbas, Menoch. Hostiens. &c. *Duodecimò*, percutiens Clericum jocô, sinè indignatione, vel inimicitia, uti tenet Glossa verbo *de familia*, in *cap. Cùm voluntariò*, & Hostiensis, de Graffijs &c. Item percutiens absque deliberatione, seu ex motu primo, dummodo retrahat manum, quando advertit se errare, secundùm Barbosam & Brug. Idem est de percutiente cum imperfectione actûs, non pertingentis ad culpam mortalem, ùt habet Suar. & alij DD.

6. Ly tandem *Et nullus Episcoporum ipsum absolvere præsumat &c.* Ostendit Censuram hanc Papæ esse reservatam; quod intelligendum est, si notoria sit, & enormis: si enim occulta sit, & non enormis potest Episcopus ab ea absolvere; uti Colligitur ex *cap. Pervenit.* & Trident. *sess. 24. cap. 6.*

7. Nota autem quintò: censeri levem percussionem illam, quæ fit pugnô, palmâ, pede, digito, baculo, vel lapide, nullam relinquens maculam, suggillationem carnis, & quæ fit absque abscissione membri, sinè effractione dentis, vel evulsione multorum capillorum, & sinè multi sanguinis effusione. Enormis erit *primò*: si intulerit quis mortem, mutilationem membri, effossionem oculi, magnam sanguinis effusionem ex vulnere. *Secundò*, illa quæ fuit commissa in Episcopum, Abbatem, vel Superiorem Monasterij, in Sacerdotem vestibus Sacris indutum, pariter si Monachus percutiat Clericum Sæcularem, ratione scandali, si percussio fiat in præsentia Prælati, vel Judicis, si in Ecclesia tempore magnæ solemnitatis publicè, &c. secundùm Brug. Sayrum, Astensem, &c.

8. Nota sextò circa Excommunicationes Capitulorum *hujus tit.* speciales: si quis in fratrem suum Clericum occultè violentas manus injecerit, per quam incurritur Excommunicatio; pœnitentiâ autem ductus, & non convictus, occultè veniam petat, ab Episcopo loci monendus est, ut congruè satisfaciat illi, quem læsit, & pro absolutione Papam adeat, *cap. Porrò 7. hoc tit.* Verùm hodie talis occultus percussor potest ab Episcopo absolvi, uti constat ex Trident. *sess. 24. cap. 6. de ref.* Præterea percussores temerarij Monachorum statim vitandi sunt, quàm primùm constat eos esse excommunicatos, quamvis nondum sint denunciati; occultus quidem occultè, publicus publicè, *cap. Cum non ab homine 14. hoc tit.* A Sententia etiam Excommunicationis latæ contra percussores tales non licet appellare, quando constat notoriè de tali percussione. Nec propter factam appellationem quis impeditur à denunciando, vel vitando, *cap. Parochianos 9. eod.*

9. Nota septimò: occidens Clericum, qui enormitatibus se se immiscet, ùt si commoveat seditionem, &c. non incurrit Excommunicationem latam contra percussores Clericorum *cap. Perpendimus 23. hoc tit.* Talis enim Clericus jam perdiderat privilegium Canonis. Pœnitentia tamen competens tali occisori imponenda est ab Episcopo, *ibidem.* Percussores Clericorum à Cardinalibus, & à Legatis Apostolicis à latere absoluti, censentur de Jure communi verè absoluti ab Excommunicatione, incursa *cap. Ad eminentiam 20. hoc tit.*

10. Nota octavò: Omnes hæretici utriusque sexûs, eorumque fautores, receptores, & defensores Excommunicationem incurrunt, *cap. noverit 49. hoc tit.* Et *cap. Gravem 53. eod.* Item

Item edentes, & servari mandantes statuta contra Ecclesiasticam libertatem, *ibid.* Uti & Scriptores eorundem Statutorum, *ibidem* Item absoluti ab Excommunicatione, cum onere tamen comparendi tempore comodo, si non compareant, reincidunt in Excommunicationem similem priori, *cap. Eos qui 22. hoc tit. in 6.* Uti & absoluti à Papa, vel ejus Legato, cum conditione tamen, ut se præsentent suo Superiori immediato, *ibid.* Item qui Ecclesias effringunt, & spoliant, sunt ipso Jure excommunicati, *cap. Conquesti 32. hoc tit.* Item incendiarii Ecclesiarum sunt pariter ipso Jure excommunicati, *cap. Tua nos 19. hoc tit.* Item Clerici participantes scienter in Divinis cum excommunicatis à Papa sunt Excommunicationi subjecti, *cap. Significavit 18. hoc tit.* Circa absolutionem ab Excommunicatione, & aliis Censuris

11. Dico primò: absolutionem Excommunicationis, vel alterius Censuræ reservatæ, & latæ ab homine per sententiam particularem, impertiri possunt soli sequentes: nempe ferens Excommunicationem, vel Censuram; Superior ferentis; Successor ferentis; & delegatus legitimè ad talem absolutionem. Ita Brug. Suarez, & Canonistæ communiter. Et de *ferente* constat ex *cap. Verbum d. 1. de Pœnit.* ubi dicitur *par est jus solvendi, & ligandi.* De *Superiore* habetur ex *cap. Sacro, de sent. Excommunic.* Estque Ratio; quia Superior ordinarius, habet ordinariam Jurisdictionem Excommunicationem, & Censuram ferendi, De *Successore* patet per *cap. Si Episcopus 11. qu. 3.* Et *cap. 1. de Major. & Obedien.* De *delegato*, est Ratio; quia hic acquirit hujusmodi facultatem absolvendi vi delegationis, & agit personam Ordinarii.

12. Ex dictis infertur *primò*: Episcopos, & alios Superiores non posse Jure ordinario absolvere ab Excommunicationibus notoriis Papæ reservatis: nec unum Episcopum posse alterius Episcopi subditum, Excommunicatione & Censurâ ab altero vivente innodatum, absolvere : cùm nec sint ferentes ullas Excommunicationes, & Censuram subditi alieni: nec Superiores, nec Successores Papæ, aut alterius Episcopi viventis. Unde dicitur *Can. 82.* Concil. Nicæn. Arabici, *Nullus Episcopus solvat, quem alius Episcopus ligavit, quamdiu ille, qui ligavit vixerit.* Infertur *Secundò*: Capitulum Sede vacante posse absolvere ab Excommunicationibus, & Censuris, ab Episcopo demortuo latis. Est enim succedens in Jurisdictione Ordinarii. Et habetur clarè *cap. 1. de Major. & Obed. in 6.*

13. Dico secundò: absolutionem Excommunicationis, & censuræ reservatæ, latæ tamen ab homine per generalem sententiam, quivis impertiri potest, qui vel Jure ordinario, vel ex privilegio habet facultatem absolvendi à Censuris, per Jura, vel statuta positis. Ita Covarr. Tolet. Laym. &c. Et est Ratio; quia hujusmodi Excommunicatio, & Censura non censetur esse Sententia Judicis, simpliciter ab alio irrescissibilis, sinè violatione Jurisdictionis: sed est tantùm mandatum, sub tali pœna ordinatum; ac proinde æquiparatur Censuris Juris, & Statuti, sumptô argumentô, ex *cap. Nuper de sent. Excommunic.* ubi admittitur tantùm duplex sententia Excommunicationis, Juris, & Judicis, quarum ultima absolvi debet ab ipso Judice; prima verò ab omni Ordinario, vel Privilegiato; nisi sit reservata auctori Excommunicationis, & Censuræ specialiter in ipso tenore Excommunicationis, & Censuræ.

14. Dico tertiò: ab Excommunicationibus, & Censuris latis per Jura sinè reservatione, absolvere potest quivis Jurisdictionem habens absolvendi à mortalibus. Ita Navar. Suarez, Avila & communis. Et constat ex *cap. Nuper, de sent. Excommun.* Et Ratio est; quia non est limitata Confessariorum facultas, nisi obstent Jura: adeóque quando Jura non reservant absolutionem Excommunicationis, & Censuræ, poterit quivis absolvere Excommunicationem, & Censuram.

15. Dico quartò: Episcopi possunt absolvere ab omnibus, casibus & Censuris Juris; item Antecessorum suorum, & Summ. Pontif. & hoc per se, vel suum delegatum; si tamen casus illi Pontificii sint occulti. Ita Bonac. Barbos. Suarez, Brugnoli, & communis DD. Et constat ex Trident. *sess. 24. cap. 6. de Reform.* hoc Privilegium Episcopis concedente: In quod etiam succedit Capitulum Sede vacante.

16. Notant tamen Molin. Sanchez & alii, Episcopos ex prædicto Tridentini Privilegio non posse ordinariè absolvere à Casibus, & Censuris Bullæ Cœnæ; nec ab Excommunicatione, & Censura incursa ob violatam immunitatem Ecclesiasticam; uti declaravit S. Congregatio, Anno 1617. & refert Barbosa *Collect. Constitut. Apostol.* verbo *absolutio.* Possunt tamen etiam ab his Casibus, & Censuris Bullæ Cœnæ, ac violatæ Immunitatis absolvere eos, qui Pontificem adire nequeunt, ob pauperiem, infirmitatem; vel si excommunicata persona sit fœmina, impubes, aut laboret simili impedimento; quod prudentis judiciô ponderari debet : uti habet Navarr. Henriqu. Vasq. Gutier: &c. DD.

17. Nota nonò: Quando alicui conceditur Privi-

Privilegium, vel authoritas delegata ad absolvendum ab Excommunicationibus, & Censuris, in quo nil exprimitur determinatè de foro; potest is absolvere in foro conscientiæ interno, ac externo. Ratio est; quia beneficium latissimè est interpretandum, per *L. Beneficium, ff. de Constit. Principum.* Excipe: nisi ex circumstantiis, & materia subjecta colligi possit clarè, mentem concedentis fuisse pro solo foro conscientiæ, in favorem animæ, qualiter censetur esse, quando in Bullis Jubilæi conceditur Confessariis absolutio ab omnibus casibus, etiam enormibus Excommunicationibus & Censuris, quod volunt pro foro conscientiæ tantùm valere; utì habet Covarr. Avila Gutier. &c. quia pro enormibus, & publicis casibus videtur Papa velle vindictam publicam, & Reipublicæ satisfactionem in foro externo: Unde qui virtute Jubilæi esset in foro conscientiæ absolutus ab Excommunicatione majori notoria; adhuc abstinere deberet à Sacris, & aliis, in Excommunicatione illa contentis, ac si absolutus non esset, quousque absolutionis beneficium obtineat; vel usque dum constet publicè de legitima absolutione obtenta, secùs dicendum, si Casus illi enormes, & Censuræ annexæ essent occulta, & jam sublata per absolutionem virtute Jubilæi.

18. Dico quintò: quivis Sacerdos simplex, etiam degradatus, excommunicatus, irregularis, & hæreticus in articulo mortis absolvere potest ab omnibus Excommunicationibus, Censuris, & reservatis casibus; si Superior, vel alius Confessarius haberi nequeat. Ita Coninck, Sà, Brug. & communis. Et constat ex Trid. *sess. 14. cap. 2.* Conc. Carthag. *3. can. 32.* Et Rationem dat Tridentinum; quia Ecclesia ferens Censuras neminem propter eas vult perire in articulo mortis.

19. Nota decimò: si taliter absolutus convalescat; eum postea debere necessariò se sistere legitimo Superiori, quàm primùm commodè poterit; utì habetur *cap. de cætero, de sent. Excommun.* non ut iterum absolvatur; quia verè fuit absolutus in articulo mortis ab Excommunicatione, Censuris, & reservatis; ùt docet Zambranus, Barbosa, Ricciulus, &c. Sed ut ostendat se obedientem, ad recipiendam debitam medicinam; & ad exhibendam majorem satisfactionem; utì habet Suar. & Covar. aliàs hoc negligens reincidit in Censuras; ùt declarat Bonifacius VIII.

20. Nota præterea undecimò: quòd à tali pœnitente ab Excommunicatione, & Censuris absoluto in articulo mortis, Confessarius ille simplex extorquere debeat, si capax sit pœnitens, juramentum se sistendi, quàm primùm poterit, ratione Excommunicationis, & Censurarum, si convaluerit; utì constat ex *cap. Eos qui de sent. Excommunic. in 6.* Et docet Suar. Vasqu. Brugnoli & alii. Non tamen ratione casuum præcisè reservatorum, qui nullam Censuram annexam habebant, si hos tantùm sit confessus, ùt habet Coninck, Henriqu. &c. quia nullum Jus petit talem comparitionem; sicut petit in confitentibus reservata tempore necessitatis, extra mortis articulum, Confessario inferiori, ubi non est directa absolutio reservatorum, sicut in articulo mortis.

21. Nota duodecimò: talem pœnitentem à simplici Sacerdote absolutum ab Excommunicatione & Censuris in articulo mortis, satisfacere suo oneri ostendendi se, si se sistat Confessario, qui ratione Jubilæi, vel Privilegii potest absolvere extra mortis articulum ab incursa Excommunicatione, & Censuris; utì habet Henriqu. Sanchez, & Brugnoli. Ratio est; quia potest non uti Privilegiô primô, quô fuit absolutus ab Excommunicatione & Censuris, propter onus adeundi Superiorem; sed potest recurrere ad Confessarium habentem Jurisdictionem super Excommunicationem, & Censuras illas incursas, & ab eo petere absolutionem. Circa Privilegia Regularium, quoad absolutionem à reservatis, Excommunicatione, & Censuris tam suorum subditorum, quàm sæcularium, remitto me ad alibi dicta in *Schola mea Theologica, Tract. de Sacram. dist. 11. qu. 9.*

CAP. IV.

De Censura Suspensionis in Specie.

1. Dico primò: rectè describitur suspensio, quòd *sit pœna spiritualis, inflicta à potestate Ecclesiastica, privans Clericum in totum, vel in partem, vel ad tempus exercitiô Ordinis, Officii, & Beneficii, quod illi competebat ratione alicujus potestatis, & Juris Ecclesiastici.* Ita constat ex *cap. Tuarum, de Privil.* Ly *Pœna* est genus: reliqua ponuntur pro differentia.

2. Nota primò: Suspensionem aliam esse à Jure, aliam ab homine latam. Item aliam esse ferendæ; aliam latæ sententiæ. Item aliam esse totalem, id est ab Ordinibus seu Officio, & Beneficio, & Jurisdictione simul; Aliam partialem, id est ab uno Ordine tantùm, vel Beneficio, vel ab Officio. Alia iterum est à toto Officio, vel Beneficio: Alia tantùm

à parte

à parte ejus. Alia est lata cum determinatione temporali, alia sinè ea.

3. Nota secundò: Suspensionem censendam esse ab Officio, Jurisdictione, & Beneficio simul, si lata sit terminis absolutis indefinitis; uti habet Henriqu. Her. Con. &c. Ratio est; quia ex Sermonis usu propositio indefinita, ob suam indifferentiam, æquivalet universali.

4. Nota tertiò: nullam extare determinatam formam suspensionis in Jure: debet tamen fieri in Scriptis, cum causæ expressione, sicut Excommunicatio; aliàs Judex Ecclesiasticus ipsemet incurrit Suspensionem; ùt habet *cap. 1. de Sentent. Excommunic.*

5. Dico secundò: Ut Suspensio feratur legitimè, debet præsupponere peccatum proprium. Ita Avila, Suar. Laym. Navarr. &c. Estque Ratio; quia Suspensio est pœna rigorosa: talis autem præsupponit culpam in eo, qui punitur, *argm. c. 2. de Constit.*

6. Dico tertiò: peccatum, quod dat causam Suspensioni, communiter debet esse mortale. Ita Con. Henriqu. Avila, Laym. &c. Et Ratio est; quia pœna debet esse commensurata culpæ; sed Suspensio est pœna gravis: ergo, &c.

7. Dico quartò: Suspensus absolutè arcetur ab omni actione Clericali propria Clericis; quales sunt omnes actiones Jurisdictionis Ecclesiasticæ, omne exercitium Ordinis, &c. Ita Henriqu. & communis DD. Et Ratio est; quia hæc est natura Suspensionis absolutæ. Et quia sic intendit suspendens.

8. Dico quintò: Suspensus specialiter ab Ordine tantùm potest omnes actus Jurisdictionis exercere, ubi Ordinis usus non intervenit: Unde potest dare facultatem audiendi Confessiones, si Superior sit: Item eligendi Confessarium: potest eligere, &c. Ita Henriqu. Navar. Hugol. Herincx, &c. Estque Ratio; quia Suspensio est odiosa; adeóque restringenda tantùm ad illa, à quibus expresè suspendit, salvâ potestate alia disparata faciendi.

9. Dico sextò: Suspensus ab Officio tantùm non suspenditur à Beneficio. Ita Palud. Sayr. & Hugol. Et est Ratio; quia sunt pœnæ disparatæ, Suspensio ab Officio, & Suspensio à Beneficio: potéstque una infligi, non verò alia: Sunt insuper odiosæ, & consequenter restringendæ.

10. Dico septimò: Suspensus similiter à Beneficio, non ideò suspenditur ab Officio, vel Jurisdictione: Unde potest eligere, & conferre Beneficia. Ita Glossa, Herincx, Con. &c. Estque Ratio eadem, quæ pro priori Conclus.

11. Dico octavò: Suspensus absolutè à Beneficio, nec potest temporaliter administrare beneficium; nec fructus ejus percipere; potest tamen omnes distributiones percipere, quæ non dantur intuitu beneficii, v. g. stipendia pro Anniversariis, pro frequentatione Horarum, & similia: imò portionem aliquam congruam sustentationis, etiam ex ipso beneficio natam. Ita DD. communiter. Et est Ratio primi, & secundi; quia hoc operatur ipsa natura Suspensionis ex intentione Suspendentis. Tertium quoque patet; quia hujusmodi distributiones non spectant ad Beneficium, à quo est Suspensio.

12. Dico nonò: Suspensus à Jurisdictione tantùm potest omnes actus Ordinis, seu Officii spiritualis exercere, non requirentes Jurisdictionem. Ita Suar. Cajetan. Navar. &c. Sic potest celebrare, in horis Canonicis Officiatorem agere, &c. Ratio est; quia talis Suspensio est limitatæ naturæ; adeóque non impedit ab aliis actionibus.

13. Dico decimò: Suspensus ab Officio, Ordine, aut Jurisdictione, in nullo loco potest exercere ejusmodi actus Ecclesiasticos. Ita habet Glossa, Abbas, Hugolin. Navarr. &c. Ratio est; quia Censura quævis immediatè afficit censuratum; ideóque concomitatur eum extra territorium ferentis; & ùt loquitur Abbas, *sequitur eum, sicut lepra leprosum.*

14. Nota ultimò: plurimas extare in Jure, Bullis, & Conciliis ab Ecclesia latas Suspensiones pro conservatione Christianæ disciplinæ inter Ecclesiasticas personas; earum quæ usu firmatæ sunt, videre est registrum *in Schola mea Theologica, tom. 3. tract. de Censur. dist. 2. qu. 7.*

CAP. V.

De Censura Interdicti in Specie.

1. Dico primò: rectè describitur Interdictum, quòd *sit pœna spiritualis inflicta à potestate Ecclesiastica, privans usu Officiorum Divinorum, participatione Sacramentorum activâ & passivâ, & Sepulturâ Ecclesiasticâ.* Ita constat ex *cap. Non est 11. de Sponsal.* Et *cap. Quod in te 11. de pœnit. & remiss.* Ly *pœna* est genus: reliqua sunt pro differentia.

2. Nota primò: Interdictum dividitur primò in personale; locale; & mixtum. *Primum* est quod cadit super solam personam. *Secundum* quod cadit super solum locum. *Tertium* quod cadit super utrumque. Præterea Locale subdividitur in generale; & particulare.

re. *Generale Locale* eſt, quod interdicit locum plura loca continentem, v. g. regnum in quo continentur Civitates, villæ, & Caſtra, *cap. Cùm in partibus 17. de V. S.* *Particulare Locale* eſt, quod interdicit locum unum particularem, v.g. Eccleſiam, vel Oratorium. Similiter Perſonale ſubdividitur in generale; & ſpeciale. *Perſonale generale* eſt, quô interdicitur tota communitas, prout unum corpus Politicum conſtituit, v.g. Populus unius Provinciæ. *Perſonale ſpeciale* eſt, quô interdicitur aliqua ſpecialis perſona; vel etiam plures alicujus communitatis; non verò tota communitas.

3. Dico ſecundò: dum locus interdicitur, etiam perſonæ illius loci Interdictô innodantur, quæ interdicto cauſam dederunt, ubicunque morentur. Ita Herincx, Barboſa, & communis Canoniſt. Et colligitur ex *cap. Si ſententia, de ſent. Excommunic. in 6.* Cæteri autem extra locum interdictum poſſunt audire Divina; ùt habent communiter. DD.

4. Dico tertiò: ſi Civitas Interdicto ſubjiciatur, etiam habitacula proxima extra mœnia Interdictô involvuntur. Eſt communis apud Canoniſtas. Et colligitur ex *cap. Si Civitas, de ſentent. Excommun. in 6.*

5. Dico quartò: dum Eccleſiæ interdicuntur, etiam Capellæ, & Cœmeteria interdicuntur, ſi ſint contigua, ſecùs ſi non ſint contigua. Ita communis ſenſus Doctorum. Et colligitur ex *cap. Si Civitas, cit.*

6. Dico quintò: Si populus Civitatis totius interdicatur, non perinde feriuntur Interdictô extranei, negotiationis, vel recreationis causâ eò accedentes; nec probabiliter Studioſi Univerſitatis, ibidem exiſtentes; nec Clerici, & Religioſi. Ita Herincx, & alii DD. Et deducitur ex *cap. Si ſententia, de ſent. Excommunic. in 6.* Et quia hi omnes non cenſentur ſtrictè eſſe de corpore populi Civitatis; ſed conficere aliud corpus. Circa effectus Interdicti

7. Dico ſextò: Interdictum antiquô Jure Canonico inducebat generalem ſubtractionem celebrationis, & auditionis Divinorum Officiorum: hoc eſt tam celebrationis, quàm auditionis Miſſæ, & Horarum Canonicarum publicè; item prohibebat omnem orationem ſolemnem Eccleſiæ, & Benedictiones Miniſtrorum ejus: non tamen Concionem; cùm non cenſeatur eſſe Divinum Officium. Ita DD. communiter. Et conſtat ex *cap. ult. de ſent. Excommun. in 6.*

8. Dico ſeptimò: Hic tamen effectus Interdicti, ſi id Locale Generale ſit, deinde fuit limitatus. Ita habet communis Summiſtarum modernorum. Et conſtat per *cap. Alma Mater*, ubi dicitur; quòd tempore Interdicti, ſingulis diebus in Eccleſiis Regularium ac Monaſteriis Miſſæ celebrentur, & alia dicantur Divina Officia, ſicut priùs: ſubmiſsâ tamen voce, januis clauſis, & campanis non pulſatis. In feſtis verò Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis, quibus addidit Martinus V. & Eugenius IV. Feſtum Corporis Chriſti, & alii Pontifices feſta ſpecialia Religioſorum pro Religioſis, etiam januæ aperiri poſſunt, & campanæ pulſari in loco interdicto generaliter.

9. Nota ſecundò: quòd hoc Privilegium *Alma Mater*, extendatur etiam ad Oratoria privata; uti habet Navarr. Henriqu. &c. & valet pro omnibus perſonis Eccleſiaſticis, etiam Religioſis, & Monialibus; uti habet Cordub. Avila Herincx, &c.

10. Dico octavò: Interdictum etiam antiquo Jure per modum effectûs cauſabat ſubtractionem Sacramentorum, tam quoad adminiſtrationem, quàm receptionem. Ita pariter omnes Canoniſtæ. Et conſtat ita diſpoſitum fuiſſe in *cap. Alma Mater.*

11. Dico nonò: Huic tamen effectui à poſteriori Jure appoſitæ ſunt quædam limitationes. Ita communis Doctorum. Eſtque Ratio; quia modò tempore Interdicti poteſt adminiſtrari Baptiſmus, & Confirmatio, per *cap. Quoniam in 6.* Item Sacramentum Pœnitentiæ poteſt conferri omnibus, iis exceptis, qui ſunt excommunicati; vel cauſam dedêre Interdictò, per *idem cap.* Item communio poteſt dari pro viatico moribundis, per *cap. Quod in te, de Pœnit. & Remiſſ.* imò cum ſonitu campanellæ, ac facibus ad ægrotum publicè deferri; uti habet Navarrus Con. Sà, Laym. &c.

12. Dico decimò: etiam Matrimonium tempore Interdicti poteſt celebrari licitè. Ita paſſim Canoniſtæ cum Henriqu. Sylv. Navar. Sanch. Her. &c. Etſi hoc negent de Extrema Unctione, & Ordine ob diverſa Juris capita. Ratio eſt; quia Interdictum non prohibet fieri contractus politicos; Matrimonii autem celebratio eſt talis contractus; cui tamen acceſſit ratio Sacramenti à Chriſto. Deinde Interdictum prohibet adminiſtrationes Sacramentorum, à Miniſtro Eccleſiæ ſolitas fieri; Matrimonium autem adminiſtratur ab ipſis contrahentibus.

13. Dico undecimò: Interdictum etiam inducit per modum effectûs privationem ſepulturæ, ita ut in loco interdicto, ſi Locale ſit Interdictum, nemo poſſit ſepeliri. Ita communis DD. Et conſtat ex *cap. Quod in te, de Pœnit. & Remiſſ.*

14. No-

14. Nota tertiò: quòd hic effectus sit generalissimus, ita ut omnes, etiam infantes, & amētes nequeant in loco sacro interdicto sepeliri; utì habet Laym. Her. &c. Etsi hujusmodi, & omnes qui Interdicto locali generali causā non dedêre, alibi in loco sacro, non interdicto sepeliri possint: utì habet Suar. Avila. & alii DD.

15. Dico duodecimò: si personale sit Interdictum; & persona interdicta nominata, & denunciata, nullibi potest sepeliri Sepulturâ Ecclesiasticâ. Ita Herincx, & alii Summistæ. Et constat per *cap. Alma Mater.* Secùs tamen est, si non esset denunciata solemniter; utì deducitur ex Extravag. *Ad evitanda.*

16. Dico decimo tertiò: Ecclesiastici violantes Interdictum locale, vel personale, peccant mortaliter. Est communis Theologorum. Estque Ratio; quia tales faciunt in materia gravi contra Obedientiam Ecclesiæ. Imò & Laici cum violentia, vel fraude sese ingerentes Divinis Officiis in loco interdicto, vel alibi: si sint personaliter interdicti, eundem reatum contrahunt; utì habet Suar. Sotus, Navar. &c.

17. Nota quartò: Pœnas violantium Interdictum esse sequentes: si violans sit Laicus, nullam pœnam Juris incurrit. Si autem Clericus sæcularis, & exerceat actum Sacri Ordinis, fit irregularis; *cap. Is qui.* Fit præterea ineligibilis activè, & passivè; per *cap. 1. de Postulatione Prælatorum in 6.* si violans sit Religiosus exemptus, incurrit Excommunicationem; Clement. *1. de Sentent. Excommun.* Tandem quivis præsumens sepelire hominem interdictum denunciatum in loco sacro, vel alios in loco interdicto, etiam incurrit Excommunicationem, ex Clement. *1. de Sepulturis.*

18. Dico decimo quintò: ut Interdictum tam personale totale, quàm locale generale legitimè feratur, debet præcedere culpa mortalis. Ita Avila Sà verbo *Interdictum,* Laym. Suar. &c. Estque Ratio; quià debet esse commensuratio inter pœnam gravem, qualis est Interdictum totale personale; & inter culpam. Putat tamen Laym. Interdictum particulare personale ab una tantùm re v.g. à Communione, vel ingressu Ecclesiæ ad tempus posse fieri ob solum veniale peccatum.

19. Dico decimo quintò: absque Papæ licentia non potest interdici integra Provincia, Villa, Castrum, Locus, vel Territorium, propter solum pecuniarium debitum. Ita Canonistæ, & Summistæ communiter. Et ita providetur in Extravag. *Provide, de Sent. Excomm.* Circa absolutionem ab Interdicto, vide resoluta suprà *cap. 3. hoc tit.*

20. Nota quintò: Interdicto locali multùm assimilari *Cessationem à Divinis,* quæ est *quædam desistentia à Divinis Officiis, & Administratione Sacramentorum, nata ex simplici prohibitione.* Differt tamen ab eo, quòd Cessatio non sit pœna; sed simplex tantùm prohibitio, quam assuevit Ecclesia instar planctûs, & signi gravissimi doloris, ob gravissimam sibi, aut honori Divino illatam injuriam assumere. Insuper violans Cessationem hujusmodi, non fit irregularis, sicut violans Interdictum. Quare si necessitas sit administrandi Sacramenta, possunt absolutè administrari absq; ulla culpa, vel pœna, non obstante Cessatione à Divinis.

CAP. VI.

De Sententia Excommunicationis in Religione nostra Franciscana.

1. Nota primò: Prælati Ordinis nostri habentes ordinariam jurisdictionem, cujusmodi sunt Generalis Minister, & Commissarius: item Provincialis, & ab eis delegati, ac Guardianus, possunt legitimè fulminare Sententiam Excommunicationis in suos subditos; & Fratres oppositum asserentes, tanquam errantes, & perturbatores graviter sunt puniendi arbitrio Superiorum; utì habetur in Constit. Gen. Ord. *cap. 7. §. 6. n. 28.* Memorati tamen Prælati non debent Excommunicationis Sententias ferre temerè, aut ex levibus causis; sed cum magna circumspectione, & ob gravia motiva, *ibid. n. 29.* Pro rebus autē deperditis soli Generalis, & Provincialis, qui quasi Episcopalem habent authoritatem, excommunicare possunt, *ibid. n. 30.* Idem dicendum de Comissario Visitatore, à Generali destinato ad omnes causas comissæ sibi Provinciæ; ùt notat Sanct. *in pœnal.* Non itē de Commissario à Provinciali delegato; nisi ad hoc etiam specialem haberet delegationem; ùt observat idem Sanct. & S. Sever.

2. Nota secundò: non licet subditis Minoritis Excomunicationem à Prælatis inferioribus latam contempere; aut non formidare; quia non pertinet ad subditos, sed ad eorum Prælatos ejus cognitio; utì habent cit. Constit. *n. 31.* Possunt tamen subditi reclamare apud Superiores Majores Ordinis contra fulminatores illarū Excomunicationū, quæ sinè discretione, & maturitate fulminantur; utì notant cit. AA. Pro quibus porrò in specie delictis fulminādā sit à Prælatis Minoritis Sententia Excomunicationis, aut Sententia Suspensionis, exprimunt Constit. gen. *cit.* sub variis numeris; & alibi.

TITULUS XL.

De Verborum Significatione.

CAP. I.

Quædam Resolutiones de Significatione Verborum in Jure.

1. NOta primò: Summ. Pontifex secutus Compilatores Digestorum post propositos quinque Libros Decretalium, quibus complectitur tractatum Universi Juris Canonici; demùm addidit duos Titulos generales, qui diffunduntur per universam ejusdem Juris materiam; scilicet de Verborum Significatione; & de Regulis Juris: primus concernit interpretationem verborum, quæ inventa sunt, ut dicentis exprimant sententiam: nam cùm sæpè dubitari contingat de significatione terminorum, seu vocum ipsarum, meritò quædam doctrinæ generales de eorumdem intellectu, & acceptione apponuntur. Posterior verò Titulus concernit Regulas Juris in unum collectas, quæ in Corpore Juris dispersæ reperiuntur. Circa *primum* itaq; *Tit.*

2. Nota secundò: sequentes doctrinas generales. *Primò*, verba Legum, & Canonum sunt in propria significatione, & secundùm communem hominum usum accipienda, *L. non aliter 69. ff. de leg. 3.* nisi fortè aliter constet de mente Legislatoris; utì observat Glossa, Engel, &c. Vel nisi ex verbis sequeretur aliquod absurdum. Vel dispositio Legis, vel Canonis redderetur inutilis; quo casu verba potiùs sunt improprianda; quàm ut pereat dispositio, *cap. Abbati 25. hoc tit.* Unde

3. *Secundò*: verba Legis, & Canonis alicujus accipienda, & intelligenda sunt cum effectu, ita ut aliquid operentur; nec sint superflua, *L. 1. §. hec autem verba ff. quod quisque Juris, &c.* Et *L. 3. in prin. ff. de Jurejur.* Et *cap. relatum, de Clericis non resid.* Sed *Tertiò* cùm verba inventa sint, ut indicent proferentis mentem, *L. Labeo ff. de supellect. legat.* Et quia verba intentioni, & non intentio verbis debet deservire, *cap. Secundò requiris, de appellat.* Et *cap. Intelligentia hoc tit.* Ideò aspicienda, & observanda est mens Legislatoris, & secundùm eandem verborum significatio accipienda: & cùm de tali mente constat, non est laborandũ de verborum sono, *cap. Intelligentia.* Et *cap. Nihil obstat.* Et *cap Præterea hoc tit.*

4. *Quartò* in contractibus, si verba sint ambigua, interpretatio fit contra eum, qui legem potuit apertiùs dicere, *cap. contra eum, de R. I. in 6.* Ita tamen ut servetur, quantùm fieri potest, æqualitas inter contrahentes, *L. pen. C. communi dividendo.* Et ut ratio æquitatis habeatur, *L. Si id quod 7. in fin. ff. de rescind. vendit.* *Quintò* demùm verba semper sunt intelligenda secundùm subjectam materiam, & naturam actûs, vel contractûs, *L. Si uno.*

5. Nota tertiò: tandem in *hoc tit.* proponuntur etiam variorum verborum explicationes, definitiones, & etymologiæ; ut ly *Novalis*, quòd sit ager nunc primùm præcisus, *cap. 1. eod.* Et Ly *Unigenitus*, quòd aliquando in Scriptura accipiatur pro illo, qui mox natus, sinè nomine, quasi nunquam esset, de vita decessit, *cap. 3. eod.* Et *Pactum* inter partes, quòd sit ex pace conveniens Scriptura, legibus, ac moribus approbata: dictum *pactum*, quasi ex *pace factum*, *cap. 11. eod.* Et plura alia; quæ quia clara sunt, vide in fonte ipso.

CAP. II.

Qualiter Titulus de V. S. concernat Ordinem FF. Minorum.

1. NOta primò: quoniam circa Regulam Seraphicam FF. Minorum à S. Francisco Institutore inclyto Ordinis Franciscani, seu FF. Minorũ promulgatam, à Christo dictatam, utì referunt concorditer omnes Añales & Chronica Ordinis Seraphici; emersérant variæ hæsitationes tum ex parte ipsorũ Fratrum; tum ex parte forensium; idcirco Summi Pontifices Nicolaus III. & Clemens V. duas solemnissimas edidêre Decretales, Corpori Juris comunis Canonici insertas, sub *hoc tit. in 6.* & in Clementinis, quibus easdem hæsitationes elucidarunt, & complanarunt. Circa primam Decretalem

2. Nota secundò: Sumarium primæ Decretalis est hoc. *Primò* Papa Nicolaus III. mirè extollit Seraphicam FF. Minorum Religionem sub metaphora Terræ Bonæ, quæ secundùm S. Evangelium suscepit semen Divini seminantis Christi, & protulit germen sanctum Observantiæ Regularis. *Secundò* invehitur contra quosdam ejusdem Religionis mordaces impugnatores, & iniquos æmulatores.

Tertiò allegat certam scientiam & experimentum, quod habet de sincero intellectu Regulæ Seraphicæ, quam declarandam assumit. *Quartò* declarat FF. Minores non obligari ex præcepto ad omnia consilia Evangelica in eadem Regula contenta; sed tantùm ad ea, quæ præceptoriè, vel inhibitoriè, vel sub verbis æquipollentibus sunt expressa. *Quintò* asserit paupertatem Minoriticam, seu abdicationem proprietatis omnium rerum temporalium tam in speciali, quàm in communi propter DEUM factam, esse meritoriam, & sanctam. *Sextò* dogmatizat cum præfata abdicatione adhuc stare simplicem usum facti rerum necessariarum temporalium; eundémque explicat, & docet esse separabilem à dominio. *Septimò* ostendit dominium rerum Fratribus Minoribus perfectè oblatarum, concessarum, vel donatarum transferri non in ipsos Fratres; sed in Sedem Apostolicam; uti & Ecclesiarum, & Oratoriorum; item locorum pro habitatione: nisi Fundatores eorum dominium sibi reservaverint. *Octavò* ordinat, quarum rerum utensilium receptio licitè fieri possit à Fratribus Minoribus. *Nonò* ponit resolutiones varias circa receptionem eleemosynarum pecuniariarum pro Fratribus. *Decimò* ponit provisiones circa necessitates futuras Fratrum. *Undecimò* quid operandum cum pecunia superflua oblata Fratribus, habita necessitate determinata. *Duodecimò* docet, quid agendum cum illis rebus, quæ Fratribus relinquuntur testamentô. *Decimo tertiò* discurrit de legatis indifferenter Fratribus relictis. *Decimo quartò* agit de commutatione rerum mobilium. *Decimo quintò* de largitione vilium. *Decimo sextò* de vestimentis Fratrum. *Decimo septimò* de modo laborandi. *Decimo octavò* de Prædicatoribus. *Decimo nonò* de modo recipiendi forenses ad Ordinem. *Vigesimò* de instituendo Custode Custodum ad Capitulum. *Vigesimo primò* de ingressu, & accessu ad Monasteria Monialium. *Vigesimo secundò* ostendit Testamentum S. P. Francisci non obligare suos Minores, sicut obligat Regula. *Vigesimo tertiò* docet suam Decretalem declaratoriam Regulæ servandam tantùm esse in iis, quæ habet communia cum Declarationibus Summ. Pontificum Antecessorum. Demùm *vigesimo quartò* addit suæ Decretali robur Apostolicum.

3. Nota tertiò; Summarium verò Decretalis Clementis V. est hoc. *Primò* commendat dictus Papa Ordinem Fratrum Minorum sub metaphora Horti plantati à Divino agricola Christo; redditque causam, cur condat suam Decretalem declaratoriam Regulæ Franciscanæ. *Secundò* tractat de observatione præceptorum, ac consiliorum Evangelicorum, & de quibusdam articulis Regulæ æquipollentibus præcepto. *Tertiò* resolvit, an liceat Fratribus recipere aliquid de bonis ingredientium Ordinem. *Quartò* agit de vestimentis Fratrum, & eorum vilitate. Item de calceamentis, & jejuniis. *Quintò* de præcepto non recipiendi pecuniam. *Sextò* de expropriatione Fratrum. *Septimò* de hæreditatibus Fratribus relictis, & de redditibus. *Octavò* de assistentia Fratrum in Curiis, aut litibus, & executoribus testamentorum, hortis superfluis, granariis, & cellariis; item de ædificiis, vasis, apparamentis Ecclesiasticis, equorum & similium oblationibus. *Nonò* resolvit ad quem usum arctum teneantur Fratres ex Regula. *Decimò* tractat de electione, & confirmatione Provincialium, &c.

4. Nota quartò: edidit quoque Papa Joannes XXII. quamdam Extravagantem *Quorundam exigit &c. cap. 1. hoc tit.* inter Extravag. ejusdem Pontificis. Et aliam *eod. tit. cap. 2. Quia nonnunquam, &c.* Et aliam *Ad Conditorem Canonum, &c. ibid. cap. 3.* concernentes Regulam Ordinis FF. Min. sed quia tertia impugnat distinctionem usûs facti rerum à dominio, sicque Fratres Minores dominos formales facit saltèm rerum illarum, quæ unico usu sunt consumptibiles; quam doctrinam Ordo Seraphicus in altissima paupertate fundatus, tanquam contrariam Regulæ, & cit. Decretali Nicolai III. nunquam recepit. Et eidem Decretali, aliísque hanc materiam concernentibus postea ab aliis plurimis Summ. Pontificibus fuit plenè derogatum, uti testatur Paulus IV. Papa in Bulla, *Ex clementi Sedis, &c.* edita anno 1555. dicens, derogationem dictarum Extravagantium emersisse à Martino V. Eugenio IV. Nicolao V. & Sixto IV. Iisdem etiam derogavit novissimè Gregorius XIII. Bullâ 6. Quinimò ipsemet etiam Joannes XXII. ante obitum suum refertur teste Wadingo *in annal. ad an. 1333.* & Marchant, & aliis AA. hanc suam Decretalem revocâsse, unà cum aliis opinionibus privatis, quas asseruerat priùs circa animas separatas.

TITULUS XLI.

De Regulis Juris.

CAP. UNICUM.

De Regulis Juris.

NOta primò: *hoc altero titulo generali, & ultimo* V. Decretalium D. Papæ Gre-
1. gorii IX assignantur undecim Regulæ Juris: quibus adduntur in Sexto aliæ 88. quas amplissimè interpretantur Canisius, Barbos. Dynus, Streinius, Peckius, ac plures alii DD. Sunt autem Regulæ Juris *quædam Sententiæ, axiomata, & propositiones generales, multarum decisionum causas, & principia continentes, traditæ, & hoc tit. à D. Gregorio Papa IX. & D. Bonifacio Papa VIII. collectæ, & propositæ*: suntque sequentes.

REGULÆ JURIS

Propositæ à Gregorio IX. *hoc tit.*

1. Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.
2. Dubia in meliorem partem interpretari debent.
3. Propter scandalum evitandum veritas non est omittenda.
4. Propter necessitatem illicitum efficitur licitum.
5. Illicitè factum obligationem non inducit.
6. Tormenta indiciis non præcedentibus inferenda non sunt.
7. Sacrilegus est, offendens rem, vel personam Ecclesiasticam.
8. Qui facit aliter, quàm debet, facere non dicitur.
9. Committens unum peccatum, reus est omnium, quoad vitam æternam.
10. Ignorantia non excusat Prælatum in peccatis subditorum.
11. Pro spiritualibus homagium non præstatur.

REGULÆ JURIS

Propositæ à Bonifacio VIII. *hoc tit. in 6.*

1. Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sinè institutione canonica obtineri.
2. Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.
3. Sinè possessione præscriptio non procedit.
4. Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.
5. Peccati venia non datur nisi correcto.
6. Nemo potest ad impossibile obligari.
7. Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona.
8. Semel malus, semper præsumitur esse malus.
9. Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.
10. Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari.
11. Cùm sunt partium jura obscura, reo favendum est potiùs, quàm actori.
12. In judiciis non est acceptio personarum habenda.
13. Ignorantia facti, non juris, excusat.
14. Cùm quis in jus succedit alterius, justam ignorantiæ causam censetur habere.
15. Odia restringi, & favores convenit ampliari.
16. Decet concessum à principe beneficium esse mansurum.
17. Indultum à jure beneficium, non est alicui auferendum.
18. Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.
19. Non est sinè culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet.
20. Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.
21. Quod semel placuit, ampliùs displicere non potest.
22. Non debet aliquis alterius odio prægravari.
23. Sinè culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.
24. Quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur: cùm habeat parêre necesse.
25. Mora sua cuilibet est nociva.
26. Ea, quæ fiunt à judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt.
27. Scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus.
28. Quæ à Jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.

29. Quod

29. Quod omnes ttangit, debet ab omnibus approbari.
30. In obscuris minimum est sequendum.
31. Eum, qui certus est, certiorari ulteriùs non oportet.
32. Non licet actori, quod reo licitum non existit.
33. Mutare consilium quis non potest, in alterius detrimentum.
34. Generi per speciem derogatur.
35. Plus semper in se continet, quod est minus.
36. Pro possessore habetur, qui dolo desijt possidere.
37. Utile non debet per inutile vitiari.
38. Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare.
39. Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.
40. Pluralis locutio duorum numero est contenta.
41. Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.
42. Accessorium naturam sequi congruit principalis.
43. Qui tacet, consentire videtur.
44. Is qui tacet, non fatetur; sed nec utique negare videtur.
45. Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerunque fieri consuevit.
46. Is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit.
47. Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.
48. Locupletari non debet aliquis, cum alterius injuria vel jactura.
49. In pœnis benignior est interpretatio facienda.
50. Actus legitimi conditionem non recipiunt neque diem.
51. Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulteriùs transferendum.
52. Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.
53. Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus.
54. Qui prior est tempore, potior est jure.
55. Qui sentit onus, sentire debet commodum, & è contra.
56. In re communi potior est conditio prohibentis.
57. Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio facienda.
58. Non est obligatorium, contra bonos mores præstitum juramentum.
59. Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eundem.
60. Non est in mora, qui potest exceptione legitimâ se tueri.
61. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.
62. Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.
63. Exceptionem objiciens, non videtur de intentione adversarij confiteri.
64. Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.
65. In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.
66. Cùm non stat per eum ad quem pertinet, quò minùs conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset.
67. Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.
68. Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.
69. In malis promissis fidem non expedit observari.
70. In alternativis electoris est electio, & sufficit alterum adimpleri.
71. Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus.
72. Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum.
73. Factum legitimè retractari non debet, licèt casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari.
74. Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet alijs in exemplum.
75. Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cùm fidem à se præstitam servare recusat.
76. Delictum personæ, non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare.
77. Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore.
78. In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa.
79. Nemo potest plus juris transferre in alium, quàm sibi competere dignoscatur.
80. In toto partem non est dubium contineri.
81. In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.
82. Qui contra jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere.
83. Bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur.

84. Cùm quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti.

85. Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur.

86. Damnum, quod quis ſuâ culpâ ſentit, ſibi debet, non alijs imputare.


87. Infamibus portæ non pateant dignitatum.

88. Certum eſt, quòd is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.

2. Nota ſecundò: circa præfatas Regulas Juris plurimas dari exceptiones: unde cum grano ſalis ijsdem utendum eſt, in confirmatione aliquorum dictorum, & in caſibus occurrentibus: valentque tam diu, quousque aliud Jus in contrarium adducatur.

Finit V. Decretalium
Quem Flexo poplite Cenſuræ S. R. E. ſuppono.

A. M. D. G.



INDEX

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM IN HOC TOMO II. CONTENTARUM.

P. *paginam.* C. *capitulum.* N. *numerum significat.*

A.

B.

C.

D.

E.

K.

L.

M.

N.

O.

una

R.

S.



X.

F I N I S.

